

Secundus tomus Theosophiæ

IOANNIS ARBOREI LAVDVNENSIS, DOCTO-
r theologæ, complectens sanam & luculentam difficillimorum
locorum cum veteris tum noui testamenti expositionem, nouem
libris resolutur, in quibus lepidissimæ sacrorum doctorum sen-
tentia discutiuntur, & multorum hæreses reuelluntur.

(P)



PARISIIS.
EX OFFICINA SIMONIS COLINÆI.
M. D. X L.

Secundus tomus Theosophiæ

IOANNIS ARBOREI LAVDVNENSIS, DOCTORIS Theologi, complectēs sanam & luculentam difficillimorum locorum cū veteris tum noui testamenti expositionem, nouem libris absolutur, in quibus lepidissimæ sacrorum doctorum sententiæ discutiuntur, & multorum hæreses reuelluntur.



PARISIIS.
EX OFFICINA SIMONIS COLINÆI.
M. D. X L.

Fertilis Alcinoi Phæacia prædicet hortos,
Semper ubi frondes pendula poma grauant.

Digna labore suo reputauerit aurea mala,
Qui domitis monstris nomina clara tenet.

Vnius exuperat felici germine cunctas
Arboris excellens gloria Sorbonica.

Si numerum spectes, fructus nusquam amplior extat
Copia: si pretium, vicerit & pretio.

Non pressi nimio succumbunt pondere ramis
Sed quo plus oneras, hoc magis alta perunt.

Nec modo largitur membris alimenta caducis
Fructus hic, at mentes fata subire vetat.

Mentibus æternæ gratissima munera vitæ
Pandit, an his quicquam maius habere voles?

Propterea hæc vitæ merito censetur arbor,
Quattuor è riuis viua fluentia bibens.

Hinc Augustini latissima flumina manant,
Hinc Stridonensis clarior vnda fluit.

Ambrosij pariter dulci recreabere succo.
Circumlabetur pectora Gregorius.

Hac igitur, moneo, requiesce sub arbore, mentis
Vitare esuriem si cupis, atque sitim.

Nam quæ vix alibi multis libaueris annis,
Hic propè momento singula percipies.

2
Secūdus tomus Theosophiæ

IOANNIS ARBOREI LAVDVNENSIS, DOCTORIS Theologi, complectens sanā & luculentam difficillimorum locorum cum veteris tum noui testamenti expositionem, nouem libris absoluitur, in quibus Ecclesiasticorum doctorum Assertiones discutiuntur, & pestifera multorum hæreses reuincuntur.

CAPVT I.



Mathusalem non vixit post diluuium, sed eodem diluuij anno mortuus est.] Conabimur hæc Assertionem cum ex Geneleos historia, tū ex sacris doctoribus stabilire. Siquidem in Genesi scriptum comperimus, Vixit Mathusalem cētum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusalem postquam genuit Lamech, septingentis octogintaduobus annis, & genuit filios & filias. Et fuerūt omnes dies Mathusalem anni nongenti sexagintanouem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octogintaduobus annis, & genuit Noe. A die verò natiuitatis Mathusalem vsq; ad diem natiuitatis Noe, sunt anni trecēti sexagintanouem, quibus si addiderimus sexcētos annos Noe, quia in sexcētesimo vitæ eius anno factū est diluuium, fiet vt nongentesimo sexagesimonono anno vitæ suæ Mathusalæ mortuus sit, eo anno quo coepit esse diluuium. Et hanc Hebræorū supputationem sequitur Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, cui septuaginta interpretum supputatio minimè placet. Et de hac controuersia sic scribit: Famosa est quæstio & disputatione omnium Ecclesiarū ventilata: quòd iuxta diligentē supputationem quatuordecim annos post diluuium Mathusala vixisse referatur. Etenim cum esset Mathusala annorū 167. genuit Lamech. Rursum Lamech cum esset annorū 188. genuit Noe: & sunt vsq; ad diem natiuitatis Noe, anni vitæ Mathusala trecēti quinquagintaquinque. Sexcentesimo autem anno vitæ Noe, diluuiū factum est. ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala, diluuiū fuisse conuincitur. Cum autem supra nongentis sexagintanouem annis vixisse sit dictus, nulli dubiū est quatuordecim eum annos vixisse post diluuiū. Sed hoc refert ex septuaginta interpretum supputatione, quā deinde impugnat, dicens: Et quomodo verum est quòd octotātum animæ in arca saluæ factæ sunt? Restat ergo vt quomodo in plerisque ita & in hoc sit error in numero. Siquidem in Hebræis & Samaritanorum libris ita scriptum reperi: Et vixit Mathusala cētum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentos octogintaduobus annos, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusala anni nongenti sexagintanouem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octogintaduobus annis, & genuit Noe. A die vero natiuitatis Mathusala vsq; ad diem natiuitatis Noe, sunt anni trecēti sexagintanouem. His adde sexcentos annos Noe, quia in sexcentesimo vitæ eius anno factum est diluuium, atque ita fit vt nongentesimo sexagesimonono anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno quo coepit esse diluuium. Adde q̄ Augustinus libro 15. de Ciuitate dei, capite 11. astipulatur & Hebræis & Hieronymo, & referendo Hebræorum & septuaginta interpretum supputationem, & in sententijs diuersitatem, sic scribit: Per hanc autem discrepantiam Hebræorum codicum atq; nostrorum, exoritur illa famosissima quæstio, vbi Mathusalem quatuordecim annos vixisse post diluuium computatur, cum scriptura ex omnibus, qui in terra tunc a. ij.

fuerant, solos octo homines in arca exitium commemoret euasisse diluuij, in quibus Mathusalem non fuit. Secundum codices enim nostros Mathusalem priusquam gigneret illum quem vocauit Lamech, vixit annos centum sexaginta septem, deinde ipse Lamech antequam ex illo natus esset Noe, vixit annos centum octoginta octo, qui simul sunt trecenti quinquaginta quinque. His adduntur sexcenti Noe, quoro eius anno diluuium factum est, qui sunt nongenti quinquaginta quinque, ex quo Mathusalem natus est, vsque ad annum diluuij. Omnes autem anni vitæ Mathusalem nongenti sexaginta nouem computantur, quia cum vixisset annos centum sexaginta septem, & genuisset filium, qui est appellatus Lamech, post eum genitum vixit annos octingentos duos, qui omnes (vt diximus) nongenti sexaginta nouem sunt. Vnde detractis nongentis quinquaginta quinque ab ortu Mathusalem vsque ad diluuium, remanent quatuordecim, quibus vixisse creditur post diluuium. Propter quod eum nonnulli, etsi non in terra, vbi omnem carnem (quam vivere in aquis natura non finit) constat fuisse deletam, cum patre suo qui transfatus fuerat aliquid fuisse, atque ibi donec diluuium prateriret, vixisse arbitrantur, nolentes derogare fidem codicibus, quos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, & credentes Iudæorum potius, quam istos non habere, quod verum est. Non enim admittunt, quod magis hic esse potuerit error interpretum, quam in ea lingua esse falsum, vnde in nostram per Græcam, scriptura ipsa translata est. Sed inquit non esse credibile septuaginta interpretes, qui vno simul tempore, vnoque sensu interpretati sunt, errare potuisse, aut vbi nihil eorum intererat voluisse mentiri: Iudæos verò dum nobis inuident, quod lex & propheta, ad nos interpretando, transferunt, mutasse quædam in codicibus suis, vt in nostris minueretur auctoritas. Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisque vt putauerit. Certum est tamen non vixisse Mathusalem post diluuium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de numero annorum in Hebræis codicibus inuenitur. Hæc ille. Vnum adnotare licebit, Augustinum vocare codices nostros, quibus Ecclesia tunc utebatur latinis ex interpretatione septuaginta, antequam Hieronymi interpretatio vel æderetur, vel reciperetur. Codices verò Hebræos, qui ad Hebraicam scripturam erant versi. Dicit tamen Augustinus quæstione secunda super Genesim: Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluuium reperitur fuisse defunctus. Sed solū putes Augustinum hæc referre, nec tamen in ea fuisse sententia. Sed ne quis compungat & calumnietur septuaginta interpretum additionem, dicerem germana & propria illorum exemplaria, quæ forsitan non extant, non dissensisse ab Hebraica veritate. Ad hæc, Lyranus enarrans illum Genesios locum, Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est, accedit sententiæ Hieronymi, dicens: Eodem scilicet anno mortuus est Mathusalem quo inundauit diluuium. Et potest hoc videri per litteram, quia si accipiantur sexcenti anni quibus vixit Noe ante diluuium, vt septimo capite Genesios ostenditur: Erantque sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt super terram, & iterum centum octoginta septem anni quibus vixit Lamech antequam Noe esset genitus, & centum octoginta septem, quibus vixit Mathusalem ante natiuitatem Lamech filij sui, & aggregetur totum simul: inueniuntur nongenti sexaginta nouem anni, & sic patet propositum.

CAPVT II.

Melchisedec Chananæus fuit, & non de genere Iudæorum, qui in typum sacerdotis filij dei præcessit. Hæc assertio est Hieronymi in epistola ad Euagrium, vbi refert Origenem, Didymum, Hippolytum, Ireneum, Eusebium Cæsariensem, Emisenum, Apollinarium, & Eustathium, dixisse Melchisedec hominem fuisse Chananæum, regem vrbis Hierosolymæ, quæ primum Salem, postea Iebus, ad extremum Hierusalem appellata sit. Nec mirum esse, si sacerdos dei altissimi describatur absque circuncis-

Lyranus.

Gene. 7.

Hieronymus

ne & legalibus ceremonijs, & genere Aaron, cum Abel quoque & Enoch, & Noe placuerint deo, & victimas obtulerint. Et in Iob volumine legimus, quod ipse & oblator munerum fuerit, & sacerdos, & quotidie pro filijs suis hostias immolarit, & aiunt ipsum quoque Iob, non fuisse de genere Leui, sed de stirpe Esau, licet aliud Hebræi autement. Quomodo autem Noe inebriatus in domo sua, & nudatus atque derisus, à Mediano filio, typum saluatoris præbuit, & Chan populi Iudæorum. Samson quoque amator meretricis & pauperis Dalila, multo plures hostium mortuus, quam viuis occidit, vt Christi exprimeret passionem, omnesque penè sancti & patriarchæ & prophetae in aliqua re figuram expresserunt saluatoris. Sic & Melchisedec eo quod Chananæus fuerit, & non de gente Iudæorum, in typum præcessisse sacerdotis filij dei, de quo dicitur in centesimo nono psalmo, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Ordinem autem eius multis modis interpretantur, quod solus & rex fuerit & sacerdos, & ante circuncisionem sanctus sacerdotio, vt non Gentes ex Iudæis, sed Iudæi à Cæteribus sacerdotium acceperint, neque vnctus oleo sacerdotali, vt Moyse præcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate. Neque carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum sanguinem eorum animalium exta, id est quicquid super escam est, suscepit: sed pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicauerit sacramentum. Et in epistola ad Hebræos (quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum) dicitur quod iste Melchisedec, id est rex iustus, rex fuerit Salem, id est rex pacis: sine patre, sine matre, & quomodo hoc intelligendum sit, vno statim verbo explicat, & vnde λέγειται, non quod absque patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundum vtranque naturam & patrem habuerit & matrem, sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraham à cæde hostium reuertenti, & nec ante, nec postea eius nomen feratur ascriptum. Affirmat autem Apostolus quod Aaron sacerdotium, id est populi Iudæorum, & principium habuerit & finem. Melchisedec autem, id est Christi & Ecclesiæ, & in præteritum & in futurum æternum sit, nullumque habuerit authorem, & quod translato sacerdotio, legis quoque mutatio fiat, vt nequam de Agar ancilla & mōre Sina: sed de Sara libera, & arce Sion egrediatur verbum domini, & lex dei de Hierusalem: & difficultatem rei prooemio exaggerat, dicens: Super quo multus nobis sermo est, & ininterpretabilis: non quia Apostolus non potuerit id interpretari, sed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id est Iudæis persuadebat non iam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum, & duo sunt sacerdotia inter se ab Apostolo comparata, prioris populi & posterioris, & hoc agit tota disputatione, vt ante Leui & Aaron sacerdos fuerit Melchisedec ex gentibus, cuius tantum prædicat meritum, vt futuris sacerdotibus Iudæorum, in lumbis benedixerit Abraham, totumque quod sequitur in laudes Melchisedec, ad Christi typum referri, cuius profectus, Ecclesiæ sacramenta sunt. Et Melchisedec rex Salem protulit panem & vinum, erat autem sacerdos dei altissimi, benedixitque Abram, & ait: Benedictus Abram deo excelso qui creauit cælum & terram, & benedictus deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos in manu tua, & dedit ei decimas ex omnibus. Tradunt nonnulli hunc esse Sem, primum filium Noe, & eo tempore quo ortus est Abraham, habuisse ætatis annos trecentos nonaginta, qui ita suppulantur: Sem post diluuium anno secundo cum centum esset annorum genuit Arphaxat, post cuius ortum, vixit annos quingentos, hoc est simul sexcentos, Arphaxat annos natus triginta & quinque, genuit Salem, qui & ipse tricenus procreauit Heber, quem trigintaquatuor annorum legimus genuisse Phaleg. Rursum Phaleg expletis annis triginta, genuit Rehu, qui & ipse post trigessimum & secundum natiuitatis suæ annum, ædedit Serug, de quo cum ad triginta peruenisset annos, ortus est Nachor, qui vigintinouem annorum genuit Thare, quem legimus quod septuagenarius genuerit Abraham & Nachor, & Aram. Supputa per singulas ætates annorum numerum, & inuenies ab ortu Sem, vsque ad generationem Abraham trecentos nonaginta

Iob 1.

Gene. 9.
Iudic. 16.

Psal. 109.

Hebræ. 7.

Galat. 4.

Gene. 14.

annos. Mortuus est autem Abraham centesimo septuagesimo quinto aetatis suae anno. Ratione deducta inuenitur Sem abnepoti suo decimi gradus Abraham superuixisse annos quadraginta. Simulque & hoc tradit, quod usque ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex stirpe Noe, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & deo victimas immolarint, & haec esse primogenita quae Esau fratri suo vendiderit Iacob. Nec esse mirum si Melchisedec victori Abraham obuiam processerit, & in refectionem tam ipsius quam pugnatorum eius, panes vinumque protulerit, & benedixerit ei, cum abnepoti suo hoc iure deberit, & decimas praedae atque victoriae acceperit ab eo, siue (quod habeatur ambiguum) ipse dederit ei substantiam suam decimas, & auitam largitatem ostenderit in nepotem. Vtrumque enim intelligi potest, & iuxta Hebraicum, & iuxta septuaginta interpretes, quod & ipse acceperit decimas spoliatorum, & Abraham dederit decimas substantiae suae: quaequam Apostolus in epistola sua ad Hebraeos apertissime definit non Abraham suscepisse à Melchisedec decimas diuitiarum eius, sed de spolijs hostium, partem accepisse pontificem. Salem autem non ut Iosephus, & nostri omnes arbitrabantur esse Hierusalem nomen, ex Graeco Hebraicoque compositum, quod absurdum esse peregrinae linguae mixtura demonstrat, sed oppidum iuxta Scythopolim quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchisedec ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam, de quo in posteriore quoque parte Geneleos scriptum est: Venit Iacob in Socoth, id est in tabernaculo, & fecit sibi ibi domos atque tentoria, & transiit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quae est in terra Chanaan. Considerandum quoque est quod Abraham à caede hostium reuertenti, quos persecutus est usque Dan, quae hodie Pameas appellatur, non de via Hierusalem, sed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere fuerit, de quo in Evangelio quoque legimus, Erat autem Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquae erant multae ibi. Nec refert utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebraei, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum, eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur. Haec ab eruditissimis gentis illius didicimus, qui intantum non recipiunt spiritum sanctum vel angelum fuisse Melchisedec, ut etiam certissimum hominis nomen ascribant. Et reuera stultum est id quod in typo dicitur, eo quod Christi sacerdotium finem non habeat, & ipse rex & sacerdos nobis utrumque donauerit: ut simus genus regale & sacerdotale, & quasi angularis lapis parietem utrumque coniunxerit, & de duobus gregibus bonus pastor unum effecerit gregem, sic quosdam referre ad *εὐαγγέλιον*, ut historiae auferant veritatem, & dicant non fuisse regem, sed in imagine hominis angelum demonstratum, cum intantum nitantur Hebraei Melchisedec regem Salem, filium Noe Sem ostendere, ut antequam hoc scriptum sic referant: Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ei, haud dubium quin Abraham postquam reuersus est à caede Chodorlaomor, & regum qui cum eo erant in valle Sabe. Haec est vallis regis, de qua statim sequitur: Et Melchisedec rex Salem, protulit panem & vinum, & reliqua. Si ergo haec ciuitas regis est, & vallis regis, siue (ut septuaginta translulerunt) campus, quem hodie Aulonem Palaestini vocant, manifestum est hominem fuisse, qui in terrena & valle & vrbe regnauerit. Haec Hieronymus. Adde quod Augustinus libro decimosexto de Ciuitate dei, capite 22. astipulatur vltimae parti nostrae assertionis, vbi dicit Abraham post victoriam de regibus Sodomorum obtentam, fuisse benedictum à Melchisedec, qui erat sacerdos dei excelsi, de quo in epistola quae inscribitur ad Hebraeos, quam plures apostoli Pauli esse dicunt, quidam vero negant, multa & magna conscripta sunt. Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur deo, toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem, Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec, non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus quae illis vni-

Gene. 25.

Gene. 33.

Ioan. 3.

1. Pet. 2.

Ioan. 10.

Augustinus

bris praenotabantur. Et in epistola ad Innocentium papam, dicit Melchisedec prolato sacramento mensae dominicae, aeternum Christi sacerdotium figurasse. Quod autem Melchisedec sacerdos dei excelsi fuerit homo, testatur Augustinus libro vno de Haeresibus, ad quod vult Deum: vbi reprehendit Melchisedecianos, qui Melchisedec sacerdotem dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem dei arbitrabatur. Praeterea Chrysostomus oratione quarta aduersus Iudaeos, nostrae assertionis partes tuetur, vbi dicit: Sub Abraham cum nondum esset Moses, nondum scripta lex, nondum Leuiticum sacerdotium esset proditum, non tabernaculum, non templum esset, non tribus discretae, non Hierusalem extaret, quum nullus omnino in Iudaeos rerum principatum occupasset, fuit quidam Melchisedec, rex idem & sacerdos, typus enim futurus erat Christi, cuius & scriptura manifeste meminit. Quum enim Abraham irruptione facta in Persas, ac fratris filio Loth ex illorum manibus erepto, omnibus spolijs direptis rediret, hostibus virtute deuictis, hunc in modum de Melchisedec loquitur scriptura: Et Melchisedec rex Salem, obtulit panem ac vinum: erat enim sacerdos dei altissimi, & benedixit Abraham, dixitque: Benedictus es Abraham deo altissimo, qui condidit caelum & terram, & benedictus deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos sub manus tuas. Et dedit illi decimas ex omnibus Abraham. Siquis igitur prophetarum extitit, qui dicat, quod post Abraham, postquam sacerdotium illud, & haec sacrificia atque oblationes, exoriturus esset sacerdos alius, non ex illa tribu, sed ex alia, ex qua nunquam creatus est sacerdos, non secundum ordinem Melchisedec, manifestum est quod vetus sacerdotium cessauit, aliud autem nouum in illius locum inductum est. Nam si futurum erat ut vetus illud obtineret, non secundum ordinem Melchisedec, sed secundum ordinem Aaron, oportuit hoc explicare. Quis igitur hoc dicit? Hic ipse, qui de sacrificijs loquutus, de Christo differens, hoc quoque alicubi dicit: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Deinde ne quis de vulgari hominum aliquo, suspicaretur illud esse dictum, non dicit hoc Esaias neque Hieremias, neque quisquam alius propheta priuatae conditionis, sed ipse rex: ut intelligeres quod non possit hominem appellare suum dominum, sed deum solum. Nam si priuatus fuisset, fortassis aliquis improborum dixisset illum de homine loqui. Quomodo enim si de quopiam hominum haec loquutus fuisset David, dixisset quod homo à dextris confedisset ineffabilis ac summæ illius maiestatis? Hoc enim impossibile. De hoc vero ait: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Deinde ne putares eum imbecillum esse, minusque potetem: Tecum (inquit) principatus est in diebus potentiae tuae. Manifestius etiam declarans addidit, Ex vtero ante Luciferum genui te. Ante Luciferum nullus hominum fuit genitus. Tu sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Non dixit secundum ordinem Aaron. Proinde percontare Iudaeum, Si sacerdotium vetus non est antiquandum, quam ob causam induxit alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aaron? Per hoc igitur ipsum, rem euidentior reddidit. Quum enim dixisset de Christo, quemadmodum & alibi loquitur, Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec: subiunxit, de quo multus nobis sermo & enarratu difficilis. Deinde quum increpasset discipulos (dicendum est enim breuiter) ait: Quis est ille Melchisedec? Et adducit historiam quae loquitur hoc modo, Hic occurrit Abraham reuertenti à concisione regum, benedixitque illi, cui & decimas impartitus est Abraham. Post aperiens considerationem figurae, Cōtemplamini autem quantum sit iste, inquit. Hoc autem non simpliciter dixit, sed ostendere cupiens quod maius sit sacerdotium nostrum quam Iudaeorum, atque in ipsis typis praeueniens, rerum excellentia declaratur. Nam Abraham Isaac erat pater, auus Iacob, proauus Leui, siquidem Iacobi filius erat Leui. Ex Leui, sacerdotium apud Iudaeos sumpsit originem. Verum hic Abraham progenitor Leuitarum ac Iudaicorum sacerdotum sub Melchisedec, qui typum gerebat nostri sacerdotij, laici locum obti-

Augustinus

Chrystos:

Psal. 109.

Hebr. 7.

a. iij.

nuit. Idque duplici modo declarauit. Primum, quòd illi dederit decimas. Nam laici sacerdotibus dabant decimas. Deinde quòd benedictionem acceperit ab eo. Etenim laici à sacerdotibus benedictionem accipiunt. Rursum considera quanta sit excellentia nostratis sacerdotij, quandoquidem Abraham patriarcha Iudæorū, progenitor Leuitarum, comperitur benedictionem accipere à Melchisedec, illiq; dare decimas. Nam horum vtrunque narrat verus testamentum, & q̄ Melchisedec benedixerit Abrahæ, & quòd decimas ab eo acceperit. His igitur in mediū adductis, Paulus dicebat: Considerate quantus est iste. Quis? Melchisedec (inquit) cui etiam decimas Abraham ex præcipuis dedit ipsorum patriarcha. Et quidem hi qui sunt ex filiis Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent, vt decimas accipiant à populo, hoc est à fratribus suis, quanquam egressis è lumbis Abrahæ. Quod autem dicit tale est: Leuitæ (inquit) qui apud Iudæos sunt sacerdotes, mandatum acceperunt, iuxta legem, vt decimas acciperent ab alijs Iudæis, attamen omnes Leuitæ progeniti sunt ex Abraham, quemadmodum & reliquus populus, nihilominus decimas accipiunt à fratribus suis. Melchisedec verò qui non ducit originem ab illis, neque enim ex Abraham progenitus erat, neque ex tribu Leuitica, sed ex alio genere decimauit Abraham, hoc est decimas accepit ab Abraham, nec id solum, verum & aliud quiddā fecit. Quid autem hoc? q̄ eidem qui promissiones habebat, videlicet Abrahamo benedixerit. Et quid hoc (inquis) significat? quòd sacerdotium illo multo sit inferius. Quomodo? Citra omnem controuersiam quod minus est, à maiore benedictionem accipit. Itaq; nisi Abraham progenitor Leuitarum, fuisset inferior Melchisedec, nequaquam ille huic benedixisset, neque hic illi decimas dedisset. Deinde volens ostendere quòd per Melchisedec aduenerit hoc sacerdotium, subiicit dicens: Et vt ita loquar, hoc est propemodum per Abraham etiam ipse Leui, qui decimas accipiebat, decimatus est. Quid est, decimatus est? Decimas dedit Melchisedec & ipse Leui, qui nondum erat genitus per patrem ipsius, inquit: Adhuc enim in lūbis patris erat, quum occurreret Abrahæ Melchisedec. Nam ideo hoc occupans, dixit: Cuius igitur causa hæc dicebat? subiicit dicens: Si consummatio igitur erat per Leuiticum sacerdotium, populus enim sub illo legem accepit, quid opus erat deinde secundum ordinem Melchisedec exoriri alium sacerdotem, qui non dicatur iuxta ordinem Aaron? Quid autem est quod dicit: Si res (inquit) erant perfectæ quæ gerebantur apud Iudæos, neque lex erat ymbra futurorum bonorū, sed ipsa totum efficiebat, nec futurum erat, vt cuiquam alteri concederetur, neque vt sacerdotium prius cessaret, qua de causa Propheta dixit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec? dicendum enim erat secundum ordinem Aaron. Et idcirco ait, Si cōsummatio per Leuiticum sacerdotiū erat, quid deinde opus erat secundū ordinem Melchisedec exoriri sacerdotem alium, qui nō diceretur secundum ordinem Aarō? Ex hoc enim liquet, quòd illud, finē acceperit, aliud in illius locum inductū sit multo melius ac sublimius. Hoc autem euiçto, simul & illud in cōfesso est, quòd alius etiā vitæ status sacerdotio congruens, simul induendus esset, neq; non legislatio melior, nimirū nostra. Quod sanè demonstrans Paulus dicebat: Translato enim sacerdotio, necessario fit & legis translatio. Quoniam autē pleraque legalia circa sacerdotij ministerium consistebāt, prius autem sacerdotiū profulgatum est, nimirū alio in illius vicē inducto, legislationem etiā meliorem in illius locū induci oportuit. Post hæc declarans de quo hæc dicat, ait: De quo enim dicuntur hæc, alterius tribus particeps fuit, ex qua nullus vacabat altari. Manifestum est enim quòd ex Iuda exortus est dominus noster, in quā tribum nihil de Sacerdotio Moses locutus est. Quū igitur clarum sit Christum ex illa esse tribu, nimirū ex Iuda, & sacerdotē iuxta ordinem Melchisedec: porrò Melchisedec esse multo honorabiliorem Abrahamo, nimirū & illud vndiquaque cōstat, quòd etiam aliud pro alio inducitur sacerdotiū, multo quàm prius fuerat sublimius. Nam si typus talis etiam Iudaico sacerdotio splēdidior erat, multo magis ipsa veritas, quod tractās idē Apo-

Hebre. 7.

stolus dixit, Amplius adhuc manifestū est, si secundum similitudinē Melchisedec, exoritur alius rex, qui non sit iuxta legem præcepti carnalis, sed iuxta virtutē vitæ incorruptibilis, quòd nullum illius præceptū erat carnale. Nō enim oues mactare, neq; vitulos iussit, sed virtutem animi curare, & hoc pacto deum colere, & horum præmia vitam nobis designant, quæ nunquam corrumpetur. Ac rursum mortuos nos sub peccatis veniēs suscitauit, & in vitā reduxit destructa duplici morte, altera peccati, altera carnis. Quoniam igitur venit, propter hoc dicit: Non iuxta legē præcepti, sed iuxta virtutem vitæ incorruptibilis. Iam igitur & illud quod restabat demonstratum est, q̄ translato sacerdotio, legis quoque translationē fieri conueniebat. Eadem penè adnotauit Chryostomus homilia 35. in Genesim, & homilia 12. in epistolam Pauli ad Hebræos. Insuper Cyprianus libro secundo epistolarum, epistola Cecilio fratri, ostendit Melchisedec gessisse typum dominici sacramenti, dicens: In sacerdote Melchisedec, sacrificij dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur, & dicit: Et Melchisedec rex Salem, protulit panem & vinum, fuit autem sacerdos dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedec typum Christi portaret, declarat spiritus sanctus in psalmis ex persona patris ad filium, dicens: Ante Luciferum generavi te: Iurauit dominus & non poenitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Qui ordo vtrique hic est de sacrificio illo veniēs, & inde descendens, quòd Melchisedec sacerdos dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam qui magis sacerdos dei summi, quàm dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.

CAPVT III.



Moyse adoptatus à filia Pharaonis, liberavit filios Israel. Vtranque huic Assertionis partem ex veteri Testamēto affirmabimus. Et in primis supponemus quod nemo inficiabitur, illum adoptari ab altero, qui licet sit extraneus, tamen ab eo in filium vel nepotem assumitur: quod certe fecit filia Pharaonis, quæ misera Moyse in flumen proiecti, eum loco filij habuit & educauit, vt aperte monstrat Exodus, in cuius 2. capite scriptum est: Egressus est post hæc vir de domo Leui & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegātem, abscondit tribus mensibus. Cūque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius & considerante euentum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens cernensque in ea paruulum vagiētem, misera eius ait: De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri, Vis (inquit) vt vadam & vocem tibi mulierem Hebræam, que nutrire possit infantulum? respondit, Vade. perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis, accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultūque tradidit filia Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitq; nomen eius Moyse, dicens: Quia de aqua tuli eum. Huic subscribit veritati Origenes homilia 2. super Exodum, edisserens hanc historiam immēsis repletam mysterijs, vbi dicit, Puto filiam Pharaonis, Ecclesiam quæ cōgregatur ex gentibus videri posse, quæ quanuis impium & iniquum habeat patrem, tamen dicitur ad eam per prophetam: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, quia cōcupiuit rex speciem tuam. Hæc ergo est quæ exijt de domo patris, & venit ad aquas, vt lauaretur à peccatis quæ contraxerat in domo patris sui. Denique statim viscera misericordiæ suscipit, & miseratur infantem. Hæc ergo Ecclesia ex gentibus veniens, in palude inuenit iacentem Moysem, abiectum

Cyprianus.

Psal. 109.

Exo. 2.

Origenes.

Psal. 44.

à suis, & expositum dat eum nutrici, & nutritur apud suos, ibi agit infantiam. Cum autem fortior factus est, tunc inducitur ad eam, & adoptatur in filium. Moyses autem quia lex appellatur, in multis locis iam saepe differtur. Veniens ergo Ecclesia ad aquas baptismi, suscepit etiam legem, quae tamen lex erat intra tibim conclusa, pice & bitumine oblita. Tibis genus est tegminis ex virgibus, aut ex papyro contextum, vel etiam ex arborum cortice formatum, intra quod iniectus infans videbatur expositus. Iacebat ergo lex conclusa intra huiusmodi tegmina, & pice ac bitumine oblita, vilius & terreis Iudaeorum sensibus sordebat obseptis, vsquequo Ecclesia veniret ex gentibus, & adsumeret eam de luteis & palustribus locis, atque intra sapientiae aulas & regalia tecta conscisceret. Haec tamen lex infantiam suam apud suos transigit. Apud illos enim qui spiritaliter eam intelligere nesciunt, paruula est & infans, & lactentium habens cibos. Cum vero ad Ecclesiam venit, cum Ecclesia ingreditur domum, fortior est & validior Moyses: amoto enim velamine litera, perfectus in lectione eius cibus, & solidus inuenitur. Quid tamen est quoddam & mercedem nutrimentorum à filia percipit Pharaonis, illa apud quam lex & nata est, & nutrita? Quid est quod synagoga accipit de Ecclesia? Puto illud intelligi posse, quod idem Moyses scribit, dicens: Ego in non gentem, in aemulationem vos inducam, in gentem insipientem, in ira vos concitabo. Et synagoga ergo de Ecclesia istud mercedis accepit, ut ultra idola non colat. Videns enim eos qui ex gentibus sunt, ita ad deum conuersos esse, ut ultra idola nesciant, deum praeter vnum neminem venerentur, ipsa erubescit, idola ultra iam colere: istud ergo recipit beneficij de Ecclesia synagoga, quod ei paruulam nutrifse visa est legem. Sed & nos etiam si Pharaonem habuimus patrem, etiam si nos in operibus malis genuit princeps huius mundi, cum venimus ad aquas, assumamus ad nos legem dei, nec nobis sordeat litera eius vile tegmen & obscurum, quae parua eius sunt, & lacteria concedamus: quae perfecta & valida sunt, sumamus, atque haec intra cordis nostri tecta regalia collocemus. Grandum & validum habeamus Moysen, nihil de eo paruulum, nihil humile sentiamus, sed magnificum totum, totum egregium, totum elegans. Totum enim magnum est, quicquid spiritale, quicquid sublimis intelligentiae. Et oremus dominum Iesum Christum, ut ipse nobis reuelet, & ostendat quomodo magnus est Moyses, & quomodo sublimis. Ipse enim reuelat quibus vult per spiritum sanctum. Hanc quoque historiam abunde pertractans Iosephus libro 2. antiquitatum Iudaicarum, capite 9. dicit nomen impositum esse Moyse secundum euentum rerum, eo quod de flumine sit saluatus. Aquam enim Moy Aegyptij vocant, Eris vero saluatus. Componentes itaque hoc ex ambobus, Moyses ei nomen imposuerunt, id est ex aqua saluatus. erat autem in eo infantilis multa gratia, & excellenter circa eum ac decenter existens, retinebat insipientes. Hunc ergo cum talis esset, Thermut filia regis sibi filium adoptauit, cum sobolem legitimam non haberet. Et cum aliquando portasset Moysen ad patrem, ostendebat eum, quasi de successione cogitaret, si voluntate dei proprium filium non haberet, dicebatque, nutriuui infantem forma diuinum & prudentia valde fortissimum, mirabiliterque de fluminis gratia condonatum: quem meum quidem decreui filium esse, tui vero imperij successorem. Haec dicens, posuit in manibus patris infantem, ille vero sumens eum, & ad pectus applicans, per amorem pro filia gratia imposuit ei diadema. Moyses autem conuolens illud proiecit in terram, quasi per infantiam, calcauitque suis pedibus, quod regi ferre videbatur augurium. Dicit etiam Ambrosius libro 1. Hexaemeror., capite 2. filiam Pharaonis Moysen de flumine collectum, ut filium dilexisse, quem subsidijs regalibus fultum, omnibus secularis prudentiae disciplinis informari atque instrui desiderauit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum, quod ex aqua constarent omnia, ut Thales dixit. Et cum esset in aula educatus regia, maluit tamen pro amore iustitiae subire exilium voluntarium, quam in tyrannidis fastigio peccati perfunctionem delicijs acquirere. ¶ Secundam Assertionis partem ex his quae in

Deuter. 32.
& Ro. 10.

Iosephus.

Ambrosius.

Exodo scripta sunt, suadebimus: Cum dominus pro sua animi benignitate apparisset Moysi in flamma ignis de medio rubi, & occultasset ille suam faciem attonitus tanti luminis splendore, dixit ei: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui praesunt operibus. Et sciens dolorem eius, descendendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quae fluit lacte & melle, ad loca Chananei & Ethiei, & Amorrei, & Pherezei & Euei & Iebusei. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum qui ab Aegyptijs opprimuntur. Sed veni & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Aegypto. quod sane contigit, quando Moyses extendit manum suam super mare, & diuisis aquis pertransierunt filij Israel mare rubrum, quos cum persequeretur Aegyptij, in medijs fluctibus naufragio perierunt. Insuper Augustinus libro 16. de Ciuitate dei, capite 43. vtrique parti huiusce assertionis fauet, ubi ita scribit: Defuncto Iacob, defuncto etiam Ioseph, per reliquos centum quadraginta quatuor annos, donec exiretur de terra Aegypti, in modum incredibilem illa gens creuit, etiam tantis attrita persecutionibus, ut quodam tempore nati masculi necarentur, cum mirantes Aegyptios nimia populi illius incrementa terrerent. Tunc Moyses subtractus furto trucidatoribus paruulorum, ad domum regiam ingentia per eum deo preparante peruenit, nutritusque & adoptatus à filia Pharaonis, quod nomen in Aegypto omnium regum fuit, in tantum peruenerit virum, ut ipse illam gentem mirabiliter multiplicatam ex durissimo & grauissimo, quod ibi ferebat, iugo seruitutis extraheret, imò per eum deus, qui hoc promiserat Abraham. Prius quippe exinde ad terram Madiam fugisse refertur, quod cum Israelitam defenderet, Aegyptium occiderat, & territus fugeret: postea diuinitus missus in potestate spiritus dei superauit resistentes Pharaonis magos. Tunc per eum Aegyptijs illatae sunt decem memorabiles plagae, cum dimittere populum dei nollent, aqua in sanguinem versa, ranae & cynifes, cynomyia, mors pecorum, vlcera, grando, locusta, tenebrae, mors primogenitorum. Ad extremum Israelitas quos plagis tot, tantisque perfracti tandem aliquando dimiserant Aegyptij, in mari rubro, dum persequuntur, extincti sunt: illis quippe abeuntibus diuinitum mare viam fecit, hos autem insequentes, in se rediens vnda submersit. Deinde per annos quadraginta duce Moyse, dei populus per desertum actus est, quando tabernaculum testimonij nuncupatum est, ubi deus sacrificijs futura praenuntiantibus colebatur, cum scilicet iam data lex fuisset in monte multum terribiliter. Attestabatur enim euidentissima mirabilibus signis, vocibusque diuinitas. Quod factum est mox ut exitum est de Aegypto, & in deserto populus esse coepit, quinquagesimo die post celebratum pascha per ouis immolationem, quae vsque adeo typus Christi est, praenuntians eum per victimam passionis de hoc mundo transiturum ad patrem (pascha quippe Hebraea lingua transitus interpretatur): ut iam cum reuelaretur testamentum nouum, posteaquam pascha nostrum immolatus est Christus, quinquagesimo die veniret de caelo spiritus sanctus, qui dictus est in Euangelio digitus dei, ut recordationem nostram in primi praefigurati facti memoriam reuocaret, quia & legis illa tabula digito dei scripta referuntur. Et sermo. 86. de tempore differens mysteria natiuitatis Moyse dicit: Moyses à muliere Iudaea nascitur, & à Pharaonis filia adoptatur: filia enim Pharaonis Ecclesia figurauit, quae exierat de domo patris sui, & veniebat ut lauaretur ad aquam: Pharaon in diaboli typum accipitur, filia eius Ecclesia intelligitur. Quod autem pater eius diabolus antea fuerit, dominus in Euangelio Iudaeos increpans, ait: Vos ex patre diabolo estis. patrem ergo diabolum habuimus, non ex eo nascendo, sed nequitas illius imitando. Exierat ergo filia de domo patris sui, quae quauis impium habuerit patrem, attamen ei dicitur per prophetam: Audi filia & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Qui dicit, audi filia, pater est: & ille qui admonetur obliuiscendus, pater nihilominus nominatur, ac sic deus pater admonet, ut diabolum patrem debeat derelinquere. Haec ergo est

Exo. 32

Exo. 14.

Augustinus,

Exo. 7. 8. 9.

Exo. 10. 11.

Exo. 16.

Exo. 24.

1. Corin. 5.

Acto. 2.

Luc. 11.

Ioan. 8.

Psal. 44.

Ecclesia, quæ exijt de domo patris sui diaboli, & ad aquam, id est ad aquam baptifmi festinauit, vt lauaretur à peccatis quæ in domo patris sui contraxerat. Denique statim viscera misericordiæ accipere meruit, & collegit Moysen à parentibus suis proiectum in flumine. Moyses ergo à matre sua proiectus, & à Pharaonis filia inuenitur atque colligitur: & Christus dominus à synagoga de qua natus est, repudiat, & ab Ecclesia suscipitur.

CAPVT IIII.

Moyses occidendo Aegyptium non peccauit.] Hanc suadeo Assertionē: Moyses diuino numine afflatus, & diuinitus inspiratus, intellexit se vlturum iniurias suis fratribus ab ipsis Aegyptijs illatas: quamobrem cū occidit Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis, non deliquit, sed fecit quod deus fieri volebat: quod planè indicat Stephanus, in Actis Apostolorum, dicens: Cum vidisset Moyses quendam iniuriā patientem, vindicauit illū, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percussio Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam deus per manum ipsius daret salutem illis, at illi nō intellexerunt. quare per hoc testimonium videtur Moyses iam diuinitus admonitus hoc audere potuisse, vt dicit Augustinus quæstione 2. super Exodum. Fauet & nostræ Assertioni Lyranus, enarrans illum Exodi locum, Percussum Aegyptium abscondit sabulo: vbi dicit Moysen ex diuina electione ad liberationem Hebræorum habuisse autoritatē vindicandi iniurias eis factas, & hoc sciebat per reuelationem diuinam. Nec aliter id putat persuasum iri, quàm ex Stephani testimonio, quod efficacissimum esse censent omnes. Nec solum Moyses interfecit Aegyptium pro simplici percussione, sed etiam pro adulterio fraudulenter commisso. ¶ Verum dicit aliquis, Augustinus huic assertioni aduersatur lib. 22. contra Faustum Manicheum, capite 70. dicens: Cum Moyses percussisset Aegyptiū, quanquam illi deus non præciperet, in persona tamen prophetica ad hoc diuinitus fieri permiffum est, vt futurum aliquid præsignaret: vnde nunc non ago, sed omnino tanquam nihil significauerint facta illa discussio, consultaque illa æterna lege, reperio non debuiffe hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quanuis iniuriosum & improbum, occidi. Veruntamen animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic enim & agricola quam terrā viderint, quanuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant: & vbi silicem aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt: & quem mōtem oleastris syluescere aspexerint, oleis esse vtilissem, cultura accedente, non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem, non obseruato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Ipse denique per angelum suum diuinis Moysen vocibus euocauit in mōtem Sina, per quem liberaretur ex Aegypto populus Israel, eūmq; miraculo visionis in rubo flāmante & non ardēte, verbisq; dominicis ad frugem obediētiae præparauit, qui etiam Saulum Ecclesiam persequentem de cælo vocauit, prostrauit, erexit, impleuit: tanquam percussit, amputauit, inseruit, fecundauit. Illa namque Pauli sæuitia, cum secundum æmulationem paternarum traditionum persequeretur Ecclesiam, putans officium deo face-re, tãquam syluestre erat vitium, sed magnæ feracitatis indicium. Hinc erat etiam illud Petri cum euaginato gladio, volens defendere dominum, aurem persecutoris abscedit, quod factum dominus satis minaciter cohibuit, dicens: Reconde gladium, qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet. Ille autem vritur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam vtique dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat vt ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est

Exo. 2.

Acto. 7.

Exo. 2.

Lyranus.

Augustinus

Exo. 3.

Acto. 9.

Gala. 1.

Matth. 26.

Lucæ 22.

pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius synagogæ: Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit, vterque odio improbitatis alienæ: sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Resecandum hoc vitium vel eradicandum, sed tamen tam magnum cor, tanquã terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum. In eadem persistit sententia Augustinus quæstione 2. super Exodum, & reddit rationem quare Moyses in tali facto deliquit. Quia nullã adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam diuinitus, nec humana societate ordinatam. Paucis tamen nitar satisficere argumentis Augustini, quæ in vnũ & eundem scopum tendunt. Quod Moyses non habuerit à deo potestatem enecandi Aegyptium & vlticendi iniuriam suis fratribus illatam, negamus: & ad faciendam fidem huiusce rei, quod scilicet donatus fuerit illa potestate etiam deo id volente, protulimus incõcussum Stephani testimonium. Possum etiam dicere neminem obstringi in re problematica, & quæ vtrinque absque fidei periculo defendi potest, acquiescere opinioni Augustini. Adde quod Ambrosius libro 1. Hexæmeron, capite 2. videtur idem Moysi factum excusare, dicens: Moyses priusquam ad populi liberandi munus vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, accipiētem iniuriam de popularibus suis vltus inuidiæ sese dedit, voluptatiq; eripuit, atque omnes regiæ domus declinans tumultus, in secretum Aethiopiæ se contulit, ibique à cæteris negotijs remotus, totum diuinæ cognitioni animum intēdit, vt gloriam dei videret facie ad faciem, cui testificatur scriptura, Quia nemo surrexit amplius propheta in Israel sicut Moyses, qui sciuit dominum facie ad faciem, non in visione, neque in somnio, sed ore ad os cū deo summo locutus, neque in specie, neq; per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentia diuinæ dignatione donatus.

CAPVT V.

Moyses typus Christi, quadraginta diebus ieiunauit.] Priorē huiusce Assertionis partem ex Ecclesiasticis doctoribus desumemus. Siquidem Augustinus sermone 49. de Verbis domini dicit Christū se figurasse in persona Moysi. Etenim personam eius gerebat Moyses, & velum ante se ideo ponebat, quando loquebatur populo, quia quandiu illi in lege carnalibus gaudijs & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamē positum erat contra faciem eorum, ne viderent Christum in scripturis: ablato enim velamine posteaquã passus est dominus, visa sunt secreta templi. Ideo cū in cruce penderet, scissum est velū templi à summo vsque deorsum. & aperte dicit Apostolus Paulus: Cū autem transieris ad Christū, auferetur velamen. Qui autē non transierit ad Christum, quauis legat Moysen, velamen positū est super cor eius, sicut dicit Apostolus. Et sermone 86. de tēpore asserit Moysen typum Christi prætulisse. sermone etiã 106. dicit in Mose & Helia qui apparuerunt in excellentissima Christi transfiguratione, legem & prophetiam significatas esse. Moyses vt arbitror gessit in lege typum Christi: Helias verò in prophetia. nec solum Moyses gessit typum Christi, sed etiam populi Iudæorum, in Christum passum postea credituri, vt idem Augustinus testatur in Epistola Paulinæ, de videndo deo. Tum etiam Chrysostomus, sermone de Sancto spiritu, edisserens quod dicebat Moyses deo: Non possum solum ferre pondus huius populi, ordina alium: cui tamen dixit dominus, Elige septuaginta seniores, & accipiam de spiritu qui in te est, & dabo super eos: offendit Moysen fuisse figuram Christi. Si deus (inquit) à Mose accipiens mutuatus est, spiritum à filio accipiens mutuatus est. Etenim Moyses figura erat Christi. Quia sicut à Mose septuaginta fuerunt impleti, ita & à Christo orbis terrarum accepit spiritum sanctum. De meo accipiet, ex his quæ mihi suppeditauit homini dominico, sumet sibi qui dedit. Qui venit super me, & mansit in me, qui vnxit me, qui sanctificauit me, qui duxit me in desertum, qui reduxit me victorem, de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Asserit & Tertullianus, libro 2. aduersus Marcionem, Christum in per-

Ambrosius

Deuter. 34.

Augustinus, Exo. 34.

Matth. 27. 2. Corin. 3.

Matth. 17. 3.

Chrysosto.

Num. 11.

Tertullianus

Cyrrillus. fona Moyfi fuisse figuratum. Præterea Cyrrillus libro 8. contra Iulianum, manifeste ostendit Mosen præfigurasse Christum, vt agnum oblatum in sacrificium pro redemptione humani generis: Qui (inquit) ex Abraham nati sunt, Isaac inquam & Iacob, & qui etiam post illos, vsque ad sapientissimum Moysen, multiphariam multisque modis sacramenti virtutem sub ænigmate didicerunt. Idcirco Moyses præfigurabat illud, quum præcepisset in Aegypto carnalibus Israelitis sacrificare quidem agnum, in figuram Christi, inungere autem sanguine postes, & per solam vmbra docebat exterminatorem placari, id quod & factum est, & faciebat potentiores corrupti, eratque ille parvus veritatis typus. Quin & Naue filius cognomen habens veri Iesu: nam transiit per Iordanem filios Israel, & circumcidit cultellis petrinis, introduxitque in terram promissionis. Vide post illum & optimum inter prophetas Samuelem agnos quidem sacrificare, & in odorem suauitatis deo consecrare, aquam sacrificijs superinfundere, & abortis bellis innumera alienigenarum turba Iudæam populante, sine prælio vincere & periclitantes seruare. Saluare enim Christi sacramentum omnibus qui in ipsum credunt. Præterea & omnis sanctorum prophetarum chorus antea clamabat, propterea diuinus Dauid quum promittens deus, diceret: De fructu lumbi tui ponam super sedem tuam, quia omni modo euerturum quod promissum erat confidebat. incarnationis modum annuntiat, dicens aliquando quidem: Deus manifeste veniet, deus noster, & non silebit: aliquando autem iterum ad ipsum: Sedes tua deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. propterea vnxit te deus, deus tuus præ omnibus consortibus tuis. Existimat & Ireneus libro 3. aduersus hæreses Valentini, capite 29. virgam Moyfi fuisse typum Christi: Propter hoc (inquit) & Moyses ostendens typum, proiecit virgam in terram, vt ea incarnata omnem Aegyptiorum præuacationem quæ insurgebat aduersus dei dispositionem, argueret & absorberet, & vt ipsi Aegyptij testificarentur quoniam digitus est dei, qui salutem operatur populo, & non Ioseph filius. Si enim Ioseph filius esset, quemadmodum plus poterat quam Salomon, aut plus quam Iona habere, aut plus esse Dauid, cum esset ex eadem seminatione generatus, & prole existens ipsorum? vt quid autem, & beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret esse filium dei viui? Super hoc autem nec rex esse posset, si quidem Ioseph filius fuisset, nec hæres, secundum Hieremiã. Ad hæc Hieronymus libro 2. aduersus Iouinianum, dicit Mosen & Heliã typum propria legis prophetarumque monstrasse. Nam (vt norunt omnes) ex Moïayca erat vmbra & figura legis Euangelicæ, quam Christus docuit & instituit. ¶ Posteriorẽ Assertionis partem ex his quæ in Exodo comperiuntur manifestã reddemus. Præcepit dominus Mosi, vt ascenderet in montem Synai, vbi recepit tabulas lapideas, legem ac mandata quibus docuit filios Israel. sed antequam sublimia legis mysteria intellexisset, eiq; dominus expressisset quidnam esset agendum, & quæ populo Israelitico loqueretur, vt vnum verum deum coleret, stetit in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, absque cibo & potu. & post diuturnam carnis emaciationem, ac austerum ieiunium cum domino familiariter colloquutus, nouit quæ Hebræis debuit præcipere ad maximam eorum vtilitatem spectantia. verum cum indigni essent illi, vt agnosceret mysteria quæ in illis tabulis continebantur, in contemptum & horrorem conflatu vituli, quem filij Israel impudentissime colebant, primas tabulas perfregit: dominus tamẽ salutis sui populi amantissimus, & erga suos clementissimus, præcepit Mosi ob tã graue scelus admissum succensio, vt præcideret duas tabulas lapideas instar priorum, & scriberet super eas verba quæ in tabulis contractis continebantur: quod certe fecit Moyses, vltro domini iussis obtemperans, cum quo stetit super verticem montis, ibiq; quadraginta diebus & noctibus fuit ieiunus, & ab omni cibo & potu abstinuit. Dissertens Hieronymus libro 2. aduersus Iouinianum de admiranda huiusce ieiunij virtute, quam dominus deus maximopere commendauit, sic scribit: Moyses quadraginta diebus, & noctibus ieiunus in monte Si-

na, etiam tunc probans non in pane solo viuere hominem, sed in omni verbo dei, Deuter. 8. cum domino loquitur, populus autem satur idola fabricatur: ille vacuo ventre legem accipit scriptã digito dei, iste manducans & bibens, confurgensq; ludere, aurum constat in vitulum, & Aegyptium bouem præfert domini maiestati. Tot dierum labor, vnus horæ saturitate perit. frangit audacter Moyses tabulas, sciebat enim dei sermonem non posse audire temulentos: incrassatus est & pinguefactus & dilatatus, & recalitrauit dilectus, & dereliquit dominum, qui fecerat eum, & abcessit à deo salutari suo. Vnde & in eodem Deuteronomio præcipitur: Ne cum manducaueris & biberis, & domos opimas ædificaueris, ouibus & bobus tuis multiplicatis, & argenteo & auro extollatur cor tuum, & obliuiscaris domini tui. Denique manducauit populus & incrassatum est cor eius, ne videret oculis & audiret auribus, & corde conijceret. Et vultum ieiunantis Moyfi, & iuxta Hebræicam veritatem dei confabulatione cornutum, pastus & pinguior populus sustinere non potuit. Quamobrẽ & dominus noster atque saluator, non ob differentiam virginitatis & nuptiarum (vt quidam putant) sed ob ieiuniorum consortia, Moysen & Heliã transfiguratus in monte secum ostendit in gloria. Et ne quis calumniando audeat dicere: His verbis, Moyses quadraginta diebus & noctibus panem non manducauit, & aquam non bibit, nõ exprimi ieiunium: adducam aduersus eum, quod scribit Augustinus quæstione 165. super Exodum, Cum autem ait scriptura, panem non manducauit & aquam non bibit, intelligitur vt dicit Augustinus, ieiunauit: à parte totum, id est nomine panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum significante scriptura. Et sermone 65. de Tempore, in quo miris encomijs extollit ieiunium, dicit: Moyses primus quadraginta diebus ac noctibus cum ieiunasset, legem domini accipere meruit, per quam populis imperaret: impetrauerunt vnus hominis ieiunia, quod totius mundi saturitas desperauerat. Aduertamus ergo quanta sit inter ieiunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æstuantem. Moyses ergo quia ieiunauit, dominum vidit: populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus est. Sed quid de Moyse & Israelitica multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adã, quãdiu ieiunauit, seruans mandatum, in paradiso fuit: vbi verò comedit, eiectus est de paradiso. Et qui in paradiso dei, virgo fuerat: eiectus de paradiso, cognouit vxorem. Semper enim iuncta est saturitati lasciuia. Vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de paradiso cibus, reducat efuries, reducat ieiunium. Diximus ergo quid sanctus Moyses meruit ieiunando, deinde & cunctos videamus. Sancto Heliã ieiunanti etiam elementa famulata sunt. Hic denique tribus annis & sex mensibus cælum clausit. Ad cuius vocem etiam supernum descendit incendiũ. Et cum eum Iezabel regina vellet occidere, & fessus sub arbore frondosa iaceret in solitudine, angelus ad eum mittitur, & dicit ei: Sume paululum panis & aquæ. Videte quãta sit dei clementia erga ieiunantes, charissimi. Non sufficiebat quia angelum ad ieiunantem dominus miserat, qui eum vt cibum sumeret, iuberet: sed etiam præcepit, vt longius fugiat persequentem, ait ergo: Sume paululum panis & aquæ. Quadraginta enim dierum ieiunio perrecturus erat per desertum, vsque ad montem Sina. Nunquid enim dominus qui cælum & terram fecerat, cuius omnis est creatura, non potuit in Eremo per angelum prædium mittere, sicut Danieli in lacum leonum per Abacuc misit? Sed sciebat deus prophetam suum, tentantem diabolus aliter superare non posse, ni ieiunij eruditus insidiarum inimici tentamenta repelleret. Proferã & quæ scripsit Chryostomus non minus scite quam disertè, homilia 1. in Genesim de ieiunio Moyfi: Quadraginta (inquit) dies cum ieiunasset magnus Moyses, tabulas in quibus leges lætæ, accipere potuit. & quoniam vt descendit, vidit populi iniquitatem, quas cum ieiunio tanto accipere potuit, eas abiectas cõtriuuit, absurdum esse censens, ebrium & præuacatorem populum leges à domino conditas accipere. quapropter denuo quadraginta dierum ieiunio opus habuit, vt tabulas propter iniquitatem contritas,

Deuter. 8.

Matth. 4.

Deuter. 32.

Deuter. 8.

Exo. 34.

Matth. 17.

Augustinus

Gene. 3.

Gene. 4.

3. Reg. 17.

3. Reg. 18.

3. Re. 19.

Ibidem.

Danie. 6.

Chryostom.

4. Reg. 2. iterum receptas superne deportaret. Tot dierum ieiunium, & magnus Helias egit, & fugata mortis tyrannide, & curru igneo quasi in caelum ascendens, etiam vti que in hunc diem mortem non est expertus. Vir quoque desideriorum peracto multorum dierum ieiunio admirandam visionem nactus est, & leonum furorem contempserunt, & in ouium mansuetudinem vertit, non naturam commutans, sed feritate manente appetitum mutatum cohibens. Hoc ieiunio & Niniuita vti, sententiam domini reuocarunt, efficientes vt tam iumenta quam homines illud suscipere, & sic abscedentes vnusquisque a malis studijs, ad clementiam vniuersorum dominum prouocarunt. Et quid circa seruos verborum? Etenim possemus & alios plurimos commemorare, & in veteri, & in nouo testamento habitos per illud probatos. Verum operepretium est, vt ad communem nostri omnium dominum veniamus. Dominus enim noster Iesus Christus, & ipse quadraginta dierum ieiunio declarato, sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dās, vt per illud armemur, & ex illo robur sumamus, ac sic aciem in praelio contra illum instruamus. Porro hic fortassis dixerit quispiam eorum qui acutius vident, & exercitatio animo sunt: Quare totidem quot serui dies, dominus ieiunare videtur, & numerum illum non transcendit? Non hoc temere, neque frustra, sed etiam hoc sapienter, & pro indicibili illius benignitate factum est, nempe ne existimetur apparenter tantum aduenisse, & non assumpsisse carnem, vel extra humanam esse naturam: propter hoc, illum ipsum numerum ieiunat, & non apponit alios his diebus, sic volens contentiosorum obturare impudentiam. Adde quod Tertullianus commendans, libro de Resurrectione carnis, praecleara ieiuniorum Moyse & Heliae facinora, dicit: Quadraginta diebus Moyse & Helias ieiunio functi, solo deo alebantur, iam tunc enim dedicabatur: Non in pane viuit homo, sed in dei verbo. Ecce virtutis futurae lineamenta. Nos quoque vt possimus, os cibo excusamus, etiam sexum a congressione subducimus. Quot Spadones volutarij? quot virgines Christi maritate? quot steriles vtriusque naturae infructuosas genitalibus structi? Nam & si hoc iam vacare est, & officia, & emolumenta membrorum temporali vacatione, vt in temporali dispositione, nec homo tamen minus saluus est. Proinde homine saluo, & quidem magis, tunc vt in aeterna dispositione magis non desiderabimus quae iam hic non desiderare consueuimus. Ad haec, Cyprianus in sermone de Ieiunio & tēratione, ostendit quidnam Moyse sanctissimo quadraginta dierum ieiunio promeruerit: Moyse (inquit) in monte quadraginta diebus cum domino perseverans, & dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abstinens in Eremito conuersatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clarius patuit, & a multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia praecessisset. Quoties aliquid a deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuere, & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicij carni haerentibus supplices beneficia postularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes dei sacrificium contriti cordis offerens se prostravit humilitas, sed prope fuit inuocantibus se deus, & porrexit manum naufragis, & subuenit afflictis. Si Moyse & Aaron, & Samuelem hodie haberet Ecclesia, cum inuocarent exaudirentur, & orantibus Iob, & Noe, & Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees qui perfodiat impudicos, rarus Moyse qui occidat sacrilegos, rarus Samuel qui inobedientes lugeat, rarus Iob qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat, rarus Aaron qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat, rarus Noe, qui his quibus submersio imminet arcam bitumine litam prouideat: flens cum Apostolo dico inimicos crucis, qui terrena sapiunt, magistratus quorum deus venter est: qui in his quae dicere nefas est, impudentes latantur & gloriantur. Insuper dicit Ambrosius libro vno de Helia, & ieiunio: Moyse de ieiunio legem dedit, de vino non dedit: ipsum quoque ieiunantem non voces magna, non fulgura, & nu-

Iona 3.

Matth. 4.

Tertullian 9

Deuter. 8.

Cyprianus.

Psal. 144.

Ezech. 14.

Nume. 15.

Exo. 2.

1. Reg. 15.

Iob. 1.

Exo. 7.

Gene. 6.

Philipp. 1.

Ambrosius.

bes nymbose, non fumigans Sina perterruit, neque verò introisset in nubem, & vocem dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset. Quadraginta enim diebus ieiunauit in monte, cum legem acciperet a domino deo nostro. Et in superioribus quidem montis, lex dabatur Moyse ieiunanti: in inferioribus, populo manducanti prauaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyse, indignum iudicans, vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.

CAPVT VI.

Moyse antequam iungeretur Aethiopiae, videbat deum in aenigmatate: postquam autem ei iunctus est, non vidit in aenigmatate, sed in specie.] Haec Origenis est Assertio homilia septima, super Numeros. Et ne cupiam videatur vir ille doctissimus & recoditae admodum doctrinae, id absque argumento dixisse, proferemus locum ex quo suam probationem desumpsit. Locuti sunt Aaron, & Maria contra Moyse, propter vxorem eius Aethiopiā, & dixerunt: Num per solum Moyse locutus est dominus? Nonne & nobis similiter est locutus? Quod cum audisset dominus, iratus est valde. Erat enim Moyse vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Statim locutus est dominus ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum foederis. Cūque fuissent egressi, descendit dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron, & Mariam. Qui cum essent, dixit ad eos: Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyse, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei. Palam & non per aenigmata & figuras, dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moyse? Iratusque contra eos abiit: nubes quoque recessit quae erat super tabernaculum. Hanc Origenes edisserens historiam dicit: Veruntamen Moyse priusquam acciperet Aethiopiā, non est scriptum quia in specie locutus sit ei deus, & non in aenigmatate: sed vbi accepit Aethiopiā, tunc dicit de eo deus, quia os ad os loquar ad eum, in specie, & non in aenigmatate. Modo enim cum Moyse venit ad nos, & coniunctus est huic nostrae Aethiopiae, lex dei iam non in figuris, & in imaginibus sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur: & quae prius in aenigmatate designabantur, nunc in specie, & veritate complentur. Et ideo ille qui species figurarum, & aenigmatum disserere dicit: Scimus autem quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Vides quomodo aenigmata legis Paulus absoluit, & species aenigmatum docet, & dicit quia petra in aenigmatate erat apud Moyse, antequam iungeretur huic nostrae Aethiopiae. Nunc in specie Petra Christus. Nunc enim os ad os loquitur per legem Deus. Antea in aenigmatate fuit baptisus in nube, & in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua, & in spiritu sancto. Tunc in aenigmatate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi dei est verus cibus, sicut ipse dicit: Quia caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Sic ergo iam nunc Moyse apud nos positus & huic Aethiopiae coniunctus, vel ipse ad nos, vel deus ad ipsum, non loquitur in aenigmatate, sed in specie. His autem additur: Et gloriam (inquit) domini vidit. Quando vidit Moyse gloriam domini? Ego tunc dico, quando transformatus est dominus in monte, & aderat ei Moyse cum Elia, & colloquebantur ei. Et ideo recte in consequentibus adiungit: Et quare non timuistis detrahere famulo meo Moyse? Quod euidenter vti que ad eos dictum dirigitur, qui Euangelia quidem suscipere videntur, derogant autem Moyse, & merito arguuntur: quia

Origenes.

Nume. 12.

1. Corin. 10.

Ioan. 3.

Exo. 16.

Ioan. 6.

b. j.

Matth. 17. cum discant per Euangelium, quod Moyses vna cum Helia vidit gloriam domini, legi & prophetis ausi sunt derogare. Et ideo nos no detrahimus Moysi, nec derogemus legi, sed simus non solum auditores legis, sed & factores, vt cum ipso Moysē conglorificari mereamur. Ego autem puto quod & illi materiam praesentant ad derogandum Moysi (qui verbi causa) cum legitur liber Leuitici, vel lectio Numerorum, non ostendunt quomodo haec, quae in aenigmate scripta sunt, intelligi per speciem debeant, id est qui non spiritualiter ea quae in lege leguntur, exponunt. Necessario enim qui audiunt ritum sacrificiorum, & sabbatorum obseruantiam, vel ceterorum similium quidpiam, in Ecclesia recitari, offenduntur & dicunt: Quid hoc necesse est in Ecclesia legi? Quo nobis profunt praeccepta Iudaica, & spreti populi obseruantiae? Haec Iudaeorum sunt, & Iudaei de his viderint. Ne ergo huiusmodi offencula auditoribus accedant, danda opera est ad scientiam legis, & secundum hoc quod spiritualis est lex, intelligenda & explananda sunt omnia quae leguntur, ne doctorum causa, immo desidia & negligentia ab imperitis & indoctis derogetur Moysi, sed conuertamur ad dominum vt auferat a nobis velamentum literae, vt non nobis deformis vultus Moysi, sed gloriosus & decorus appareat, ita vt non solum non obtrectemus, sed & pro magnitudine sensuum laudem ei & gloriam conferamus. Et licet Origenes fateatur Moysen vidisse deum in specie, postquam coniunctus est Aethiopiis, non tamen ex eo arbitrandum est Moysen vidisse deum in specie propria, & sicuti est, dum hic peregrinaretur, vt abunde docuimus libro quarto nostrae Theosophiae, capite primo, sed solum vidit deum in specie subiectae creaturae. Aut vidit in ea specie quam voluntas dei elegit, non natura formauit. Vidit etiam in ea specie, qua dominus voluit ei apparere, licet ei non apparuerit in natura propria, quam tamen summopere cupiebat videre. Adde quod Moyses ex eo censetur vidisse deum palam & in specie, quod propinquius quam ceteri, ad diuinitatis aditum, per quamdam similitudinem in eius mente angelico ministerio efformatam, accesserit. Quod autem non viderit deum in specie propria, & vt beati cum conspiciunt clare &lympide, eiusque gloria permanenter fruuntur, ostendam facile ex eo quod in Exodo scriptum est. Cum enim auide cuperet Moyses dei gloriam intueri, dixit ei dominus: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet. Et iterum, Ecce (inquit) est locus apud me, & stabis supra petram. Cūque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, & protegam dextera mea donec transeam. Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Adde quod Augustinus libro secundo de Trinitate, capite decimoquinto, reprehendit quosdam delirantes, qui dicebant filium dei in sua substantia visum esse a Moysē, in monte Sina: sed cū dicimus Moysen vidisse deum, intelligendum est per subiectam creaturam. Et capite decimosexto, enarrans locum illum: Non videbit homo faciem meam & viuet, dicit hoc ipsum quod deus est, nullis vnquam mortalium oculis apparuisse. Quid autem hoc sibi velit, posteriora mea videbis, explicat abunde, capite decimosextimo eiusdem libri, dicens: Non incongruenter ex persona domini nostri Iesu Christi, praefiguratum solet intelligi, vt posteriora eius, accipiatur caro eius, in qua de virgine natus est, & mortuus, & resurrexit: siue propter posterioritatem mortalitatis, posteriora dicta sint, siue quod eam prope finem seculi, hoc est posterius suscipere dignatus est: facies autem eius, illa dei forma, in qua non arbitratur rapinam esse, aequalis deo patri, quam nemo vtiq̄ potest videre & viuere, siue quia post hanc vitam in qua peregrinamur a domino, & vbi corpus quod corrūpitur aggrauat animam, videbimus faciem ad faciem, sicut dicit Apostolus. De hac enim vita in psalms dicitur, Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Et iterum, Quonia non iustificabitur coram te, omnis homo viuens. In qua vita etiam secundum Ioannem, nondum apparuit quod erimus. Scimus autem (inquit) quia cum apparue-

rit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod vtiq̄ post hanc vitam intelligi voluit, cum mortis debitum soluerimus, & resurrectionis promissum receperimus. Videtur tamen Augustinus, libro duodecimo, de Genesi ad literam, capite vigesimo septimo, exponendo id, quod ex Numeris protulimus, Ore ad os loquor ei, palam & non per aenigmata, dicere Moysen tūc temporis vidisse deum in specie propria: Neque (inquit) hoc secundum substantiam corporis, quae carnis sensibus praesentatur, intelligendum est. Nam vtiq̄ sic loquebatur ad Moysen faciem ad faciem, contra in contra. Quando autem dixit ei, Ostende mihi te ipsum, & nunc etiam ad ipsos quos obiurgabat, & quibus Moysi meritum ita praeserebat, sic loquebatur per creaturam corporealem praesentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie qua deus est, longe ineffabiliter secretus, & praesentius loquitur locutione ineffabili, vbi eū nemo videns viuet vita ista, qua mortaliter viuunt in istis sensibus corporis. Nec tamen vincunt haec, neque monstrant Augustinum a seipso dissidere. Si enim visus sit deus Moysi quando iunctus est Aethiopiis, in specie propria, quod forsitan non credo, intelligendum est forma passionis transeuntis, & non permanentis: solum dicendum esse existimo Moysen clarius & limpidius vidisse deum quando coniunctus est Aethiopiis, quam ante coniunctionem. Etiam si diligenter excusseris verba Augustini, agnosces eum voluisse inuere, neminem victurum hac mortali vita, quando videbit deum in specie propria. Nihil vetat deum secretius & praesentius vno tempore quam altero, loquutum fuisse cum Moysē; & hoc quidem per angelum, & non per substantiam corpoream: quod certe ex eodem Augustino exponente illud Ioannis: Deum nemo vidit vnquam, possumus colligere, vbi sic loquitur: Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem, omnis illa creatura typum domini sui gerebat, non ipsius domini praesentiam exhibebat. Namque aperte habes in lege, Et loquebatur Moyses cum domino, e contra in contra, sicut amicus cum amico suo. Si quaeris ipsam scripturam, inuenies Moysen dicentem: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi te ipsum manifeste, vt videam te. Et parum est quia dixit: Responsum accepit, non potes videre faciem meam. Loquebatur ergo fratres charissimi cum Moysē angelus, portans typum domini, & illa omnia quae ibi per angelum facta sunt, futuram istam gratiam, & veritatem promittebant. Qui bene scrutantur legem nouerunt, & cum opportunum est, vt & nos aliquid inde dicamus, quantum dominus reuelat non tacemus charitati vestrae. Illud autem sciatis, quia omnia quae corporaliter visa sunt, non erant illa substantia dei. Haec ille. Solum ex illo loco, Ore ad os loquebatur ei, palam & non per aenigmata, decerpes, Deum plus omnibus manifestatum esse Moysi, quem non oculis corporeis vidit, sed oculis mentis. Et haec adnotauit Augustinus, libro quarto, de Symbolo ad Catechumenos, capite tertio. Ad haec Chryostomus explicans illam Ioannis auctoritatem: Deum nemo vidit vnquam, dicit: Quod Esaias, Ezechiel, Daniel, Moyses, & Iacob viderint Deum, hoc fuit permissionis, non ipsius purae substantiae. Nam si ipsam vidissent, nulla ex parte differentem vidissent, quippe quae simplex & pura est, non composita, nec descriptibilis. Tum etiam Cyrillus eundem explicans locum, dicit Prophetas nunquam ipsum quod natura dei substantia est, vidisse: sed aperte quomodo viderint, exponunt, haec dicentes: Est visio similitudinis gloriae domini. A rebus ergo corporeis aenigmaticè quasi figura diuinæ gloriae formabatur, quae similitudo quasi depicta in tabula symbolice diuinæ gloriae praesentiam, vltra mentem & orationem hominis esse ostendebat. Tertullianus libro quarto aduersus Marcionem, cursum attigit enarrationem illius loci, Ore ad os loquor ei, in specie scilicet hominis quam erat gestaturus, & non in aenigmate. Insuper Irenaeus, libro quarto aduersus haereses Valentini, capite trigesimo septimo, enarrans has duas assertiones, Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, b. ij.

Ioan. 1.

Exo. 3.

Exo. 33.

Chryostomus

Cyrillus.

Tertullianus

Irenaeus.

teris, dicit deum ytraque significasse. Quoniam & impossibile est homini videre deum. Et quoniam per sapientiam dei, in nouissimis temporibus videbit deum homo, in altitudine petrae, hoc est in eo qui est secundum hominem eius aduentus, & propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo in altitudine montis, assistente etiam Helia, quemadmodum Euangelium retulit, restituens in fine pristinam repromissionem. Non igitur manifeste ipsi faciem dei videbant prophetae, sed dispositiones & mysteria per quae inciperet homo videre deum. Et in eodem capite dicit: Quae autem videbantur à Moysè, Helia & Ezechiele, erant similitudines claritatis domini, & prophetiae futurorum, manifestum est quoniam pater quidem inuisibilis, de quo & dominus dixit, vnigenitus deus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et ipse autem interpretatur patris verbum, utpote diues & multus existens, non in vna figura, nec in vno caractere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationem eius, causas siue efficaciam. Praeterea Lyranus, enarrans haec verba: Ore ad os loquor ei, & caetera, dicit ex his verbis solum exprimi quendam gradum prophetiae excellentissimum, cum sine abstractione à sensibus, intellectus à deo illustratus cognoscit intelligibilem veritatem supernaturalem, & quidem sine visione imaginaria, & hic insignis gradus erat in Moysè. Nec tamen ut dicunt Hebraei vidit diuinam essentiam. Nam ei dictum erat, non videbit me homo & viuere.

Ioan. 14.

Lyranus.

CAPVT VII.

Moyses ad aquam contradictionis offendit deum. Hanc ex sacris literis Assertionem deducemus. Cum filij Israel in deserto Sin, aquae penuria laborarent, & vehementi siti adurerentur, conuenerunt aduersus Moysen, & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt: Vtinam perissemus inter fratres nostros coram domino. Cur eduxistis Ecclesiam domini in solitudinem, ut & nos & nostra iumenta moriamur? Quare nos fecistis ascendere de Aegypto, & eduxistis in locum istum pessimum, qui ferri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec mala granata, insuper & aquam non habet ad bibendum. Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudine in tabernaculum foederis, corruerunt proni in terram clamaueruntque ad dominum, atque dixerunt: Domine deus, audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae viuae, ut satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria domini super eos. Locutusque est dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam & congrega populum tuum & Aaron fratrem tuum, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cūque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. Tulit igitur Moyses virgam quae erat in conspectu domini, sicut praeeperat ei congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Cūque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis filicem, egressae sunt aquae largissimae, ita ut populus biberet, & iumenta sua. Dixitque dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Haec est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra dominum, & sanctificatus est in eis. Haec tamen prius agnouerit miracula quae dominus deus fecerat, ut Pharaon resipisceret, & ne tam acerbe premeret filios Israel, non debuit sanè dubitare, si nam dominus potuerit eius virga excutere aquas, & effundere, quibus Israeliticus populus suam sitim restingeret: sed debuit firmissima fide credere, deum posse infundere illi lapidi quandam virtutem aquarum procreatricem. Quae enim sicca sunt, à domino humectari possunt: & quae sunt humida, exarescere. Adde quod si non peccasset Moyses cum dixit: Num de petra hac vobis aquam poterimus

Nume. 20.

Exo. 17.

eijcere? duxisset populum Israel ad terram promissionis, terram siquidem fluentem lacte & melle. O miseri & infelices Moyses & Aaron, quod propter infidelitatem & haesitationem tanti miraculi, vsque adeo displicuerunt domino, ut non sint ingressi terram promissionis. Hieronymus libro secundo, aduersus Iouinianum, huic assertioni astipulatur, in quo differens de summis viris, qui in sacra scriptura maximopere commendantur, quique aliquando lapsi sunt, dicit: Superfluum est de Moysè & Aaron scribere, quod ad aquam contradictionis offenderint deum, & terram repromissionis non intrauerint, cum beatus Iob angelos quoque, & omnem creaturam peccare posse commemoret, dicens: Quid enim? nunquid homo coram deo mundus est? Aut in operibus suis sine macula vir? Si contra seruos suos non credit, & aduersum angelos suos prauum quid reperit, quanto magis habitantes in domibus luteis, de quibus & nos ex eodem luto sumus? Tentatio est vita hominum super terram. Et cecidit Lucifer, qui mittebat ad vniuersas nationes. Et ille qui in paradiso deliciarum inter duodecim nutritus est lapides, vulneratus à monte domini, ad inferna descendit. Vnde & saluator in Euangelio, Videbam (inquit) Satanam quasi fulgur de caelo cadentem. Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit? Si in caelo ruina, quanto magis in terra? Adde quod Origenes homilia vigesima secunda super Numeros, enarrans haec domini ad Moysen verba: Ascende in montem istum Abarim, & contemplantare inde terram quam daturus sum filiis Israel. Cūque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto Sin, in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. Haec sunt aquae contradictionis in Cades deserti Sin: eiusdem est sententiae cum Hieronymo, vbi ita commentatur, & quasi causam mortis exponit, dicens: Propter quod transgressi estis verbum meum in deserto Sin, cum restitit synagoga ne me sanctificaret. Non me sanctificastis in aqua coram eis. Ergo ne in culpa est etiam Moyses? Etiam ipse transgressionis crimen incurrit, etiam ipse factus est sub peccato, idcirco credo cum confidentia dicebat Apostolus: Quia regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, accessit enim vsque ad Moysen, & nec ipsi pepercit. Et ideo ut opinor, dicebat: Quia peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Et iterum, Conclufit deus omnes sub peccato, ut omnibus misereatur. Sed gratias domino Iesu Christo, qui nos liberauit de corpore mortis huius, ut vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Nam Moyses quomodo aliquem liberare potuisset à peccatis? cum etiam ipsi dicatur: Quia transgressi estis verbum meum in deserto Sin, & non me sanctificastis in aqua coram filiis Israel, ut manifestum sit omnibus, quod ille debeat solus requiri, qui solus peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ad haec Chrysostomus homilia sexta, de Poenitentia dicit de hoc Moysi peccato: Moses non glorificans deum cum aquam de petra donauit, ingratus, atque ideo ad eum deus: Non videbis (inquit) terram promissionis, & non intrabis in eam. Sic & hunc permisit in peccatum cadere, quo solus ipse in hominis corpore sine peccato inueniatur. Tum etiam Augustinus libro decimo sexto, contra Faustum Manichaeum, capite decimo sexto, amplissime docet Moysen peccasse, in aquis contradictionis. Nec ideo (inquit) Moysi famulo dei derogaueris, quia eum peccatorem fuisse, & offenso deo suo in monte occisum esse dixisti. Nouerat enim & ipse in domino gloriari, ut ab eo saluus fieret, à quo & ille qui dicit: Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Arguitur enim Moyses voce diuina, quod eius fides ad aquam de petra eliciendam aliquantulum titubauerit, quod ei cum peccato Petri potest esse commune, qui in medijs fluctibus simili fidei defectu dubitauit. Verū absit ut credamus hinc eum esse alienatum ab aeterna societate sanctorum, qui cum sancto Helia, sicut Euangelium loquitur, meruit clarificato in monte domino assistere. Nam & in veteribus legis libris etiam post ipsum

Hieronymus

Iob 11.
& 15.

Iob 7.
Esaia 14.

Luca 10.

Nume. 27.

Origenes.

Roma. 5.

Roma. 11.
Roma. 5.

Esaia 53.
Chrysosto.

Augustinus

1. Timot. 1.

Matth. 17.

peccatum quantum sit apud deum meritum eius, apparet. Sed quid causæ fuerit, ut de peccato eius tali morte vindicando deus loqueretur? Quoniam pollicitus sum ea ipsa demonstrare ad prænuñtiandum Christum pertinere, quæ tu reprehendenda delegeris, faciam sicut possum domino adiuuante, ut hoc etiam quod in Moyfi morte reprehendisti, prophetiam fuisse de Christo recte intelligentibus doceam. Et hoc quidem ostendit, capite decimo septimo, ubi fusius institutum persequitur. Sicut (inquit) mos est diuinorum in scripturis sanctis mysteriorum, ut idem homo aliam atque aliam pro re aliqua significanda personam gerat, tunc Moyses populi Iudæorum sub lege positi personam gerebat, cumque in prophetica prænuntiatione figurabat. Sicut ergo Moyses petram virga percussit, de dei virtute dubitauit, ita ille populus qui sub lege per Moysen data tenebatur Christum ligno crucis affigens, eum virtutem dei esse non credidit. Sed sicut percussa petra manauit aqua sitientibus, sic plaga dominicæ passionis effecta est vita credentibus. Habemus enim de hac re præclarissimam & fidelissimam vocem Apostoli, cum inde loqueretur, dicentis: Petra autem erat Christus. Hanc ergo carnalem de Christi diuinitate desperationem in ipsius Christi altitudine deus mori iubet, cum mortem carnis Moyfi in monte imperat fieri. Sicut enim petra Christus, ita & mons Christus, petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo: quia sicut Apostolus ait, petra erat Christus, ita ipse dominus: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta, se scilicet montem, fideles autem suos in sui nominis gloria fundatos asserens ciuitatem. Prudentia carnis viuunt, cum tanquam petra percussa, Christi humilitas in cruce contemnitur. Christus enim crucifixus, Iudæis scandalum est, gentibus autem stultitia. Et prudentia carnis moritur, cum tanquam montis eminentia Christus excelsus agnoscitur: ipsi enim vocatis Iudæis & Græcis, Christus dei virtus & dei sapientia est. Ascendit itaque Moyses in montem, ut carne mortua viuo spiritu reciperetur, quo Faustus non ascēderat, ut carnales calumnias mente mortua loqueretur. Nonne ipsam petram Petrus per prudentiam carnis percussit, cum domino passionem suam prænuntians ait: Absit domine, non fiet istud, propitius esto tibi? Neque enim pepercit huic peccato dominus, cum ei retulit: Redi retro satanas, scandalum mihi es: non enim lapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Aut ubi mortua est illa carnalis diffidētia, nisi in Christi glorificatione, tanquam in montis altitudine? Nam utique viuebat, cum eum timide negaret: & utique mortua erat, cum eum libere prædicaret. Hæc viuebat in Saulo cum scandalo crucis detestans, vastabat Christianam fidem: & ubi nisi in illo monte mortua erat, cum iam Paulus diceret: Viuo autem iam non ego, viuunt vero in me Christus? Et edifferens illum psalmographi locum: Et vindicans in omnes affectiones eorum, ostendit vindictam domini contra Moysen fuisse, cum ei dixit: Non intrabis in terram promissionis, quam intraturus erat populus: hoc etiam erat figuratiuum, & quandam figuram quorundam gerebat Moyses. Nam qui in regnum cælorum intrauit, magna illi pœna erat ad terram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut ymbra ostenderet & transiret. Nonne multi perfidi intrauerunt in illam terram? Nonne in illa terra viuentes multa mala fecerunt? & deum offenderunt? Nonne & idololatriam secuti sunt in illa terra? Magnum erat non dedisse terram istam Moyfi. Sed Moyses voluit gestare figuram eorum qui sub lege erant, quia per Moysen data est lex, & ostendit eos qui sub lege esse velent, & sub gratia esse nollent, non intraturos in terram promissionis. Ergo illud quod dictum est Mosi, figura erat. Tum etiam exponendo psalmum illum: Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius, & distinxit in labijs suis, dicit: Quid est distinxit? Quasi illud non posset deus facere, qui tanta iam fecerat, ut aqua de petra profunderet. Dubitanter enim petram virga percussit, & ideo hoc miraculum distinxit à cæteris miraculis, in quibus non dubitauerat. Hinc offendit, hinc audire meruit, ut mo-

1. Corin. 10.

Matth. 5.

1. Corin. 1.

Roma. 8.

1. Corin. 1.

Matth. 16.

Galat. 2.

Psalm. 98.

Ioan. 1.

Psalm. 105.

reretur, ne intraret in terram promissionis, perturbatus enim murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit. Cui tamen deus tanquam electo suo etiam post mortem eius bonum perhibet testimonium, ut intelligamus illam fidei eius titubationem, hac sola pœna fuisse correptam, quod in eam terram ad quam populum ipse deducebat, non est permittus intrare. Absit autem, ut eum credamus alienatum à regno gratiæ dei, quod significabat illa terra promissionis, unde lac & mel defluere dicebatur. Hoc est enim potius testamentum æternum quod disposuit ad Abraham, non secundum carnem patrem nostrum, sed secundum fidem. Et tractatu vno de Utilitate pœnitentiæ, capite primo, dicit: Domino deo dubitatio illa displicuit, & eam notauit, non solum arguendo, sed etiam vindicando. Nam propter hanc dubitationem dicitur Moyfi, Non introduces tu populum in terram promissionis. Ascende in montem & morere. Deus hic utique apparet iratus. Quid ergo de Moyse fratres charissimi? Omnis ille labor eius, omnis pro populo æstus eius, & illa charitas dicens: Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, hac subita & repente dubitatione damnata est. Et quid est quod conclusit lector cum Apostolum legeret, charitas nunquam cadit. Cum quædam soluenda proponeret studium vestrum, me fecit & aliud proponere, quod forte non quæreretis. Videamus ergo, & adhuc quantum possumus conemur penetrare mysterium: Irascitur deus, dicit cum non introducturum populum in terram promissionis, iubet ut ascendat in montem & moriatur, & tamen multa iniungit agenda eidem Moyfi, iubet quod agat, quomodo populum disponat, quomodo non relinquat passim & negligenter, nunquam ista damnato iniungere dignaretur. Aliud accipe mirabilius, quoniam dictum est Moyfi, hoc enim placuit deo certi mysterij dispensationisque gratia, quod ipse in terram promissionis non introduceret populum, eligitur alius Iesus Naua, & iste homo non hoc nomine vocabatur, vocabatur Osee, & cum ei introducendum populum Moyses commendaret, vocauit eum, & mutauit ei nomen, & appellauit eum Iesum, ut non per Moysen, sed per Iesum, id est non per legem, sed per gratiam populus dei in terram promissionis intraret. Sicut autem Iesus ille non verus, sed figuratus: ita etiam terra promissionis illa non vera, sed figurata: illa enim populo primo temporalis fuit, nobis quæ promissa est, æterna erit. Sed figuris temporalibus promittebantur, & prænuntiabantur æterna. Sicut ergo ille non verus Iesus, nec illa terra promissionis, vera, sed figurata: ita mæna non cibus vere cælestis, sed figuratus, ita petra illa non vere Christus, sed figuratus. Eadem commemorat Tomo decimo, homilia vigesima septima, Præterea Lyranus enarrans locum illum Numerorum iam pronuntiatum: Nū de petra hac, aquam vobis poterimus eijcere? nostræ consentit assertioni, ubi dicit, Istud verbum Moyfi poterat dupliciter intelligi: Affirmatiue & negatiue: quia si protulit, ut dicunt catholici expositores communiter, & licet non dubitauerit de potentia dei quin posset illud, dubitauit tamen de effectu ne impediretur propter malitiam populi, & ideo dubitando de effectu dixit: Num de petra & cætera, ut si effectus fuisset secutus, sic intelligeretur, non obstante incredulitate vestra, poterimus eijcere aquam de petra virtute diuina. Si autem non sequeretur, sic intelligeretur: Num de petra & c. quasi dicat, non poterimus propter malitiam vestram. Sed ne aliud subiunxisset author ille, cuius distinctione parū opus erat, eo quod Augustinus asserit Moysen de dei virtute dubitasse, non videretur accusare Moysen illius dubitationis, verū subsequenti exponendo, non excusat Moysen: cæ enim enarrat quod subnectitur in contextu, Percussit virga bis silicem, dicit: Quia primo ictu non exiuerunt aquæ propter dubitationem Moyfi, secundo tamen ictu exiuerunt propter impletionem diuini promissi. Consequenter ponitur dubietatis punitio, cum dicitur: Quia non credidistis mihi tu & Aaron, ut sanctificaretis me, id est sanctitatem meam in impletionem promissi mei absque dubio credendo, & fidem vestram absque dubio eam populo pronuntians, immo contrarium fecistis. Ideo non introducetis hos populos in terram quam iuro vobis dico.

Exo. 3. & 13.

Gala. 3.

Exo. 32.

1. Corin. 13.

Deuter. 34.

Iosue 1.

Lyranus.

Deutero. 3.

pulos in terram quam dabo eis, sed moriemini ante ingressum. Et licet multum desiderarent ingredi, quia tamen sciuerunt quod verbum dei erat diffinitiuum: ideo verbum domini humiliter acceptauerunt, & tunc non orauerunt pro eius retractione: postea tamen Moyses orauit dominum pro ingressu terrae, sed non fuit exauditus, vt habetur Deuteronomij tertio, cuius oratio talis erat: Domine deus tu coepisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius deus, vel in caelo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuae. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum: iratusque est dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. Sed quidnam in Numeris nunc subiungatur videamus, vt difficultatem absoluamus: Et sanctificatus est in eis. Per hoc enim quod filij Israel viderunt quod vindicta dei non parcebat Moyse & Aaron, qui erant sancti & amici sui, fuerunt territi, & magis obediens, ne incurrerent offensam dei. Hebraei autem dicunt quod Moyses & Aaron peccauerunt, eo quod non fecerunt sicut praeceperat deus, quia dixerat, loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, vt patet in textu, ita quod ex solo verbo absque percussione, dedisset aquas, quod fuisset nouum signum diuinæ potentiae. Non enim legitur quod adhuc factum fuisset simile, & ideo subditur postea: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, quasi diceret: Si coram filiis Israel dixissetis: Ecce lapis iste qui non audit nec videt, & tamen obedit verbo dei, emittendo aquas absque vlla percussione, multo fortius vos qui estis rationales, verbis domini debetis obedire absque vlla flagellatione, in hoc sanctitatem meam professi fuissetis verbo & facto: quod quia non fecistis prout vobis imposueram, ideo non introducetis hos populos.

CAPVT VIII.

Moyses non appetiuit simpliciter pro dimittenda Israelitici populi noxa deleri de libro vitae.] Hanc probo Assertionē: Nemo sana ratione vtēs, appetit simpliciter priuari beatitudine aeterna, aut excidere à gratia praedestinationis. Sed deleri de libro vitae est priuari beatitudine aeterna, aut excidere à gratia praedestinationis. Igitur Moyses vir siquidem sanctissimus, & qui rectam rationem ducem sequebatur, non appetiuit simpliciter pro dimittenda populi Israelitici noxa, deleri de libro vitae. Maior illius ratiocinij est notissima. Nam priuatio beatitudinis aeternae, est summum malum, quoniam summo bono aduersatur. Nemo autem secundum rectam rationem appetit simpliciter priuari summo bono, ergo nec priuari beatitudine aeterna, siquidem beatitudo aeterna est summum bonum. Adde quod nemo deletur de libro vitae, nisi propter suum peccatum mortale. Nam dominus dixit Moyse: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Quod si Moyses appetisset simpliciter deleri de libro vitae, elegisset offendere deum per peccatum mortale, quod est absurdissimum. Adde quod Hieronymus huic assertioni accedere videtur, enarrans illum Ionæ Prophetæ locum: Et surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie domini, vbi dicit: Scit propheta sancto sibi spiritu suggerente, quod penitentia gentium, ruina sit Iudaeorum: idcirco amator patriæ suae, non tam saluti inuidet Ninuitarum, quam non vult perire populū suum. Alioquin legerat Moysen rogātem dixisse pro eo: Si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem non dimittis, & me dele de libro tuo quem scripsisti: & ad preces illius saluatū Israel, & Moysen de libro non fuisse deletum, quin potius dominum occasionem accepisse per seruum, vt ceteris cōseruis illius parceret. Dum enim dicit, dimitte me, ostendit se posse retineri. Tale quid & Apostolus loquitur, Optabam anathema esse pro fratribus meis qui sunt Israelitae secundum carnem. Non quod ipse perire desideret, cui viuere Christus est, & mori lucrum: sed magis meretur vitam, dum saluare vult ceteros. Sed ex hac graui, & exquisita Hieronymi sententia, ita ratiocinabor:

Exo. 32.

Hieronymus

Ionæ 1.

Exo. 32.

Roma. 9.

Philipp. 1.

Idem aut saltem consimile optauit Moyses quod optauit Paulus, sed cum Paulus optauit esse anathema pro suis fratribus, non appetiuit perire, aut simpliciter à gratia dei & gloria exulare. Ergo nec Moyses appetiuit simpliciter deleri de libro vitae pro dimittenda sui populi noxa. ¶ Verum decertabit quispiam, Cum filij Israel sibi conlassent vitulum aureum, eumque adorassent, contempro veri dei cultu, & tam atrox scelus admisissent, ne super eos furor dei defauisset, Moyses pro expianda tanti flagitij macula orauit dominum, dicens: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Videtur igitur ex hoc contextu Moyses orasse vt dominus dimitteret suo populo hanc noxam, quod si nollet misereri illius populi, vellet simpliciter deleri de libro vitae. Hæc tamen exponens Augustinus, quæstione 147. super Exodum, dicit Mossem securum hoc dixisse, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, vt quia deus Moysen non deleteret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Sed quidnam sentiat Lyranus nostræ assertionis fautor amplissimus, de intelligentia illius loci, referemus: qui priusquam explicet disinctionem illam, adnotat bifariam posse intelligi quosdam inscribi libro vitae. Vno modo simpliciter, in quantum praedestinati sunt in notitia diuina, vt ordinati ad vitam aeternam ex dei praedestinatione, & sic scripti nunquam delentur. Alio modo dicuntur scripti secundum quid, scilicet non secundum diuinam praedestinationem seu ordinationem, sed secundum dispositionem in eis actu existentem, scilicet secundum praesentem iustitiam: quia existētes in gratia, ex hoc sunt digni vita aeterna, & ad eam ordinati secundum dispositionem quæ actu est in ipsis, sed quia aliquando cadunt à gratia, sic dicuntur deleri: ita quod ista deletio non refertur ad diuinam notitiam quod aliquid ignoret, quod prius nouerat, sed ad mutationem de gratia ad culpam in hominibus existentem. Quod si sumamus primum inscriptionis modum, impossibilis fuit illa deletio. Super autem impossibile non cadit appetitus, nec per consequens, cum Moyses sciret talem impossibilitatem, id appetiuit. Si autem sumatur scribi secundum quid, deletio est ei opposita, ex eo quod aliquis per peccatum mortale cadit à gratia, & sic Moyses qui erat sanctus, elegisset deum offendere per peccatum mortale, nisi peccatum mortale populo remitteretur, quod est inconueniens cum sit contra charitatem. Dicunt igitur aliqui, quod Moyses hoc dixit ex impetu passionis, non ex deliberatione rationis. Sed hoc non videtur conuenienter dictum, quia sequeretur quod Moyses non accessisset ad loquendum cum deo, vbi requiritur tranquillitas mentis. Modo, vt voluit, Moyses erat passionibus perturbatus. Ideo aliter dicit Augustinus, quod Moyses hoc dixit ex confidentia & familiaritate diuina, vt sit sensus, Sicut certus sum quod non delebis me de libro tuo, ita peto vt certifies me quod remittas istam noxam populo. Hæc autem expositio videtur aliquatulum extranea à litera. Et ideo aliter potest dici quod verbum Moyse praedictum, est ipsius rationis proponētis dispositionem partis inferioris animæ: licet non ita esset in voluntate rationē superiorē sequente, sicut saluator petiuit à se transferri calicem passionis, licet simpliciter vellet pati. Ita Moyses volens ostendere magnum affectum ad remissionem peccati populi, dixit: Aut dele me, &c. licet simpliciter nullo modo vellet deleri. Hoc modo contingit in humanis, quod aliquis petens ab alio aliquid cum magno desiderio, dicat: Aut facias hoc, vel auferas mihi vitam: licet magis vellet carere nō solum re illa quam petit, sed etiam multis alijs, quam vita. Et tali modo loquendi (qui dicitur hyperbolicus) vtitur frequenter sacra scriptura. Nec est ibi falsitas, quia talibus locutionibus vtitur non ad significandum illud quod per orationem importatur, quantum ad plenum significatum, sicut Iudicum 20. dicitur de filiis Beniamin, quod fundis, ita ad certum iaciebant locum, vt capillum possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus deferretur lapidis, per quod intelligitur, quod erant boni fundibularij, etiam insigniter.

Exo. 32.

Augustinus

Lyranus.

Matth. 26.

Iudic. 20.

Moyfes non fuit sacerdos.] Hanc conabimur Assertionem ex sacra scriptura eruere: Cum dominus praecepisset Moysi vt adpararet quae essent commodissima tabernaculo testimonij, & quae ad eius ornatu spectarent, idque effecisset, rursus ei iussit vt institueret atque ordinaret illos qui sacerdotio fungerentur, dixitque (vt Exodi historiam referamus):

Exo. 28.

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis sapietibus corde, quos repleui spiritu prudentiae, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Haec autem erunt vestimenta quae facient, rationale & superhumeralale, tunicam & lineam strictam, cidarium & baltheum. Facient vestimenta sancta Aaron fratri tuo & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi. Contextus ille meminit eorum qui a Moyses fuerunt ordinati & consecrati sacerdotes, nec in vllis Pentateuchi libris reperimus Moysen fuisse sacerdotem, quare non absurde saltem ex libris illis colligemus Moysen non fuisse sacerdotem, etiam ex caeteris Bibliorum libris non potest aperte deduci quod Moyses simpliciter fuerit sacerdos, quod scilicet sacerdotalem vestem induerit, & exercuerit illa sacerdotis officia quae Aaron & filij eius exercebant, vt paulo post ostendemus. Beda exponens sententiam illam, Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs, &c. dicit: Descripta factura tabernaculi, congrue sacerdotibus congruit, vt omne quod illic in ornatu vestrum clarum extrinsecus fulgebatur, intellectum spiritualiter in sacerdotum nostrorum mentibus intus emineat, & in eorum actibus praeter caeteris gloriosum clarescat. Ideo praecipitur Moysi vt applicet ad se fratrem suum Aaron cum filijs, de medio filiorum Israel ad fungendum sacerdotio coram domino. Necessesse est enim vt qui ad maiorem gradum promovendi sunt, maiore mentis industria se ad legem dei applicent, id est diuinorum mandatorum obseruationem. Hoc est enim qui sacerdotio functuri sunt de medio filiorum dei ad Moysen applicari praesules, & doctores Ecclesiae communem electorum vitam singulari mentis culmine transcendere, & familiari inspectione quid lex generaliter loquatur attendere, vt altiori excellentia meritorum, ad altiora perueniant praemia.

Exo. 29.
Leuiti. 8.

Adde quod Moyses id muneris in consecrandis sacerdotibus obibat: Aaron & filios eius applicabat ad ostium tabernaculi testimonij, & cum abluerat patrem cum filijs suis aqua, induebat Aaron vestimentis suis, id est linea & tunica superhumerali & rationali, quod constringebatur baltheo, & ponebat tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundebat super caput eius, atque hoc ritu consecrabatur: filios quoque illius applicabat, & induebat tunicis lineis, cingebatque baltheo Aaron scilicet & liberos eius, & imponebat eis mitras, erantque deo sacerdotes religione perpetua. Quod si Moyses fuisset sacerdos veteris legis, non addu bito quin vetus testamentum meminisset a quo fuisset consecratus, & quod sacerdotis munus obijisset. Ad haec, Si fuisset sacerdos antiquae legis, & quidem summus pontifex, intrasset solum semel in anno cum sanguine sancta sanctorum, vt ostendit Paulus ad Hebraeos, quae expiato tabernaculo aspersisset contra velum, & liniisset eodem sanguine cornua altaris thymiamatis. sed notissimum est Moysen nunquam intrasse sancta sanctorum, & si fuisset sacerdos inferioris ordinis, intrasset quotidie, mane scilicet & sero. Sancta, vt sacrificiorum officia consummasset. Sed nemo est ea stupida mente eoque crasso ingenio, vt audeat dicere Moysen haec sacerdotum officia obijisse. Insuper Paulus vocat sacerdotium Leuiticum, sacerdotium secundum ordinem Aaron & non Moysi. quod si Moyses fuisset sacerdos Leuiticus, potuisset Paulus dicere secundum ordinem Moysi. Praeterea, quis nescit Moysen fuisse legislatorem prudentissimum, & egisse causas forenses, tractasse iudicia secularia, & discussisse causas difficiliore & magis arduas: ac ostendisse populo caeremonias & ritum colendi

Hebr. 9.

Hebr. 7.

Exo. 18.

vnnum verum & summum deum? Non solebant autem sacerdotes veteris testamenti rebus diuinis vacantes, ciuiles hominum causas iudicare & secularia tractare negotia. At dicet aliquis, Quomodo Moyses consecrauit Aaron, cum non esset sacerdos? Hanc sane quaestionem agitat Lyranus in octauum caput Leuitici, qui nostrae fauet assertioni: Dicendum est (inquit) quod id fecit ex mandato domini, qui per quemcunque potest pontificem consecrare. Iterum obijcies, & quidem apertissime dicit Psalmographus, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Nec dicentur haec a Propheta, nisi Moyses fuisset sacerdos. Adde quod Augustinus fatetur quaestione 23. super Leuiticum, Moysen fuisse sacerdotem, vbi disputat vter fuerit excellentior, Moyses an Aaron. Et ad hunc locum, quae scripsit, adducemus: Cum ergo (inquit) videatur ab Aaron coepisse summum sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen? si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebantur? si autem fuit, quomodo summum sacerdotium ab eius fratre coepisse definimus? quanquam etiam psalmus ille vbi dictum est: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, auferat dubitationem, quod sacerdos fuerit & Moyses, vestem tamen illam sacerdotalem quae magnum continet sacramentum, Aaron iubetur accipere, & successores eius summi sacerdotis. In Exodo, Antequam omnino aliquid de sanctificatione & quodammodo ordinandis sacerdotibus praecipiat, quando Moyses ascendente in montem, iubentur non ascendere sacerdotes, quos intelligere alios non possumus nisi filios Aaron, non quia iam erant, sed quia futuri erant. Hoc eos iam tunc scriptura appellauit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum. nam & filius Naue, Iesus appellatus est, cum longe postea hoc nomen ei scriptura narret impositum. Ambo ergo tunc summi sacerdotes erant, Moyses & Aaron, an potius Moyses? Aaron vero sub illo: an & ipse summus propter vestem pontificalem, ille vero propter excellentius ministerium? nam a principio ei dicitur: Ipse tibi quae ad populum, tu illi quae ad deum. Vna & eadem solutione diluam quod nobis obiectum est ex Propheta & Augustino: Ex eo Moysen dictum sacerdotem, quod officio sacerdotali usus fuerit in consecratione Aaron & filiorum eius. Et huius sententiae est Lyranus, enarrans psalmum illum. Nec tamen dicebatur sacerdos vt Aaron, nec pontificali veste induebatur, nec eas sacerdotis partes agebat in tabernaculo testimonij, & in Sanctis sanctorum: quas agebat summus pontifex. Sed quod his adblandiatur Augustinus, suadeo, quando quidem exponens locum Psalmographi iam prolatum, dicit Moysen ordinasse fratrem suum Aaron sacerdotem: & ibi quidem, non videtur sacerdos esse, nisi Aaron. Aperte enim in illis literis Aaron nominatur sacerdos dei. De Moyses non ibi dicitur quod sacerdos erat, sed si hoc non erat, quid erat? Nunquid maior sacerdote esse poterat? Expropriat psalmus iste quia & ipse sacerdos erat: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.

Lyranus.

Psal. 98.
Augustinus

Exo. 24.

Exo. 4.

CAPVT X.

Moyfes fuit eximius propheta & etiam apostolus.] Priorē huiusce Assertionis partē sic suadeo, Ille cōfendus est eximius propheta, qui praedicendo futura, videt deum: non quidem visione imaginaria & aenigmatica, sed palam, & Iympidius ac clarius lumine prophético quod reuelat, intuetur. Sed Moyses praedicendo futura, videbat deum, non quidem visione imaginaria & aenigmatica, sed palam: & quod reuelabat lumine prophético, Iympidius intuebatur: igitur erat eximius propheta. Minorem ex Numeris deducam, in quibus scriptum est, Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, & palam: non per aenigmata & figuras dominum videt. Haec autem edifferens Lyranus, vt ostendat Moysen fuisse excellentissimum prophetam, adnotat cognitionem propheticam tribus modis fieri: Vno modo per abstractionem a sensibus exterioribus, vt in somno vel extasi. Alio modo sine abstractione tali, & hoc fit dupliciter: Vno modo quando in imaginatione sunt aliqua

Numer. 12.

Lyranus.

formæ virtute diuina, in quibus intellectus à deo illustratus veritatē inspicit intelligibile supernaturalē. Alio modo quando sine tali visione imaginaria, intellectus à deo illustratus cognoscit intelligibilem veritatem supernaturalem. Secundus gradus est altior primo, & tertius secundo, cuius ratio est: Quia per occupationem sensuum exteriorum in actibus suis intellectus distrahitur, vt minus capere possit cognitionem supernaturalem, & ideo quando existente tali occupatione apprehenditur supernaturalis veritas, est altior gradus: sicut in cognitione naturali ille iudicatur melioris ingenij, qui curis distractus apprehēdit veritatem intelligibilem, quàm ille qui non potest apprehēdere, nisi sit ab omni tali distractione segregatus. Et ideo secundus gradus prophetiæ, qui est sine abstractione à sensibus, altior est primo, & similiter tertius est altior secundo. Secundum hoc igitur exponunt Hebræi literam istam, Si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Per locutionem in somno, intelligitur primus gradus prophetiæ. Per visionem, secundus, qui sunt inferiores. Ac si dicat dominus Aaron & Mariæ, non attigitis nisi ad inferiores gradus prophetiæ. at non talis seruus meus Moyses, qui attigit gradum superiorem: ideo in prophetia vos non debetis illi conferre. Ore enim ad os loquor ei, palam, & non per ænigmata. Per hoc enim quod dicitur, palam, intelligitur tertius gradus prophetiæ prædictus, in quo non requiritur aliqua visio imaginaria. Et ex eo quod dicitur, Ore ad os loquor ei, intelligitur quædam specialis dignitas in isto tertio gradu prophetiæ, quia quanto frequentius & familiarius deus reuelat alicui supernaturalem veritatem, tanto ille gradus est dignior, & iste erat in Moysē. Et in 12. caput Exodi, in quo adumbratur passio Christi per immolationem agni paschalis, dicit ex sententia Rabbi Salomonis & aliorum doctorum Hebræorum: Cum Moyses maximus fuerit propheta, quicquid scripsit ordinat ad Christum, de quo excellenter prophetauit in Deuteronomio, dicens: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies, vt petisti à domino deo tuo in Ore. Et hoc vult testimonio Stephanus in Actis apostolorum, vbi mire commendat & extollit Moysen inter ceteros prophetas, dicens: Hic est Moyses qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis. Hoc idem vaticinium recenset Petrus Actorū 3. nec dubito quin Moyses hoc oraculo prophetico nitebatur persuadere Iudæis, vt crederent in Christum venturum, de quo prophetia illa intelligebatur. Et hæc erat Moysi intentio, Quæmadmodum me audistis, vt legislatorem veteris testamenti: ita illum estis audituri, vt legislatorem noui testamenti. Et recte dicebat Moyses Christum futurum prophetam, & quidem excellentissimum, de quo apud Lucam scriptum est: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia deus visitauit plebem suam. Et Actorum 3. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et licet Christus non fuerit propheta quatum ad cognitionem euangelicam, eo quod ab instanti suæ conceptionis habuit claritatem diuinæ visionis: tamen quatenus homo & viator ante suam passionem, dicebatur propheta, eo quod annuntiabat futura, quæ erant remota à cognitione illorum cum quibus habitabat. Adde quod nostræ assertioni fauet Chrysofostomus homilia de Cōuersione Pauli, vbi ostendit multis argumentis viros summos, summæque in dignitate constitutos non debere agrefere, si aliquando à barbaro & inferiore corrigatur: Cæterum (inquit) si discere vis, quod etiam si ingenij acrimonia antecellat alios, si que valde perfectus, peruenerisque ad summum ipsum virtutis fastigium, opus tibi sit consiliario, & aliquo qui te corrigat & arguat, audi historiam veterem. Neque enim Moysi facile par fueris, qui (vt scriptura inquit) omnium hominum erat mitissimus, amicisque deo, & in externa philosophia bene institutus, & non minus spiritualium intelligentia insignis. Vides omnigenam eius eruditionem? Erat autem potens in verbo & opere, aliisque virtutibus. Cuius & aliud habet testimonium: Multis prophetis (inquit) familiaris fuit deus, sed nulli sicut Moysi. Nam alijs

Deuter. 18.

Acto. 7.

Lucæ 7.

Chrysofo.

Nume. 12.

quidem per ænigmata & somnia, Moysi verò facie ad faciem. Quærisne aliud maius virtutis illius argumentum, quàm quod omnium dominus seruo vt amico loquitur? Et itaque sapiens tam domestica, quàm peregrina eruditione, erat potens verbo & opere. Imperabat creaturæ, quia amicus erat domini creaturæ. Eduxit tantum populum ex Aegypto, mare diuisit, & iterum coniunxit, miraculum sanè admirabile. Tunc enim primum sol vidit mare, non nauali, sed pedestri itinere transiri, pelagusque non remis & nauibus, sed equorum pedibus transmitti. Nihilominus sapiens ille, qui tam potens in verbo & opere, qui amicus dei, qui creaturæ imperauit, qui tanta miracula operatus est, non animaduertit rem, quam mortalium plerique facile considerant. Socer autem eius homo barbarus & obscurus statim animaduertit, & in medium attulit, quam ille non temere cogitauit. Quæ igitur hæc causa? audite, vt & vobis proficit. Consiliarijs enim omnes opus habet, etiam si Moysi conferri possint. Multa enim sunt quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui abiectione scire solent. Nam postquam Moyses ex Aegypto exiit, & in solitudinem venit, præfuit sexcentorum millium populo, & solus omnium contentium lites diiudicauit, quod vidit socer eius. Erat autem Iethro homo alioqui barbarus & insipiens, quique in solitudine vitam egerat, neque vlli communicarat, qui populos legibus rexerat, & ad hæc impius erat, quo non est certius insipientiæ argumentū, nihil enim gentilibus est insipientius. Veruntamen ille barbarus, ille impius, ille insipiens, vbi vidit Moysen quædam præter dignitatem facere, cum correxit, non curans quod sapiens esset, & intelligens, & dei amicus. Et cum dixisset ei, Quare illi stant coram te didicisti que causam, inquit: Non recte hoc fecisti, iunxitque consilio increpationem, & neque sic exasperatus est ille sapiens, ille intelligens, ille tot myriadam dux. Neque enim hoc paruum & contemnendum, quod ab homine barbaro & priuato docetur. At non inflabatur vel principatus magnitudine, vel miraculis, quæ operatus erat, neque rubore suffundebatur, quod tot præsentibus, iisque subditis corrigetur, sed considerabat quod licet magna à se signa fierent, humana tamen particeps esset naturæ, quam non raro multa latent: atque ideo cum mansuetudine consilium suscepit. Dicit etiam Origenes homil. 10. super Leuiticū Moysen prophetam deo reuelante in symbolis & figuris, ac formis allegoricis conscripsisse mysteria, quæ in tempore suo sunt impleta. Amplius testatur Augustinus libro 18. de Ciuitate dei, capite 11. Moysen multis mysterijs, variisque sacramētis prophetasse de Christo, vbi ita scribit: Rexit autem populum Moyses per annos quadraginta in deserto, & mortuus est annorum centum & viginti, cum Christum etiam ipse prophetasset per figuras obseruationum carnalium in tabernaculo, & sacerdotio, & sacrificijs, aliisque mysticis plurimisque mandatis. Et enarrando illum Ioannis locum, scrutamini scripturam, in qua vos putatis vitam æternam habere, ipsa testimonium perhibet de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, dicit: Ergo & Moyses perhibuit testimonium Christo, & Ioannes perhibuit testimonium Christo, & ceteri prophetae, & apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimonijs præponit testimonium operum suorum, quia & per illos non nisi deus perhibuit testimoniū filio suo. Sed perhibet alio modo deus testimonium filio suo. Per ipsum filium suum indicat deus filium, indicat se per filium, ad huc si potuerit homo peruenire, nec lucernis indigebit, & vere fodiendo altius ædificium perducet ad petram. Et in eodem Ioannis capite apertius ostenditur Moysen perhibuisse testimonium Christo, & de eodem scripsisse: Idcirco Iudæi nullam promerentur excusationem, quod non crediderint Christo, quem prophetae prædixerant venturum pro redēptione humani generis. Sic enim loquitur Christus in illo capite increpans incredulitatem Iudæorum: Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit: si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis creditis? Hunc locum enarrans Theophylactus, dicit: Vbi autē Moyses scripsit de eo? Etenim dictum hoc, Prophetam suscitabit vobis dominus, de Christo erat, & alia

Exo. 14.

Exo. 18.

Exo. 12.

Exo. 18.

Origenes

Augustinus

Ioan. 5.

Ibidem

Theophyl.

Exod. 3. multa tam in verbis quam in signis & symbolis, vt miraculum Rubi. Nam & ignis quidem, deitas: Rubus autē spinosus, peccatrix natura, quam suscepit ignis deitas, & incombustam seruaui lucē fulgidam, & suos quidem radios illi communicauit, imperfectiones autem illius in se non suscepit. Etiam hoc Moyses dixit quod conducebat valde ad fidem Christi, nam inquit: Si propheta surrexerit signa faciens, & recedere faciens à deo, ne credatis illi, qualis erit Antichristus. Si autem surrexerit propheta faciens signa, & ad deum & patrem ducens, & non recedere faciens, illi credite. Igitur Christus in nomine patris venit, & signa quidem faciens & non recedere iubens eos à dei cultu, ipse erat qui à Moyse prædictus. Itaque si Moyse scriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis? Ille inquit, & scripsit, & sunt libri tē per ante oculos vestros, & ita vt etiam si obliuiscimini, possitis iterum facile in memoriam reducere. Attamen non creditis scriptis, & quomodo credetis verbis meis non scriptis? Beatus etiam Irenæus libro 4. aduersus hæreses Valentini, docte exponit hæc Christi verba, Si enim Moyse crederetis, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. scilicet quod infeminatus est, vbique in scripturis eius, filius dei: aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comensurus, aliquando autem Sodomitis inducens iudicium, & rursus cum videtur & in viam dirigit Iacob, & de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere, in quibus à Moyse ostēditur filius dei, cuius & diem passionis non ignorauit, sed figuratim prænuntiauit, eum pascha nominans, & in eadem ipsa quæ ante tantum temporis à Moyse prædicata est, passus est dominus adimplens pascha. Non solum autem diem descripsit, sed & locum ex extremitate temporum, & signum occasum solis, dicens: Non poteritis immolare pascha in vlla alia ciuitatum tuarū quam dominus deus tuus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit dominus deus tuus inuocari nomen suum ibi. Immolabis pascha vesperē ad occasum solis. Iam autem & manifestauerat eius aduentum, dicens: Non deerit princeps in Iuda, neque dux ex fœmoribus eius, quoadusque veniat cui repositum est, & ipse est spes gentium, alligans ad vitem pullum suum, & ad ilicem pullum asinæ. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuz pallium suum. Lætificabuntur oculi eius à vino, & candidi dentes eius tanquam lac. Inquirant enim hij qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps & dux ex Iudæa, & qui est gentium spes, & qui vitis, & qui pullus eius, & quod indumentum, & qui oculi, & qui dentes, & quod vinum, & vnumquod que ex occultis exquirant, & inuenient non alium nisi dominum nostrum Iesum Christum annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum quod ingratus existeret, ait sic: Populus fatuus, & non sapiens, hæc domino retribuistis. Et rursus significans quoniam qui ab initio condidit & fecit eos verbum, & in nouissimis temporibus redimens nos & viuificans, ostenditur pendens in ligno, & non credit ei, ait enim: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Et iterum, Nonne hic idem pater tuus possedit te, & fecit te, & creauit te? Posteriorem nostræ assertionis partē ruetur Hieronymus in epistolam Pauli ad Galatas, enarrās locum illum: Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & deum patrem, vbi ita scribit: Aiunt Hebræi inter ipsos quoque prophetas & sanctos viros, esse quosdam qui & prophetæ & apostoli sint, alios verò qui tantum prophetæ. Denique Moysen cui dicitur, Et ego mittam te ad Pharaonē, & ipse respondeat, proinde alium quem mittas: & Esaiam, cui loquitur deus: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? esse & apostolos & prophetas. Vnde & nos possumus intelligere Ioānem quoque Baptistam & prophetam & apostolum appellandum. siquidem ait scriptura, Fuit homo missus à deo cui nomen erat Ioannes. Hæc ille. Nec immerito dictus est Moses Apostolus, eo quod fuerit missus. Nam *ὁ ἀποστόλος* dicitur missus.

Irenæus. 4. aduersus hæreses Valentini, docte exponit hæc Christi verba, Si enim Moyse crederetis, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. scilicet quod infeminatus est, vbique in scripturis eius, filius dei: aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comensurus, aliquando autem Sodomitis inducens iudicium, & rursus cum videtur & in viam dirigit Iacob, & de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere, in quibus à Moyse ostēditur filius dei, cuius & diem passionis non ignorauit, sed figuratim prænuntiauit, eum pascha nominans, & in eadem ipsa quæ ante tantum temporis à Moyse prædicata est, passus est dominus adimplens pascha. Non solum autem diem descripsit, sed & locum ex extremitate temporum, & signum occasum solis, dicens: Non poteritis immolare pascha in vlla alia ciuitatum tuarū quam dominus deus tuus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit dominus deus tuus inuocari nomen suum ibi. Immolabis pascha vesperē ad occasum solis. Iam autem & manifestauerat eius aduentum, dicens: Non deerit princeps in Iuda, neque dux ex fœmoribus eius, quoadusque veniat cui repositum est, & ipse est spes gentium, alligans ad vitem pullum suum, & ad ilicem pullum asinæ. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuz pallium suum. Lætificabuntur oculi eius à vino, & candidi dentes eius tanquam lac. Inquirant enim hij qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps & dux ex Iudæa, & qui est gentium spes, & qui vitis, & qui pullus eius, & quod indumentum, & qui oculi, & qui dentes, & quod vinum, & vnumquod que ex occultis exquirant, & inuenient non alium nisi dominum nostrum Iesum Christum annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum quod ingratus existeret, ait sic: Populus fatuus, & non sapiens, hæc domino retribuistis. Et rursus significans quoniam qui ab initio condidit & fecit eos verbum, & in nouissimis temporibus redimens nos & viuificans, ostenditur pendens in ligno, & non credit ei, ait enim: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Et iterum, Nonne hic idem pater tuus possedit te, & fecit te, & creauit te? Posteriorem nostræ assertionis partē ruetur Hieronymus in epistolam Pauli ad Galatas, enarrās locum illum: Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & deum patrem, vbi ita scribit: Aiunt Hebræi inter ipsos quoque prophetas & sanctos viros, esse quosdam qui & prophetæ & apostoli sint, alios verò qui tantum prophetæ. Denique Moysen cui dicitur, Et ego mittam te ad Pharaonē, & ipse respondeat, proinde alium quem mittas: & Esaiam, cui loquitur deus: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? esse & apostolos & prophetas. Vnde & nos possumus intelligere Ioānem quoque Baptistam & prophetam & apostolum appellandum. siquidem ait scriptura, Fuit homo missus à deo cui nomen erat Ioannes. Hæc ille. Nec immerito dictus est Moses Apostolus, eo quod fuerit missus. Nam *ὁ ἀποστόλος* dicitur missus.

CAPVT XI.



Moyse non est mortuus deficiēs, sed per verbum dei. Hæc Ambrosiana est assertio, libro primo de Cain & Abel, capite 2. vbi differēs de præclaris Moyse virtutibus, dicit: Et ideo nō legimus de eo sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum dei mortuus est. Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adiectionem capit. Vnde & addidit scriptura: Quia nemo scit sepulturam eius vsq; in hodiernum diem, quod ad translationem magis, quàm ad interitum intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ & corporis. Mortuus est igitur per verbum dei, vt ait scriptura, non secūdum verbum, vt aduertat non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui trāsflatus magis, quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse dei filius in Euangelio demonstraui? Denique & Helias simul est à quibusdam vitus, qui trāsflatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur, viuit enim qui eū dei filio est. Moyses autē mortuus quidem legitur, sed per verbum dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem dei cæli firmati sunt. Per verbum igitur dei, non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehēditur corporis solutione, sed tanquam verbi cælestis operatione donatus & munere, vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit. Bene autem inter dominum & seruum seruat distantia, vt prærogatiuam domini, intelligas serui gratiam. De Moyse legitur, quia sepulturam eius nemo scit: de Christo autem sepultura eius de terra sublata est, quia ille secundum mysterium legis expectabat redemptionē vt resurgeret, hic secundum Euangelij donum redemptionem non expectabat, sed donabat. Et ideo sepultura eius ignorata non est, sed eleuata, quā diutius tenere creatura non potuit, quia per ipsum omnis creatura properauit à corruptionis seruitijs eleuari. Nemo ergo scit sepulturam Moyse, quia vitam eius omnes nouerunt: Christi autem sepulturam vidimus, sed nunc iam non nouimus, qui resurrectionem eius agnouimus. Debit enim cognosci tumulus eius, vt resurrectio manifesta retur. Et ideo in Euangelio tumulus summa expressione describitur, in lege non quæritur, quia licet resurrectionem eius lex annuntiauerit, nobis tamen Euangelij series plenissime comprobauit. Hæc ille. Nec sum nescius scripturam Deuteronomij huic assertioni astipulari, in qua scriptum est: Dominus ostendit Moyse super mōtem Nebo, omnem terram Galaad vsque Dan, & vniuersam terram Neptalim, terramque Efraim & Manasse, & omnem terram Iuda, vsque ad mare nouissimum, & australem partem, & latitudinem campi Hierico, ciuitatis palmarum vsque Segor, & dixit ad eum: Hæc est terra pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam, vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses seruus domini in terra Moab iubente domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab, contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Nec sacra hæc scriptura dicit Moysen aliquam ægritudine intabuissē, aut senio defecissē, tamen si 120. annum attigisset: sed solum eum è vita decessissē iubente domino. Ad hæc, Nullam vnquam oculorum lippitudinem contraxit, nec eius oculi senectute caligarunt, nec eius dentes exciderūt, sed quia dominus voluit, exhalauit animam. Tum etiam Augustinus libro primo de Mirabilibus sacra scripturæ, capite 35. dicit Moysen nec motis dentibus, nec caligantibus oculis, sed integro corpore totius humani generis commune debitum soluisse. Duabus autem causis (vt sapientes aiunt) mortis eius & sepulchri nemo conscius erat: quatenus illam faciem quæ consortio sermonis domini rutilauerat, mortis mœrore repressam, nullus videret. Et ne sepulchrum eius populus Israel, si cognouisset vbi esset, adoraret. Vnde & virgam in qua signa fecerat, vt pluri putant, ne adoraretur, secum abstulerat: quoniam & serpentem quem fecerat,

Ambrosius.

Deuter. 34.

Matth. 17.

4. Reg. 2.

Psal. 32.

Deuter. 34.

Augustinus

filij Israel postmodum adorabant. ¶ At dicit quispiam, Moyses erat compositus ex qualitatibus contrarijs ipsorum elementorum, quæ agunt adinuicem & patiuntur, & continuo afficiunt humanū corpus: & cum in senibus calor deficiat & exarescat, videtur Moyses senio defecisse, & per consequens mortuus est deficiens. Respondeo diuinam voluntatem humani temperamenti conseruaticem, potuisse præpedire, ne qualitates illæ Moyfi temperamentum & incolumitatem laxissent, licet actione naturali possint ita agere ad inuicem, vt vna alterā insigniter vincat, & deficiente calore naturali, tandem homines præ senio deficiant.

CAPVT XII.

Exo. 23.

Iob 27.

Psal. 5.

Augustinus

Exod. 1.

Matth. 5.

Sapient. 1.

Ioan. 16.

1. Corin. 3.

Mendacium omne est peccatum, etiam si alicui videatur incumbere necessitas mentiendi. Hanc ex sacris literis Assertionem eruemus. Siquidem in Exodo scriptum est: Mendacium fugies, nec deus nobis præcipiet deuitandum esse mendacium, si mendacium non esset peccatum. quod si a memis veritate, scelestissimum mendacij flagitium detestabimur, & odio prosequemur: quod sanè fecit Iob, qui dicere solebat: Nec lingua mea meditabitur mendacium. Dicit etiam Psalmographus, loquens de illorum supplicij & ruina, qui scarent mendacij: Perdes omnes qui loquuntur mendaciū. Hunc locū enarrans Augustinus, omnino fauet huic assertioni, vbi ostendit mendaciū non carere culpa in eo qui mentitur, vt proferat alteri. Hoc est (inquit) veritati contrarium, scilicet mendacium. Sed ne quis putet aliquam substantiam vel naturā veritati esse contrariā, intelligat ad id quod non est, pertinere mendacium, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verū dicitur. Si autē hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo inquit, Perdes omnes qui loquuntur mendacium, qui recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinant. Multa quidem videntur pro salute aut cōmodo alicuius, non malitia, sed benignitate mendacia, quale illarū in Exodo obstetricum, quæ Pharaoni falsum renuntiauerūt, vt infantes filiorum Israel non necarentur: sed etiam ista non re, sed in dolo laudantur. quoniā qui tantum hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Nam in ijs qui perfecti sunt, nec ista mendacia inueniuntur, quibus dictū est: Sit in ore vestro est, est: non, non: quicquid amplius est, à malo est. Nec immeritò alio loco scriptum est: Os quod mentitur, occidit animā. Ne quis arbitretur perfectum & spiritalem hominem pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, siue sua, siue alterius, debere mentiri. Sed quoniā aliud est mentiri, aliud est verum occultare. Siquidē aliud est falsum dicere, aliud verum tacere: vt si quis fortè vel ad istam visibilem mortem non vult hominem proderè, paratus esse debet verū occultare, non falsum dicere: vt neq; prodar, neq; mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Si autē hoc nondum potest, vel sola huius necessitatis habeat mendacia, vt etiam ab istis, si sola remanserint, liberari mereatur, & spiritus sancti robur accipere, quo quicquid peptiendum est, pro veritate contēnat. Duo sunt omnino genera mendaciorū, in quibus non magna culpa est, sed tamen nō sunt sine culpa, cū aut iocamur, aut vt proximis profusimus, mentimur. Illud primum in iocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit: nouit enim ille cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullā beneuolētiā. Illud verò quod non habet duplex cor, nec mendaciū quidem dicendum est. Tanquā verbi gratia: Si cui gladius commodetur & promittat se redditurum, cum ille qui commodauit poposcerit: si fortè gladium suū repetat furēs, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commodatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, nō cogitabat furentem posse repetere. Verum autē occultauit & dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa. Et Apostolus Paulus cum ait, Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Vnde manifestum est non esse culpandum, aliquando verum tacere. Fal-

sum autem dicere, non inuenitur concessum esse perfectis. Et libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite decimo octauo, inquirens vtrum ad officium hominis iusti pertineat aliquando mentiri, dicit: Nonnulli enim eonsequē progrediuntur, vt & peierare, & de rebus ad dei cultum pertinentibus, ac de ipsa dei natura falsum aliquid dicere nonnunquam bonum piumque opus esse contendant. Mihi autem videtur peccatum esse quidem omne mendacium, sed multum interesse quo animo & quibus de rebus quisq; mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur. Haud verò tantum nocet, qui viatorem mentiendo in diuersum iter mittit, quantū is qui viam vitæ, mendacio fallēte deprauat. Nemo sanè mentiē iudicandus est, qui dicit falsum quod putat verum: quoniam quātum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaq; mendacij sed aliquando re-meritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet, potiusque e contrario, quantum in ipso est, mentitur ille qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse quod dicit: nec vllō modo liber est à mendacio, qui ore nesciens verum loquitur: sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis: melior est qui nesciens, falsum dicit, quoniam id verum putat: quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Ille nanque aliud non habet in animo, aliud in verbo: huic verò qualecunque per seipsum fit quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est, quod malum est proprium mentiētis. In ipsarum autem quæ dicuntur consideratione rerum, tantum interest, quia in re quisque fallatur siue mentiatur, vt cum falli quàm mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe tolerabilius sit in ijs quæ à religione sunt seiuncta, mentiri, quàm in ijs siue quorum fide vel notitia deus coli non potest, falli: vt in pluribus à perquirente lucidius inuestigabitur. Quod vt illustretur exemplis, intueamur quale sit. Si quispiam dum mentitur, viuere nuntiat aliquem mortuum, & alius dum fallitur, credat iterum Christum post quælibet longa tempora moriturū: nōne illo modo mentiri, quàm isto modo falli incomparabiliter præstat? multo que minoris mali est, in illum errorem aliquem inducere, quàm in istum ab aliquo induci? Excuriendi sunt & alij sacræ scripturæ loci quibus ostendemus nihil esse mendacio perniciosius, nihilque fugibilis. In Prouerbijs comperimus scriptum, Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. Dicit & Ecclesiasticus, Opprobrium nequam in homine mendacium. Etiam dominus per Esaiam inquit: Et subuertet gran- do spem mendacij, & protectionem. Nec (vt ostendit Hieremias) confidendum est in sermonibus mendacij: Ecce (inquit) vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalin, & ire post deos alienos quos ignoratis. Audi libenter quidnam dicat Ezechiel de manu domini mendaciorum vltice: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait dominus deus, & erit manus mea super prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium. Et in Osee vaticinio scriptum est, Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Mendacibus etiam Naum propheta malum imprecatur, dicens: Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij dilaceratione plena, nec diu viuere possunt qui profundunt mendacia, nec eam viuunt vitam, quam viuunt amantiissimi veritatis. Vnde dicit Zacharias: Non viues, quia mendacium locutus es in nomine domini. Et quis nescit Christum odisse demonem mendaciorum patrem, & artificem subtilissimum, qui maxime gaudet, cum confictis mendacij nos seducit & subornat? Ille est qui in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, & cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur quia mendax est, & pater eius. Hoc etiam vitio nephandissimo Paulus apostolus notauit Roma-

Prouer. 19.

Ecclesi. 20.

Esaiæ 28.

Hierem. 7.

Ezech. 13.

Osee 4.

Naum 3.

Zachar. 13.

Ioan. 8.

Roma. 1. nos, qui suis immerſi voluptatibus, commutauerunt veritatem dei in mendacium. Et rursus, Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Nec reticet Ioannes in sua Apocalypſi illorum cruciatus, qui mendacijs diffluunt: Timidis (inquit) & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatriſ, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Si velis ſcire an mendacium aliquo veritatis fūco obtegatur, & velamento adumbretur, lege Hieronymum in Hierem. 23. Hieremiam exponentem locum illum, Propterea ecce ego ad prophetas, dicit dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo ſuo, vbi dicit: Semper imitatur mendacium veritatem, & niſi habuerit aliquam ſimilitudinem recti, decipere non poteſt innocentes. Quomodo igitur in priori populo mentiebantur prophetæ atque dicebant: Hæc dicit dominus, Et vidi dominum, & verbum domini quod factum eſt ad illum ſiue illum? Sic hæretici aſſumunt teſtimonia ſcripturarum de veteri & nouo teſtamento, & furantur verba ſaluatoris vnusquisque à proximo ſuo, prophetis, & apoſtoliſ, & euangelis, & aſſumunt linguas ſuas, vt cordis venena ore pronuntient, & dormitant dormitationem, de quibus vere dictum eſt: Dormitauerunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt. Comminatur itaque dominus ſeipſum contra huiusmodi magiſtros eſſe venturum, qui ſeducunt populum eius in mendacijs ſuis, & in ſtuporibus atq; miraculis. Magna enim & incredibilia, & ingentia repromittunt, vt ſeducant miſeros qui nihil profuerunt populo dei. Et illud impleant apoſtolicum, Docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, qui ſolent malis proſpera, & bonis contraria nuntiare. Ad hæc, dicit Cyprianus libro quarto Epiſtolarum: Hoc eſſe opus diaboli, vt ſeruos dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus fordidentur. Hæc ille. Et quoniam diabolus mendax eſt, & pater mendacij, homo verò quia non à ſe, ſed docente, & ſuggerente diabolo, mendacium didicit: cum loquitur mendacium, non ex proprijs loquitur, ſed ex alieno, & quod aliunde accepit, neque mendacij pater eſt, ſed patris mendacij filius, quem per peccatum à veritate & deo declinando, malitiæ aſſimilatione imitatur. Et eam habet mendacium vim ſtupidam & effractam, vt ſibi ipſi obuiet, & per quæ lædere veritatem videtur, per ea clariorem oſtendit. ¶ Sed pugnabit quiſpiam aduerſus noſtram aſſertionem probando non omne mendacium eſſe peccatum, vbi potiffimum incumbit neceſſitas mentiendi. Refert Hieronymus in Apologia aduerſus Ruffinum, Origenem dixiſſe, & quidem ex ſententia Platonis, in tertio de Republica: Mendacium deo indecens & inutile, eſſe quandoque hominibus vtile, vt vtantur eo quaſi condimento atque medicamine. Et principes vrbium, ſi hoc concedatur alijs, oportet aliquando mentiri vel contra hoſtes, vel pro patria & ciuibus. Ab alijs verò qui vti mendacio neſciunt, auferendum eſt omne mendacium. Origenes, Et nos igitur illius præcepti memores, Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo ſuo, non debemus dicere, Quis eſt proximus meus? ſed conſiderare quomodo philoſophus caute dixerit, Deo indecens & inutile eſſe mendacium, hominibus interdum vtile, & quod ne pro diſpenſatione quidem putandus ſit deus aliquando mentiri. Sin autem commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguus, & per anigmata quæ vult proferat, vt & veritatis apud eum dignitas conſeruetur, & quod noxium eſſe poterat, ſi nudum proferretur in vulgus, quodam rectum velamine proferatur. Homo autem cui incumbit neceſſitas mentiendi, diligenter attendat, vt ſic vtatur interdum mendacio, quomodo condimento atque medicamine, vt ſeruet meſuram eius, ne excedat terminos, quibus vſa eſt Iudith contra Holoferne, & vicit eum prudenti ſimulatione verborum: imitetur Heſter, quæ Artaxerxis ſententiam diu tacita gentis veritate correxit. Et in primis patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artificio impetraſſe mendacio. Ex quo perſpicuū eſt, quod niſi ita mentiri fuerimus, vt magnū nobis ex hoc aliquid quaeratur

Iudith. 10.
11. & 12.
Heſter 14.
& 15.
Gene. 27.

commodum, iudicandi ſimus, quaſi inimici eius, qui ait: Ego ſum via, veritas, & vita. Inſuper Chryſoſtomus homilia quinta de Pœnitentia, laudat mendacium Raab, edifferens illum Pauli locum, Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, exploratores excipiens cum pace, vbi ita loquitur: Reſpice quomodo multa cum ſapientia bonam eius inferunt voluntatem. Cum enim traſmiſſi à rege ſunt, qui exploratores quaerent, dicunt ei: Si ingreſſi ſunt ad te viri? Ipſa verò ad eos ita inquit: Ingreſſi, prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Nequaquam enim mendacium ex ſe creditur, niſi præueniens veritatem oſtenderit, propterea qui creduliter mentiuntur, prius vera fatentur atque omnibus manifeſta, deinde mendacium inducunt ac dubium. Ingreſſi ad te, inquit, exploratores? dicit, ſic: Si enim à primo dixiſſet non, ad ſcrutinium prouocaſſet abeuntes. Sed ingreſſi ſunt (inquit) & egreſſi eadem via, perſequimini & comprehendite eos. O bonum mendacium, ò bonum dolum diuina non tradentem, ſed pietatem cuſtodientem. Si igitur Raab illam fratres pœnitentia dignam effecit, atque per os ſanctorum prædicatur: Ieſu quidem Naue in deſerto clamante, Viuat Raab mere. Iofue 6. trix: Paulo verò dicente: Fide Raab meretrix non perijt cum infidelibus. multo magis nos ſi pœnitentiam induxerimus, ſalutem conſequimur. Pœnitentiæ ergo tempus nunc, multus enim timor imminentium peccatorum: præoccupet pœnitentia pœnam, præoccupemus faciem eius in confeſſione. Rogum peccatorum Pſal. 49. extinguiamus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lachrymis. Multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lachryma. Nam lachryma rogum extinguit peccatorum. Præterea Auguſtinus libro vno de Mendacio ad Conſenſum, capite quinto, videtur planè colligere ex veteri teſtamento multa eſſe mendacia quæ non inueniuntur reprehensa, vel reprehendi non poſſunt. Nam Sara cum riſit, negauit angelis quod riſerit, nec tamen reprehenditur hoc mendacium. Iacob pariter à patre interrogatus, reſpondit quod eſſet Eſau, filius eius primogenitus, & tamen Eſau erat primogenitus Iſaac. Adde quod Aegyptiæ obſetrices, ne infantes Hebræi interficerentur, commiſerunt mendacium, dicentes regi Aegypti, Non ſunt Hebrææ ſicut Aegyptiæ mulieres. Ipſæ enim obſetricadi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt: & tamen deus hoc approbavit, & illis beneficium contulit. Igitur non omne mendacium eſt improbandum. Ad hæc non deſunt rationes quæ videntur à quopiam extorquere mendacium gratia tuendæ ſalutis proximi. Si quis ad te confugiat qui mendacio tuo poſſit à morte liberari, nunquid mentieris? Si aliquid ægrotus interroget quod ei ſcire non expedit, qui etiam poſſit te non reſpondente grauius affligi, audebis ne potius verum dicere in perniciem hominis, quàm honeſto & miſericordi mendacio, eius valetudini optulari? Nonne etiam tuendæ pudicitæ gratia, mendacium conſinges? Si ſupraſtor illibatam & intactam virginis corpus inuaſerit, cui non poteſt vi obſiſtere, bene tamen mendacio: nunquid ei licebit vt ſuam tueatur virginitatem & pudicitiam, mentiri? nonne maius malū eſt, permittere virginitatem deſlorari, & ſuo candido flore exui, quàm officioſe mentiri? Nemo certe neſcit, cum duo me vrgent mala & diuexant, minus eſſe eligendum. Et ſimilitudine decertabimus, Chriſtianus eligat thurſificare idolis, ne conſentiat ſupro, quod perſecutor ei niſi faceret minabatur, ergo etiam eliget mentiri vt tantam illam turpitudinem deuitet. Amplius, Si homicida confugiat ad tuam domum tanquam ad Aſylum, & miniſter iudicis aut ipſemet iudex ſciſcitetur à te: vbi nam locorum tuæ domus latet ſcleratus homicida, de cuius reſipiſcentia bene ſperas, nonne vt eripias illū à laqueo, mentieris? an potius eum prodes, quod maius eſt mendacio? Verum vt efficacius ſit argumētum, contendemus de innocēte, qui ab iniuſto iudice quaeritur ad mortem, nonne interrogatus à iudice, ſi nam innocēs ille qui ad tuā domum cōfugit, & qui tuæ fidei tuto cōſidit, lateat in tua domo, dices vt eū vindices à morte, non eſt in mea domo, non noui illum? an potius prodes innocētē iniuſtiſſimo iudici? ¶ Diluēdæ ſunt rationes c. ij.

Ioan. 14.
Hebre. 11.
Chryſoſto.

Iofue 2.

Iofue 6.

Pſal. 49.

Auguſtinus

Gene. 18.

Exo. 1.

obiecta: Cum adducis quod refert Hieronymus, Mendacium deo indecens & inutile, esse hominibus vtile: & vtendum est mendacio tanquam condimento & medicamine. Hoc non est Hieronymo ascribendum, & qui ascribit, nescit expendere quando Hieronymus suam fert sententiam, & quando etiam aliorum placita & scripturas refert, sed illud ascribendum est Platoni & Origeni, qui (teste Hieronymo) in eadem apologia, inter se orgijs mendaciorum foedantur: & argumentis ipsius Origenis satisfaciemus, cum dicit Iudith prudenter vsam esse mendacio contra Holofernem, quem prudenti simulatione verborum vicit. Negant plerique viri, etiam doctissimi, eam suis verbis insperasse mendacia. Nam quicquid dicebat Holoferni, vt liberaret filios Israel à spiritu dei promanabat, quo duce nunquam fuit in facto illo destituta. Et quæ ab ea fiebāt, erāt mystica & figuratiua, licet pia forsità simulatione vsa fuerit in his quæ egit cum Holoferne. Lyranus tamē exponēs hęc verba Iudith, quibus loquebatur cum exploratoribus Assyriorum, Filia sum Hebræorum, ideo fugi à facie eorum, quoniam futurum agnouit quod dentur vobis in depredationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt vltro tradere seipfos, vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitavi mecum dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos: ita vt non cadat vir de exercitu eius. dicit hęc verba Iudith, & sequentia pleraque esse mēdacia conficta ad liberationem populi deum colentis, & ad deiectionem superbi cultum diuinum destruere intendentis: & tale mendacium est officiosum, & per consequens non est peccatum mortale, sed veniale tantum, à quo non oportet excusare Iudith, quia nec apostoli longe perfectiores, & maxime post receptionē spiritus sancti, dicuntur immunes à peccato veniali. Siquidem dicit Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipfos seducimus, & veritas in nobis non est. Et ad Galatas dicit Paulus de Petro, quod erat reprehensibilis. De varijs sed prudentissimis ipsius Hester simulationibus, quibus utebatur, cum regijs indumentis exornata, alloquebatur Assuerum regem. Dicit Idem Lyranus, quod cum illa inuitavit ad conuiuium regem & ipsum Aman, quem tantopere rex diligebat, antequam Hester eum de tanto amore tantæque familiaritate deiecisset, non recte egit solum inuitando cum rege Aman ad paratum conuiuium, quem cupiebat cruci affigi, tamen commendatur de facti intentione, quia hoc faciebat ad deiectionem superbi, & liberationē innocentis populi, sicut & Iudith de mendacijs quæ dixit Holoferni non commēdatur, sed de intentione liberationis populi sui. Negamus deinde quod dicit Origenes Patriarcham Iacob benedictiones patris artificii impetrasse mendacio. Enimvero non lapsus est in mendacij vitium, cum dixit: Ego sum Esau primogenitus tuus, non enim illis verbis volebat innuere Iacob, se esse simpliciter Esau, sed solum quod ei deo volente debebatur ius primogenituræ Esau. Obiectionem illam quam ex Chrysofomo mouimus, in hunc modum diluimus, Non vocatur mēdaciū ipsius Raab bonum, quod conficto hoc mendacio Raab laudetur: quandoquidem nemo laudatur quia mentitur, sed vocatur illud mendacium bonum, quod profuerit Raab & exploratoribus qui missi erant ad considerandam urbem Hiericho. Nam cum dixit famulis regis Hiericho qui dicebant regem conqueri & vehementer dolere, quod in suo hospitio excepisset humanissime exploratores: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent. Cūque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quod abierunt, mentiebatur. Nam sciebat vbi latebant, eo quod statim abeuntibus famulis, fecit eos ascendere in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini quæ ibi erat. Sed illud mendacium, vt dicit Lyranus, erat officiosum, nec propter illud mendacium placuit deo, & beneficium obtinuit, sed propter misericordiæ & pietatis officia, quæ illis exploratoribus præstitit, etiam propter liberationem sui & exploratorum. Nunc argumentis Augustini satisfaciemus, qui videtur colligere ex veteri testamēto multa esse mendacia quæ nō reprehenduntur. Sed quonā pacto non re-

Iudith. 10.
Lyranus.1. Ioan. 1.
Galat. 2.

Hester 5.

Iosue 2.

prehenderentur, si mendacia dici debeant? Nec id somniauit Augustinus in capite pronuntiato, sed illorum rationes adfert, quibus sibi falso persuaserunt pleraque esse mendacia in veteribus libris, quæ non reprehenduntur: contra quos confligit & contendit ex illis sacre scripturæ testimonijs, Os quod mentitur, occidit animam. Sapien. 11.
Et perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et quod gestum est à Sara & Iacob, figurate accipi potest, quamuis reuera contigerit. Quicquid autem figurate fit aut dicitur, non est mendacium. Omnis enim enuntiatio ad id quod enuntiat, referenda est: omne autem figurate aut factum aut dictum, hoc enuntiat quod significat eis quibus intelligendum prolatum est. Vnde credendum est illos homines qui prophetis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis, prophetice gessisse atque dixisse. Nec minus prophetice eis accidisse quæcunque sic acciderunt, vt eodem prophetico spiritu memoriæ, literisque mandanda iudicarentur. De obstetricibus autem, quia non eas possunt dicere prophetico spiritu significandi futuri veri gratia, aliud pro alio renuntiasse Pharaoni, etiam si aliquid ipsis nescientibus quod per eas actum esset, significauit, pro gradu suo dicunt approbatas & remuneratas à deo. Qui enim nocendi causa mentiri solet, si iam consulendi vel proficiendi causa mētatur, multum proficit. Sed aliud est quod per seipsum laudabile proponitur, aliud quod in deterioris comparatione præponitur. Aliter enim gratulamur cum sanus est homo, aliter cum melius habet ægrotus. Nam in scripturis ipsis, iustificata etiam Sodoma dicitur, in comparatione scelerum populi Israel. Lyranus dicit Aegyptias Hebræas admisisse mendacium officiosum, quod est veniale delictum, non auferens delictum. Nec quia mētatur sunt, remunerationem à domino obtinuerunt, sed quia paruulos Hebræorum à morte eripuerunt. Nec argumenta deinde adducta satis habent momenti & roboris, ad suadendum quod liceat mentiri. Non enim debeo confingere mendacium, vt ad me confingentem eripiam à morte: quandoquidem non sunt facienda mala, vt eueniant bona. quid enim boni à deo obtinere possum, cum meo scelere aliquis euidit mortem? Nonne videor planè salutem meæ animæ contemnere, cum magis adnitor consulere vitæ corporali mei amici, quàm meæ propriæ spirituali? Quod si possim fictitijs verbis aut honesta fictione opitulari valetudini mei proximi, quem dicendo verum offenderem, sanè id vnum contendam & laborabo, & veritatem occultabo, ne eius morbum exasperem. Quod si non debeam quem vnice colo & amo, adulterio vel furto, à morte eripere, nec etiam mendacio: aut si mendacio, certe & furto & adulterio. Quandoquidem huiusmodi actus sunt prauitati connexi. Et teste Philosopho septimo capite quarti Ethicorum, Mendacium per se est improbum, quod totis viribus persequi debemus: quod sanè faciebat Artaxerxes Persarum rex, qui veritatem in suis militibus summopere exquirebat. Nec addubito quin in illos seuerè animaduertendum sit, qui veritatem mendacio violant. Et falsum est quod dicitis, tuendæ pudicitæ gratia, mendacium esse licitum. Si enim virgo deberet à petulantissimo stupratore membratim discerpi & dilacerari, nisi mentiretur: non deberet consentire mendacio, vt vitaret stuprum, sed æquo animo & præclara animi magnitudine debet, ne scelus quodpiam admittat, omnia tormenta tolerare. Quod si nullo modo consenserit libidini, etiam infestata à stupratore, aut immaniissimo raptore: non censetur proprie corrupta, sed potius vexata. Et quidnam de hac re sentiat Augustinus in eodem libro, capite septimo, proferemus, vbi responderi quæstioni propositæ. Facile (inquit) responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat, qua dirupta, cadat necesse est, etiam si intacta videatur, & ideo non in rebus temporalibus esse numerandam, quasi quæ inuitis possit auferri. Nullo modo igitur animus se mendacio corrumpit pro corpore suo, quod scit manere incorruptum, si ab ipso animo incorruptio non recedat. Quod enim violèter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius quàm corruptio nominanda est. Aut si omnis vexatio, corrup-

Sapien. 11.

Psal. 5.

Augustinus

Ezech. 16.

Lyranus.

Roma. 3.

Philosoph.

ptio est, non omnis corruptio turpis est, sed quam libido procurauerit, aut cui libido confenserit. Quāto autē prāstantior est animus corpore, tāto sceleratius corrūpitur. Ibi ergo seruari potest pudicitia, vbi nulla nisi voluntaria potest esse corruptio. Certe enim si stuprator corpus inuaserit, cui nec vi cōtrairi possit, nec vllō cōsilio vel mendacio deuitari, necesse est fateamur aliena libidine pudicitia non posse violari. Quapropter quoniā nemo dubitat meliōrē esse animū corpore, integritati corporis integritas animi prāponenda est, quā ināternum seruari potest. Quis autem dixerit integrum esse animū mentientis? Etenim libido quoq; ipsa recte definitur, Appetitus animi quo aternis bonis quālibet tēporalia prāponūt. Nemo itaq; potest conuincere aliquādo esse mentiendum, nisi qui potuerit ostēdere aternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Cum rursus obijcis, Christianus eligit thurificare idolis, ne consentiat stupro quod persecutor ei, nisi faceret, minabatur: ergo etiam eligit mentiri, vt tantam illam turpitudinem deuitet. non inualidum videtur esse argumentum: sed nego antecedens. Neutrum enim debet eligere, nec ita alterutra conditionum impelletur, vt cogatur consentire, vt sacrificet idolis, vel stuprum perpetret: non enim dicēda est consensio, vbi non est approbatio: & quia neutrum vitium approbat, idcirco muro aheo firmior, neutri vitio consentit. Augustinus capite nono eiusdem operis dicit: Proponentibus illam conditionem atque dicentibus: Si non thurificaueris, hoc patieris: si respondisset, Ego neutrum eligo, vt runque detestor, ad nihil horum vobis consensio. Inter hęc verba atque talia, quā certe quoniam vera essent, nulla eius consensio, nulla approbatio teneretur, quācunque ab eis passus esset, illi deputaretur iniuriarum acceptio, illis cōmissio peccatorū. Debitne igitur (ait quispiam) stuprum perpeti potius quā thurificare? Si quæris quid debuerit, neutrum debuit. Si enim dixero aliquid, horum debuisset aliquid horum approbabo, cum improbem vt runq;. Sed si quæritur quid horū potius debuit euitare qui vt runq; non potuit, sed alterutrū potuit. Respondebo, suum peccatum potius quā alienū, & leuius potius quod suum, q̄ grauius quod alienum. Satisfaciendū est & vltimā rationi, de homicida, aut de ipso innocēte qui confugit ad domū tuam vt saluetur, & deuitet manus persequētium, dico te non posse dicere absolute, is quem quæritis, non est in mea domo, cum tamen sciam eum in domo mea latere: sed potero non nihil fingere, aut verum occultare, vel dicam, nec posse mentiri, nec hominem prodere. Dicit Augustinus cap. 13. eiusdem libri, quempiā ita huic rationi satisfecisse: Mentiri ad regendum cuiusquam peccatum, malum est: mētiri autem ad regendum peccatorem, non est malū. Non enim tunc peccat quisquam, cum euitat supplicium, sed cum facit aliquid dignum supplicio. Pertinet autem ad disciplinā christianam, vt neq; de cuiusquā correctione desperetur, neq; cuiquā pœnitendi intercludatur aditus. Et in eodē capite, quod obiectum est diluendo, dicit: Euitato mendacio, omne testimonium falsum effugies, siue omne mendacium sit falsum testimonium, siue non omne. Euitato autē falso testimonio, quod tu esse intelligis, non effugies omne mendacium. Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices, nec prodam, nec mentiar? Fecit hoc episcopus quondā Tagastensis Ecclesiæ Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cū ab eo quæreretur homo iussu imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientē diligentia quanta poterat, occultabat, respondit quæritibus, nec mentiri se posse, nec hominē prodere: passusq; multa tormenta corporis (nondū enim erant imperatores Christiani) permanit in sententia. deinde ad imperatorem ductus, vsque adeo mirabilis apparuit, vt ipsi homini quem seruabat, indulgentiam sine vlla difficultate impetraret.

CAPVT XIII.

Augustinus



Artyrem Christi non facit pœna, sed causa: quem vt regnū dei ingrediat, baptismo aquæ ablui non est necessariū. Prior huiusce Assertionis pars est Augustini in plerisq; suorum operum locis. Siquidē in epistola ad Dulcitium Tribunū, dicit: lam enim nescio quotiens disputando & scri

bendo monstrauimus, non eos posse habere martyriū mortem, quia Christianorum non habent vitam: cum martyre non faciat pœna, sed causa. Et ad Festum scribēs de eadē re, ita differit: Quid autē infelicius atq; peruersius (sicut Donatistæ faciūt, qui se persecutionem perpeti gloriantur) q̄ de coercionē iniquitatis suæ non solum nescire confundi, sed etiā velle laudari, ignorātes cæcitate mirabili vel animositate damnabili, seu scire dissimulantes q̄ martyres veros non faciat pœna, sed causa? Et hoc quidē aduersus eos dicerē, quos sola caligo hæretici erroris inuolueret, pro quo sacrilegio pœnas dignissimas luerent, nec tamen vlla quenquā violenta insania laedere auderent. Et libro i. contra epistolam Parmeniani, ostendens abunde non ex martyrum passione esse certā iustitiam, sed ex iustitia passionem esse gloriosam, ridet temerariam quorundā pseudochristianorum impudentiam, qui putant interfectos ab imperatoribus pro sua falsa religione (quam tamē veram esse & synceram defendunt) esse martyres. Si quis eorum (inquit) damnatus in tali crimine fuerit, martyr continuo æstimandus est, quia pro superstitione, quam piam religionem putabat, pœnas legibus luit? Nullus certe quoquomodo Christianus audeat hoc dicere. Non ergo quisquis in aliqua religionis quæstione fuerit ab imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vidēt qui talia sentiunt, in eum locum se progredi, vt ipsos etiam demones martyrum sibi gloriam vindicare posse contendant, quia istam patientiam persecutionem per imperatores Christianos, vt penē toto orbe terrarū eorum templa euertantur, idola comminuantur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fuerint, puniantur. Quod si demētissimum est dicere, non ergo ex passione certa est iustitia, sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideoq; dominus ne quispiam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait, Beati qui persecutionem patiuntur, sed addidit magnam differentiam, qua vera à sacrilegio pietas secernatur. Ait enim, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nullo modo autem propter iustitiam, qui Christi Ecclesiam diuiserunt, & cum ea quasi simulata iustitia conantur ante tempus à palea separari, ac frumenta eius falsis criminationibus infectantur, dum ipsi ab ea potius tanquam lenissima palea, varijs rumoribus separati sunt. Libro etiam tertio, contra Cresconium Grammaticum, capite 47. dicit: Pars Donati intelligat, quod Christi martyrem non facit pœna, sed causa. Et in Psalmum 34. dicit: Multi hic patiuntur, & pro peccatis, & pro sceleribus suis: Magna vigilantia discernenda est causa, non pœna. Sceleratus enim potest habere martyris similem pœnam, sed tamē dissimilem causam. Tres erant in cruce, vnus saluator, alter saluandus, alius damnandus: omnium par pœna, sed impar causa. Ac signat & rationem explicando locum illum eiusdem psalmi, Intende iudicio meo deus meus, & dominus meus in causam meam: quare martyres non facit pœna, sed causa. Nam si (inquit) pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur. Ergo discernatur causa. Nemo dicat, Quia patior, iustus sum: quia ipse qui primo passus est, ideo magnam exceptionem addidit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nam multi habentes bonam causam faciunt persecutionem, & habentes malam causam patiuntur persecutionem. Si enim persecutio non posset fieri bene, non diceretur in psalmo, Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequer. Deinde fratres, pater bonus & iustus, nonne persequitur filium luxuriosum? Persequitur vitia eius, non ipsum, non quod genuit, sed quod ille addidit. Medicus nempe qui ad salutem adhibetur, nonne ferro plerunq; armatur? Sed contra vulnus, non contra hominē, secatur vt sanet, & tamen cum secatur ægrotum, dolet ille, clamat, resistit. & si fortē febre mentē perdiderit, etiam medicum cædit, nec tamen ille desistit à salute ægrotantis: quod nouit, facit, illum maledicentē, conuiciantem non curat. Nonne excitantur cuncti lethargici ne somno graui premantur in mortem? Et hoc patiuntur à filijs suis quos charissimos genuerunt. Et non est charus

Matth. 5.

Psalm. 34.

Psalm. 104.

c. iij.

filius, nisi fuerit dormienti patri molestus: lethargici excitantur, phrenetici ligantur, sed tamen vtrique amantur. Nemo ergo dicat, persecutionem patior, non ventilet poenam, sed probet causam: ne si causam non probauerit, numeretur cum iniquis. Ideo quam vigilanter, quam optime hic commendauit: Domine intende iudicio meo, non poenis meis, deus meus & dominus meus in causam meam. Adde quod in enarratione 43. psalmi, ostendit veros martyres debere cruciatus sufferre pro nomine Christi. Et Paulus exhortans martyres ne deficiant in tribulationibus pro nomine Christi susceptis, profert ad Romanos psalmum illum, Propter te mortificamur tota die, deputati sumus sicut oues occisionis: ut nobis propriae martyrii causam exprimat. Vocem ergo martyrum audiamus in psalmo, & vox martyrum videre quam bonam causam habeat, cum dicit, Propter te. Nam & dominus ideo addidit, Propter iustitiam, cum diceret: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: ne quisquam persecutionem patiens, ex ipsa poena quaereret gloriam, non bonam habens causam. Ad haec, in enarratione 63. psalmi ostendit in quo scopus martyrum desigi debeat, qui tam excellens, tam denique insigne nomen obtinere non poterunt, nisi intuerentur eum qui primus passus est, nec talia sustinerent in passione, qualia ille, nisi talia sperarent in resurrectione, quia ipse de se demonstrauit. Aperit & paulo fusius encomia martyrii non consistere in poenae acerbitate, sed in causae bonitate, explicando psalmum illum, Confortati sunt inimici mei, qui persequuntur me iniuste. vbi ita loquitur: Ipsa est vox martyrum, non in poena, sed in causa. Non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi, laus est: sed habendo causam bonam ista pati, haec laus est. Laus enim est in causae bonitate, non in poenae acerbitate. Nam quatacunque fuerint supplicia martyrum, nunquid aequantur supplicijs omnium latronum, omnium sacrilegorum, omnium sceleratorum? Quid enim? & hos odit mundus? Odit plane. Excedunt enim mundi medietatem amplitudine malitiae, & ab ipsa mundanorum quodammodo hominum societate alieni sunt, infestantes pacem etiam terrenam, & patiuntur multa mala, sed non gratis. Denique vide vocem illius latronis cum domino in cruce pendens, cum insultaret ex alia parte vnus duorum latronum domino crucifixo, & diceret, Si filius dei es, libera te: compefcuit illum alter, & dixit: Tu non times deum, vel quia in eadem damnatione positus es? Et nos quidem recte pro factis nostris punimur. Ecce non gratis sed confessione effudit ex se sanguinem, & factus est aptus cibo domini. Excluit iniquitatem suam, accusauit eam, & caruit ea. Ecce ibi duo latrones, & ibi dominus: & illi crucifixi, & ille crucifixus: & illos odio habuit mundus, sed non gratis: & illum odio habuit, sed gratis. Astipulatur & huic assertioni Chrysostrumus oratione prima aduersus Iudaeos, dicens: Praedonibus raduntur latera, & monimentorum perfossoribus, maleficisque. Verum idem patiuntur & martyres. Facta quidem sunt eadem, ceterum animus & causa cur haec fiant, non est eadem, eoque plurimum est discriminis inter hos & illos. Quae admodum igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum & causam, ob quam cruciatus inferuntur consideramus, & ob id martyres amamus, non quod cruciatur, sed quod ob Christum cruciatus ferunt. Contra, Latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob male facta puniuntur. Haec ille. Perspicis ex huius eruditissimi viri sententia, illum non ex eo vocitandum martyrem, quod sufferat mortem, & cruciatus toleret. Nam haec sicarijs, praedonibus, & nocentissimis pyratibus contingere possunt, & omnibus infidelibus ac reipublicae inimicis: sed is censetur martyr, qui forti & iniuncto animo sponte patitur mortem pro nomine Christi, quem verbo & opere in supplicijs confitetur, praedicat & suspicit, nec vllis vnquam tormentis etiam atrocissimis, ab eius fide dimoueri potuit, maluitque omne tormentorum genus perpeti, quam quod eum negauerit. Et de huiusmodi strenuissimis militibus ait Christus: Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Mire commendat Tertullianus libro vno ad Martyres praefatam

martyrum virtutem, in sufferendis pro Christo supplicijs, eorumque animos confirmat, & exhortatur, ut alacres in Christianismo, & gratia dei perseuerent, illi sunt qui coguntur, cruciatur & fatigantur: sed quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant. Carcerem habent pro Palaestra, ut ad stadii tribunalis, bene exercitati incómodis omnibus producantur. Nec me pigebit referre quae summa cum diligentia & exquisito iudicio scripsit Cyprianus libro 2. Epistolarum, Epistola 6. de praefata martyrum commendatione: Quibus (inquit) vos laudibus fortissimi praedicem fratres? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo praconio vocis exornem? Toleratis vsque ad consummationem gloriae durissimam quaestionem, bene cessistis supplicijs, sed vobis potius supplicia cesserunt, finem doloribus quem tormenta non dabant, coronam dederunt. Quaestio grauior ad hoc diu perseuerauit, non ut stantem fidem deiceret, sed ut homines dei ad deum velocius mitteret. Vidit admirata praesentium multitudo caeleste certamen, certamen dei, certamen spirituale, praedium Christi, stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentibus armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes, ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerunt, inexpugnabilem fidem superare non potuit saeuens diu plaga repetita, quauis rupta compage viscerum torquerentur: in seruis dei iam non membra, sed vulnera, fluebat sanguis, qui incedium persecutionis extingueret, qui flammam & ignem gehennae glorioso cruore sopiret. O quale illud fuit spectaculum deo! quam sublime, quam magnum, quam dei oculis sacramento ac deuotione militis eius acceptum! sicut scriptum est in psalmis spiritu loquente ad nos: Pretiosa in conspectu domini mors iustorum eius. pretiosa mors haec est, quae emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quae accepit coronam de consummatione virtutis. Quam laetus in illis Christus fuit, in illis pugnavit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit. Certamini suo affuit, praediatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Cum vos (inquit) tradiderint, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Ostendit & libro 3. ad Quirinum, quae nam bona a martyrio proficiantur: De bono (inquit) martyrii, in Sapiencia Salomonis legimus, liberat de malis animam martyr fidelis, vbi tractatio nostra habet testis, quod idem est: nam Graece martyr, Latine dicitur testis. Item, Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui labores eorum diripuerunt. Videntes turbantur timore horribili & mirantur in subitatione insperatae salutis dicentes inter se poenitentiam habentes, & per angustiam spiritus gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos infensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos fors illorum est? Ergo errauimus a via veritatis & iustitiae, lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus solitudines difficiles, viam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transferunt omnia ista sicut umbra. De hoc ipso in psalmo, Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Itē illic, Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Et ambulantes ambulabant, & plorabant mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione, colligentes gramina sua. De hoc ipso in Euangelio iuxta Ioannem: Qui amat animam suam, perdet illam: & qui odit animam suam in isto seculo, in vitam aeternam inueniet illam. Item illic, Cum autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini: non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Item illic, Veniet hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se deo facere. Sed & hoc facient, quo-

Cyprianus.

Psalm. 115.

Matth. 10.

Proverb. 14.

Sapien. 5.

Psalm. 125.

Ioan. 12.

Matth. 10.

Ioan. 16.

Matth. 5. niam non cognouerūt patrem, neque me. De hoc ipso apud Matthæum: Beati qui persecutionem passi fuerint propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Item illic, Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Item illic: Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum corā patre meo qui in cælis est. Qui autem me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis est. Qui autem sustinuerit vsque in finem, hic saluus erit. De hoc ipso ^{Matth.} Lucam: Beati eritis cum oderint vos homines & separauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini vestro quasi nequam propter filiū hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælis. Itē illic: Amen dico vobis, nemo est qui relinquat domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum dei, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo autem futuro vitam æternam.

Apocaly. 6. De hoc ipso, in Apocalypsi: Et cum aperuissem quintum signū, vidi sub ara dei animas occisorū propter verbum dei, & martyrium suum, & clamauerunt magna voce, dicentes: Quousque domine verus, & sanctus non iudicas, & vindicas sanguinē nostrum de his, qui in terris inhabitant? Et datae sunt eis singulis stolas albas, & dictum est eis, vt quiescerent adhuc breui tempore, donec impleatur numerus confessorum & fratrum eorum, quique postea occiderentur exemplo ipsorum. Item illic: Post hæc vidi turbam multam quam dinumerare ex his nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu, & ex omni populo, & lingua, stantes in cōspectu throni, & in conspectu agni, & erant amicti stolis albis, & palmæ fuerunt in manibus eorū, & magno clamore dicebant: Laus deo nostro sedenti super thronum, & agno. Et respondit vnus de senioribus, dicens mihi: Qui amicti sunt stolas albas, qui sunt, & vnde venerunt? Et dixi ei: Domine mi tu scis. Et ait mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni. Ideo sunt in conspectu throni dei, & seruiunt ei diebus, & noctibus in templo eius. Et is qui sedet in throno habitabit super eos, neque esurient, neque sitient vnquam, sed neq; sol super eos cadet, neque vllum æstus patietur. Quoniam agnus qui in medio throni est, reget eos, & deducet eos ad fontem aquæ viuæ, & absterget deus omnem lachrymam ex oculis eorū. Item illic: Qui vincet, dabo ei edere ex omni ligno vitæ, quod est in paradiso dei mei. Item illic: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Beati erunt qui vigilabunt, & seruiabunt vestimenta sua ne nudi ambulent, & videāt turpitudinem suam. De hoc ipso ad Timotheū in secunda: Ego iam delibor, & tempus instat assumptionis. bonum certamen certavi, cursum perfecimus, fidē seruauimus, iam superest mihi corona iustitiæ, quam mihi reddet dominus in illo die iudex iustus: non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt aduentum eius. Beatus quoque Cyrillus libro 6. cōtra Iulianum, existimat martyribus plurimum honoris esse deferendum, qui perpetuis digni sunt laudibus, nec tamen adorandi. At (inquit) sanctos martyres, neque deos esse dicimus, neque adorare consueuimus, laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt, & fidei sinceritatem seruarunt: ita vt & suam animā contēperint, & mortis terroribus valedicentes, præualuerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ vitæ excitaturi. Proinde nō est indignum, imō etiam necessariū eos qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus. (Posteriorem assertionis partem hac ratione cōprobabo: Qui abluti sunt baptismo sanguinis, non indigent vt æternam indispiscantur foelicitatē baptismo aquæ. Nā illi sunt qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, & qui confessi sunt Christum coram hominibus. Sed martyres abluti sunt baptismo sanguinis, igitur vt æternam indispiscantur foelicitatem, non indigent baptismo aquæ. Si tamen honorabile & sanctissimū baptismi sacramentum contempserint, nullis etiā discruciatu tormentis, in cælum eueherentur. Fauet & huic veritati Augustinus li-

bro 13. de Ciuitate dei, capite 7. dicens: Nam quicumque etiā non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō intrabit in regnum cælorū, alia sententia istos fecit exceptos, vbi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eū coram patre meo qui in cælis est. Et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Hinc est quod scriptum est, pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possent, baptizati sunt, delectisq; omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quāti sunt hi qui mortem cum differre possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christū confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius baptismum peruenire. Quod vtique si fecissent, etiam hoc eis in illo lauacro dimitteretur, quod timore mortis negauerant Christum: in quo lauacro etiam illis facinus tam immane dimissum est, qui occiderant Christum. Sed quando sine abundantia gratiæ spiritus illius, qui vbi vult spirat, tantum Christum amare possent, vt eum in tanto vitæ discrimine, sub tāta spe veniæ negare non possent? Mors igitur pretiosa sanctorum, quibus cum tanta gratia est præmissa & prærogata mors Christi, vt ad eum acquirendum, suam non cunctarentur impendere animam, in eos vsus redactam esse monstrauit, quod ad poenam peccantis antea fuerat constitutum, vt inde iustitiæ fructus vberior nasceretur. Mors ergo non ideo bonum videri debet, quia in tantam vtilitatem non vi sua, sed diuina opitulatione conuersa est, vt quæ tunc metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, commissūque deleatur, magnæque victoriæ debita iustitiæ palma reddatur. Adde quod Cyprianus tractatu de Singularitate clericorū, dicit martyrium, ideo appellari tam coronam quàm baptisma, quia baptizat pariter & coronat: sed notissimum est martyrium non baptizare baptismō aquæ, sed sanguinis, qui non est aquæ baptismō postponendus. Amplius, Origenes homilia 12. in Matthæum, asserit omne martyriū esse duplex intellectu: quorum vnum vocatur Calix salutaris, reliquum autem Baptisma. Et hoc quidem quod quis perfert dolores, calix est, quæ bibit omnis qui sustinet omnia sibi illata, nec reijcit, nec euomit aliquid eorum: quod autem quis in passione remissionem accipit peccatorum, baptisma est. Si enim baptisma indulgentiam peccatorum promittit, sicut accepimus de baptismō aquæ & spiritus: remissionem autem accipit peccatorum, & qui martyrij suscipit baptismū, sine dubio ipsum martyrium rationabiliter baptismus appellatur. Quoniam autem remissio fit peccatorum omni martyrium sustinenti, manifestum est ex eo quod ait: Omnis qui confessus fuerit in me coram hominibus, & ego confitebor in illo coram patre meo, qui est in cælis. Confitebitur ergo coram patre suo Saluator omnem hominem qui confessus fuerit eum coram hominibus, etsi fuit ante confessionem aliqua habens peccata. Si enim eos qui aliqua habentes peccata confessi sunt, non confitetur & Christus corā patre suo, iam non erit verum quod dixit: Omnis qui me confessus fuerit, & cætera. Aliàs autem peccatorem nescio si confitetur Christus coram patre suo. Confessio enim filij glorianis, est in cōspectu paterno, super eo quem cōfitebitur quasi digno Christi confessione ad patrem. Secundum hæc videntur & calicem bibisse, & baptismō baptizati filij Zebedæi, quoniam Herodes quidem interfecit Iacobum fratrem Ioānis gladio, imperator autem Romanorum sicut docet: traditio, condemnauit Ioannē dantem testimonium verbi dei, in insulam Patmon, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens quis eum condemnauit, sed vbi fuit condemnatus. Dicit autem in reuelatione sua hoc modo, Ioannes frater vester, & socius in tribulatione, & in regno, & in patientia Iesu, fui in insula quæ vocatur Patmos, propter verbum dei, & propter

Augustinus

Ioan. 3.

Matth. 10.

Ioan. 3.

Cyprianus.

Origenes.

Acto. 12.

Apocaly. 1.

testimonium Iesu Christi. Et sui in spiritu in die dominico, & audiui post me vocē magnam, quasi tubam, & cætera. Et ex hoc intelligitur quod reuelationem hanc in insula constitutus vidit.

CAPVT XIII.

Miracula Christi à sanctorum miraculis differētia, omnium etiam admiranda miracula superant.] Hanc decerpimus Assertionem ex luculentissimis Augustini scripturis, eamque comprobabimus, vbi pulcherrima Christi miracula quorū meminerunt Euangelistæ, recensuerimus.

Et primum à Matthæi Euangelio auspicabimur. Cum Christus descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis. Nobis compertum est hunc leprosum Christo descendente de monte, primo fuisse curatum, nec tamen abique eius conatu & fide, qui firmissime credidit se posse sola Christi voluntate sanari, cuius precationi Christus suam coniunxit voluntatem. Nam vbi primum dixit: Si vis, potes me mundare, respondit Christus, volo, sis mundus: eū tamen à lepra mundatum misit ad sacerdotes, & quidem ob varias causas, vt dicit Hieronymus. Primum propter humilitatem, vt sacerdotibus deferre honorem videatur: erat enim lege præceptum, vt qui mundati fuerant à lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde vt mundatum videntes leprosum, aut crederēt saluatori, aut non crederent: si crederent, saluarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul ne quod in eo sepiissime criminabantur, legem videretur infringere. Deinde sanauit Christus puerum Centurionis paralyti correptum, & hac precandi formula vsus est Cetero, syncera in Christum fide exaustuās: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum, & respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alio, veni & veni: & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem hæc Iesus, miratus est, & sequētibz se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbēt cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dētium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. Chrysostomus hoc edisserens miraculum, dicit Centurionem veluti leprosum, veram de Christo habuisse opinionem. Nec dicit Christo, ora, supplica, deprecare, sed solum impera. Timens deinde ne, quoniam de ipso magna protulit, negaret Christus, vt sermonē moderaretur, illud adiecit. Nā & ego homo sum sub potestate cōstitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alij, veni, & veni: & seruo meo fac hoc, & facit. Christus autem feruētissimam tantæ fidei virtutē demiratus, ægrotum puerum propter merita fidei ipsius Centurionis sanum fecit. Tertium eiusdem Euangelij miraculum quod fecit Christus, istud est: Cum venisset Iesus in domum Petri, vidit focrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis. & licet depellere febre, & febricitanti mederi, non sit miraculum, eo quod industria hominis & arte id effici possit: tamē solū febricitantis manum contingēdo, expellere febre, est miraculum. tantæ siquidem virtutis est Christus, vt solo imperio, morbos etiā acutissimos sanet. Item illic, Vespere autem factō obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat spiritus verbo, & omnes male habētes curauit, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicētem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Et rursum, Ascēdente eo in nauiculam, secuti sunt

Matth. 8.
Mar. 1.
Lucæ 5.

Leuiti. 14.

Hieronymus

Matth. 8.
Lucæ 7.

Chrysosto.

Ibidem.
Marci 1.
Lucæ 4.

Ibidem.
Marci 1.
Lucæ 4.

Esaiæ 53.
1. Pet. 2.
Ibidem.

eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicētes: Quid est hic, quia venti & mare obediunt ei? Iterum, Et ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittūt tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphematur. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere? Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerūt deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Hic later nescio quod nam mysterium, quod ad reprimendum scribarum superciliū, qui nihil autoritatis & virtutis deferebāt excellentissimæ Christi humanitati, dixerit saluator: filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Nec dixit filius dei, nemo enim nescit nisi calumniator veritatis & inimicus dei, filium dei patri æqualem habere potestatem dimittendi peccata: sed vt ostenderet suam humanitatem diuinitati vnitam, habere potestatem excellentiæ in edendis miraculis, & depellendis animorum morbis, dixit, filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: ita quod plane volo dicere Christum quatenus hominem, posse hominum scelera dimittere, licet id operetur virtute diuina. Atque iterum, Accessit princeps vnus ad Christum, eumque adorauit, dicēs: Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manū tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit, & salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibi cines, & turbam tumultuantem, dicit illis: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit: & deridebant eum. & cum ciecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit: Puella surge, & surrexit puella. Et exijt fama hæc in vniuersam terram. Item illic, cum duo cæci acclamassent dicentes: Miserere nostri fili Dauid, illorum miseratus, dixit: Creditis quia hoc possum facere vobis? & cum respondissent, vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum. Amplius curauit hominem mutum à dæmonio obsessum, & fugato dæmone, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicētes, Nunquam apparuit sic in Israel. Sanauit etiam in sabbato hominem manum aridam habentem, cui dixit: Extende manum tuam, & cum extēdisset, restituta est ei sanitas. Item illic, Duplex beneficiū contulit cæco & muto, quem vehementer torquebat diabolus, quod scilicet curauerit eum, vt loqueretur & videret. Et cum primum audiuit iussu Herodis detruncatum fuisse caput Ioannis Baptistæ, secessit in locum desertum, quem confertissima turba comitata est, & conspiciens turbam illam numerosissimam, miseratus est eius, & multos lægidos curauit: vespere autem factō, accesserunt ad eū discipuli eius dicentes: Desertum est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas vt eutes in castella, emant sibi escas. Iesus autē dixit eis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Respoderunt ei, non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælū, benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis, & manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos

Mar. 4.
Lucæ 8.

Matth. 9.
Mar. 1.
Lucæ 5.

Ibidem.
Mar. 5.
Lucæ 8.

Ibidem.

Ibidem.
Mar. 3.

Lucæ 11.
Matth. 12.

Mar. 3.
Lucæ 6.

Ibidem.
Matth. 14.

Lucæ 9.
Mar. 6.

Ioan. 6.

Ibidem fragmentorum plenos: manducantiū autem fuit numerus, quinq; millia virorum exceptis mulieribus & paruulis. peracto autem hoc insigni miraculo quod neque Moyses, neque Helias, neque Heliseus, neque quiuis alius homo vnquam fecit, cōpulsit suos discipulos conscendere nauiculam, & præcedere eum trās fretum, donec dimitteret turbas: & dimissa turba ascēdit in montem solus orare. Vespere autem factō solus erat ibi, nauicula autem in medio mari, iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. Et vidētes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait, veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum: vidēs verò ventum validum, timuit: & cum cōpisset mergi, clamauit, dicens: Domine, saluum me fac. Et cōtinuo Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit ventus: qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum, dicentes: Vere filius dei es. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cum cognouissent eū viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obrulerunt ei omnes male habētes, & rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

Matth. 15. Adde quòd cū secessisset in partes Tyri & Sydonis, egressa est mulier Chananæa à finibus illis, dicens ei: Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabāt eum, dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos. ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel. At illa venit, & adorauit eū, dicens: Domine adiuua me. Qui respōdens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorū suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Sublimem hic video philosophiam cōtineri. Christus tamen veli misereri peccatoris à se veniā deposcentis, non tamē repente ei ignoscit, nec eius preces exaudit. Quādoquidem bis etiam acerbe repulit Chananæā, pro sua filia expositulātem misericordiam, nec tamen fuit exaudita. At cū iugi studio & inuicta patientia perseuerasset in suis preceationibus, extorsit quod petebat, eamque voluit Christus per se orare, vt primario ad eum qui veniam condonat, confugeret. Aliud aperit Euāgelista miraculum.

Ibidem. Cum (inquit) transisset Iesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habētes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerūt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant deū Israel. Iesus autem cōuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducant, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in viā. Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erāt autem qui manducauerunt, quatuor milia hominum extra paruulos & mulieres. Præterea quidam homo genibus prouolutus ante Christum, dicebat: Domine miserere filio meo quia lunaticus est, & male patitur. Nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Respondens autem Iesus, ait: O Generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæ-

Mar. 7.

Matth. 17.

Marci 9.

Lucæ 9.

monium, & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: Quare nos nō potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium. Item duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt, dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid. Et stetit Iesus & vocauit eos, & ait: Quid vultis, vt faciam vobis? dicunt illi, domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum. Meminit & Marcus seorsim alterius miraculi. Cum venisset Christus cum discipulis Bethsaidā, adduxerūt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehēsa manu cæci, eduxit eum extra virum, & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens ait, Video homines velut arbores ambulātes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clare videret omnia. Et misit illum in domū suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris. Referam & quæ separatim de miraculis Christi scripsit Lucas. Cū iret Iesus cum suis discipulis in ciuitatem quæ vocatur Naim, & cōfertissima hominum turba eum sequeretur, appropinquans portæ ciuitatis, vidit defunctum matri suæ filium vnicū efferrī. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere, & accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait, adolescens, tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant eum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia deus visitauit plebem suam. Item docens sabbato, in synagoga Iudæorū sanauit mulierem quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere: quam cum vidisset Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat eum. Respondens autem Archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrita, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adquare? Hanc autem filiam Abraham, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, nō oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Et cū hæc diceret, erubescabant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriose fiebant ab eo. Adde quòd cum introisset in domū cuiusdam principis sacerdotum sabbato, vt manducaret panem, & curiose Pharisæi obseruarent illum, ne deesset officio sanandi valetudinarios etiam in sabbato, & falsam superstitiosorum religionem increparet, sanauit die sabbati quendam hydropticum. Et ne beneficium istud in sabbato factum calūniarentur legis periti, & Pharisæi, præoccupans dolosam & versutam illorum interrogationem, dixit: Licet ne sabbato quempiam curare? At illi tacuerūt, ipse verò apprehensum sanauit eū, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Insuper cum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem dicentes, Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autē ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans eum, & cecidit in faciē ante pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nōne decem mundati sunt, &

Lucæ 17.

Matth. 20.

Mar. 10.

Lucæ 18.

Mar. 8.

Lucæ 7.

Lucæ 13.

Lucæ 14.

Lucæ 17.

notem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. nec subtricebo Christi miracula quæ Ioannes præter ceteros Euangelistas commemorauit. Cum nuptiæ fierent in Cana Galilææ, ad quas vocatus est Christus vnâ cum sua matre, & discipulis, & deesset vinum conuiuio, Christi benignitate conuersa est aqua in vinum, & hoc excellens miraculum, initium quidem signorum Iesu Christi, in Cana Galilææ editum est, vt multi ad fidem saluatoris accerferentur, & eius gloria inclaresceret. enarrans hunc locum Chrysostomus, Hoc fecit initiū signorum Iesus, in Cana Galilææ, ita loquitur: Diximus quosdam dicere, non fuisse hoc initium signorum quæ illic facta sunt. Ego non contendo hoc, illud affirmo, post baptisma Christum miracula facere cœpisse, antè nullum: hoc siue aliud primum fuerit post baptisma, nõ admodum quæsitum necessarium ducimus. Secundum autem signum quod fecit Iesus cum venisset à Iudæa in Galilæam, fuit cum sanauit filium reguli obnixè rogantis, vt descenderet, & sanaret filium suum, qui incipiebat mori, visus est tamen dominus increpare regulum. Nam cum interpellaret eum, vt suo filio incolumitatem restitueret, dixit illi, nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dixit autem ad eum regulus, in oratione perseverans, & Christi misericordiæ confidens: Domine descendè priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus, Vade filius tuus viuuit. Credit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. iam autem eo descēdente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuuit, & credidit ipse, & domus eius tota. Adde quòd hominem triginta & octo annis continua infirmitate discruciatum sanauit, qui iacebat vnâ cum multitudine languentium in piscina, cuius aqua mouebatur ab angelo. Hunc autem cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus, Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulabat. Amplius, curauit cæcum à natiuitate, qui nec peccauerat, nec parentes eius, sed natus est cæcus, vt manifestentur opera dei in illo. forma autem qua vsus est, vt eum sanaret, nec tam excellens miraculum calumniarentur Iudæi, hæc est: Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in Natatoria Siloe, quod interpretatur, missus. Abijt ergo & lauit, & venit videns. Et quis ignorat illud insignne miraculum sub omnium etiam oculis positum, cum Christus Lazarum quadriduo foetētem excitauit à morte? & cum suum patrem rogasset, à quo semper exaudiebatur, ne qui spectabant miraculum, falso opinarentur esse quid inanius somnio & præstigijs, stans ad monumentum Lazari, voce magna clamauit, Lazare, veni foras. & statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit autem suis discipulis Iesus: Soluite eum & sinistre abire. multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Hæc sunt Christi miracula, quæ ex Euangelicis literis collegimus, & his quidem adnotatis, ad institutum regrediemur, nostramque assertionem affirmabimus, & in hoc sensu eam velim intelligi: Quòd sit Christus natus ex virgine, matrisque integritatem solus potuerit, nec conceptus violare, nec natus. Denique quòd die tertia in carne, in qua occisus fuerat, se reddiderit viuum, & nunquam deinde moriturus, cum illa ascenderit in cælum, cæterorum miracula superat. Et huic assertioni tota vi ingenij fauet Augustinus. Siquidem in Epistola ad Volusianum, dicit: Licet Helias & Heliseus excitauerint mortuos, tamen Christus aliquid proprium facere debuit. Nasci de virgine, à mortuis resurgere, in cælum ascendere, hoc deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. at:

bitror enim talia flagitari, qualia gerens hominem facere non debuit. Nam in principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt. Num homine assumpto alium mundum facere debuit, vt eum esse crederemus, per quæ factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti æqualis in hoc mūdo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non oportebat vt nouum faceret mundum, noua fecit in mundo. Homo enim de virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam resuscitatus, & super cælos exaltatus, potentius fortasse opus est quàm mundus. Hic forte respondent, se factum hoc esse non credere. Quid ergo fiet hominibus, qui minima contemunt, maiora non credunt? Reddita vita defunctis, ideo creditur, quia & alij fecerunt, & parum est deo. Caro propria de virgine creata, & à morte in æternam vitam super cælos leuata, ideo non creditur, quia nemo fecit, & competit deo: ac per hoc quæ sibi quisque facilia non factu, sed captu putat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Noli eis esse similis obsecro te. Disputantur hæc latius, & omnis quæstionum necessariorum sinus perscrutati, discussique panduntur, sed intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit. Tum etiã exponendo illum Ioannis locum: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, dicit: Nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora quàm suscitatio mortuorū, quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas, fecit hoc etiam Helias, fecit Heliseus, & cum in hac carne viueret, & cū in suo monumento sepultus iaceret: nam quidam portantes mortuum, cum irruentibus hostibus eò refugissent, eumque ibi posuissent, continuo resurrexit. fecit tamē aliqua Christus, quæ nemo alius fecit, quòd quinque millia hominum de quinque, & quatuor millia de septem panibus paut, quòd super aquas ambulauit, & Petro vt hoc faceret, præstitit, quòd aquam mutauit in vinum, quòd aperuit oculos cæci nati, & alia multa quæ commemorare longum est. Sed responderetur nobis, & alios fecisse quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecit. quis enim nisi Moyses Aegyptios plagis tot tantisque percussit, diuiso mari populum duxit, Manna de cælo esurientibus impetrauit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Iesus Naue populo transiuro Iordanis fluente diuisit, & carrentem solem emissa ad deum oratione frenauit & fixit? Quis præter Sampson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis præter Heliam curru igneo in alta subuectus est? Quis præter Heliseum (quod paulo ante commemorauit) sepulto suo cadauere, cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præter Daniele inter ora inclusorū secum leonum esurictum vixit innocuus? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Misaellem, in flammis ardentibus & non vrētibus deambulauit illæsus? Prætereo cætera, quoniã hæc satis esse arbitror, quibus demonstraretur & alios sanctos quædam opera miranda fecisse, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorū. vt enim taceamus quos iubendo sicut occurrerant, saluos singulos fecit, Marcus Euangelista quodam loco ait, Vespere autem facto cum occidisset sol, adferebāt ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos qui vexabantur varijs lāguoribus, & dæmonia multa eijciebat: id autem cum commemorasset Matthæus, etiam testimonium propheticum addidit, dicens: Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicit Marcus: Et quocūque loco introbat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabatur eum vt vel simbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant, hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendū est quod ait, in eis, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos. Hæc quippe intelligi voluit, quæ non solum facerēt admirationē, verū etiam manifestam cōferrent salutem, pro quibus beneficijs vtique amorem,

Ioan. 2.

Ioan. 2.

Chryso.

Ioan. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 9.

Ioan. 11.

Augustinus

4. Reg. 4.

Ioan. 15.

Exo. 8. 9. 10
& 11.

Exo. 16.

Exo. 17.

Iosue 10.

Iudi. 15.

4. Reg. 2.

Danie. 6.

Danie. 3.

Marci 1.

Esaiæ 53.

Marci 6.

non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem ceterorum miracula superat, quod est natus ex virgine, matrisque integritatem solus potuit, nec conceptus violare, nec natus, sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis. ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatem, non communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu apostoli perueniunt. Iam vero illud quod die tertia in carne in qua occisus fuerat, de sepulchro se reddidit viuum, & nunquam deinde moriturus, cum illa ascendit in caelum, superat etiam cuncta quae fecit: sed neque hoc factum est in Iudaeis, neque coram eis, & nondum hoc fecerat quando dicebat: Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit: nimirum ergo sunt illa, quae in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta in illis antea nemo donauit, haec enim viderunt. His coherent quae docet idem candidus sacrarum literarum interpres libro decimo octavo, de Ciuitate dei, capite 46. vbi ostendit duo esse miracula a Christo aedita, quae nullus vnquam sanctorum aedit. Regnante (inquit) Herode in Iudaea, apud Romanos autem iam mutato reipublicae statu, imperante Caesare Augusto, & per eum orbe pacato, natus est Christus, secundum praecedentem prophetiam in Bethleem Iudae, homo manifestus ex homine virgine, deus occultus ex deo patre. Sic enim propheta praedixerat: Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus. Qui ut in se commendaret deum, miracula multa fecit, ex quibus quaedam quantum ad eum praedicandum satis visum est esse, scriptura Evangelica continet. Quorum primum est, quod tam mirabiliter natus est, vltimum autem quod cum suo resuscitato a mortuis corpore ascendit in caelum. Iudaei autem qui eum occiderunt, & in eum credere noluerunt, quia oportebat eum mori & resurgere, vastati infeliciter a Romanis funditusque a suo regno, vbi iam eis alienigenae dominabantur, eradicati sunt, dispersique per terras. Quandoquidem vbi que non desunt, & per scripturas suas testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Christo, quas plurimi eorum considerantes, & ante passionem, & maxime post eius resurrectionem, crediderunt in eum, de quibus praedictum est: Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiae saluae fient. Ceteri vero excacati sunt, de quibus praedictum est, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ad haec, exponendo psalmum illum, In multitudine potentiae tuae mentientur tibi inimici tui, ostendit summum miraculum quod vnquam fecerit Christus: Christus (inquit) proprium signum commendans, quod in se solo futurum erat, ait: Generatio ista praua, & amaricans, signum quaerit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terrae, tribus diebus, & tribus noctibus. Quomodo fuit Ionas, in ventre ceti? Nonne ut postea viuus euomeretur? Hoc fuit infernus domino, quod Ionas cetus. Hoc signum proprium commendauit, hoc est potentissimum, potentius est reuixisse mortuum, quam non fuisse mortuum. multitudo potentiae domini secundum quod homo factus est, in virtute resurrectionis apparet. Hanc commendat & apostolus cum dicit: Non habens eam iustitiam, quae ex lege est, sed eam quae est per fidem Christi, quae est ex deo iustitia in fide ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius. Sic commendatur & alio loco: Et si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit in virtute dei. Insuper edifferendo psalmum illum, Benedictus dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, ostendit in quo differant miracula a deo & sanctis aedita. Consideratis (ait) omnibus supradictis, eructatur hymnus, & benedicatur dominus deus Israel, impletur enim quod ad illam sterilem dictum est: Et qui eruit te, ipse dominus deus Israel vniuersae terrae vocabitur, ipse facit mirabilia solus. Haec ille. Idem sentias de Christo deo, qui per se solus & virtute propria miracula facit: Sancti vero, dei virtute adiuti, & non viribus propriis: quod pulchre do-

Math. 2.
Mich. 5.
Esaia 7.

Esaia 10.
Roma. 9.
Roma. 11.
Psal. 68.
Psal. 65.

Math. 12.
Ionae 2.

Philipp. 3.
2. Corin. 13.
Psal. 71.

Esaia 54.

cet Petrus, in Actis apostolorum, in quibus nouimus Petrum vna cum Ioanne factum, in nomine Christi quendam claudum ex utero matris suae, qui baiulabatur quotidie ad portam templi quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is autem cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. intruens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. at ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, alleuauit eum: & protinus consolidatae sunt bases eius, & plantae. Et exiliens stetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans deum. Er vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem deum. Cognoscere autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi, & impleri sunt stupore, & extasi in eo quod corrigerat illi. Cum teneret autem Petrus & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum qui appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum, viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: authorem vero vitae interfecistis, quem deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & nostis, confirmavit nomen eius, & fides quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. His coherent quae scribit Hieronymus enarrans illum Matthaei locum: Multi dicunt in illa die: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? vbi ita loquitur: Prophetare & virtutes facere, & daemonia eicere, interdum non eius meriti est qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, & vtilitate eorum qui vident & audiunt conceditur: ut licet homines despiciant signa facientes, tamen deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Adnotat diligenter sanctus Thomas 1. parte suae summae, quaestio. 110. articulo. 4. Miraculum proprie dici, cum aliquid sit praeter ordinem totius naturae creatae, & hoc soli deo ceteris efficere. Non enim censetur miraculum, si lapis feratur sursum: quamuis enim sit praeter ordinem naturae lapidis, non tamen praeter ordinem totius naturae creatae. Nec angeli & apostoli fecerunt proprie, & simpliciter miracula, quia id non faciebant ex se & praeter ordinem totius naturae creatae, sed deus eorum precibus & desiderio faciebat miracula: aut dicitur sancti facere miracula, quia exhibent ministerium in faciendis miraculis. ¶ Sciscitaberis, si nam sit vtile ut nunc fiant miracula? Et videtur quod non. Nam Chrysostomus homilia 6. in primam Pauli epistolam ad Corinthios, dicit: Tunc vtile fuit ut fierent, nunc vero minime. Dicit etiam Augustinus lib. 1. Retractionum, cap. 13. Miracula in haec tempora durare non permittuntur, non quod in Christi nomine non credantur modo fieri miracula, nam facta sunt, sed ne anima semper visibilia quaerat, ut eorum consuetudine frigescat genus humanum, quorum nouitate aliquando flagrauit. ¶ Huic respondeo quaestioni, cui iam abunde satisfecit Augustinus: Non est inutile nunc fieri miracula, ut infideles ad fidem vocentur. Etenim Christus fecit miracula ad confirmationem infidelium, & etiam ut in credentium numerum asciti, firmiter & stabiliter crederent, minusque a fide dimouerentur. Etiam ne quis de vita corporis aut animae periclitetur, & vbi necessitas postulat, non absurde fiunt miracula. Si tamen omnes essent fideles, nec vrgeret necessitas ut fieret signa, inutile esset ut huiusmodi miracula fierent, sine enim miraculis obstringimur credere Christo. Nec leuissima ex causa & temere ac imprudenter debent homines quaerere a deo fieri miracula.

Acto. 3.

Matt. 27.
Mar. 15.
Iuea 13.
Ioan. 18.

Hieronymus
Math. 7.

Chrysostomus

Chryfosto.
Matth. 19.

Matrimonium non facit coitus sed voluntas.] Hæc Assertio est Chryfostomi, homilia de Inventione sanctæ crucis, vbi amplissime exponit illa Christi verba: Quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. & ad stabiliendam suam enuntiationem, assumit hoc vniuersale assertum: Omnis res per quas causas nascitur, per ipsas absoluitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: & ideo non illud soluit separatio corporis, sed separatio voluntatis: intellige hæc quantum ad thorum, non autem quantum ad vinculum. & concludit: Ideo qui dimittit coniugem suam, & aliam non accepit: adhuc maritus est. Nā corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate cōiunctus est. Cum ergo alteram acceperit, tunc plene dimittit. Non ergo qui dimittit, mœchatur: sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat vxoris. Imitatores ergo debemus esse dei, vt sicut ille agit cum Ecclesia, sic nos agamus cum coniuge. Ille enim nunquā derelinquit populū, nisi ad gentilitatem, vel ad hæresim voluntate transierit: aliā autem peccatē castigat quidem, tamen misereri non cessat, dicente propheta: Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Sic & vir meretricem quidem dimittat, aliā autem male moratam castiget & teneat. Quomodo? Tribus modis: Primum docendo secundum deum, si autem timorem dei non sentit, impropereando, vt vel homines erubescat. Si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat illi quod præcepit Salomon: Duram baculo percute. Ergo primū admone, quia multum proficit doctrina iustitiæ. Deinde confunde, quia frequenter & pudor frenum est vitiorum. Tertio iustū est vt castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit, vt libera moraliter. De Galilæa turbæ in mysterium gētium secutæ sunt dominum in fines Iudææ, ibique curatæ sunt, iustæque in fines transierunt Iudææ, nec enim potuissent curari nisi relictis finibus suis, in fines transissent Iudææ, sicut scriptum est in Esaiā propheta: Et venient omnes gentes, & dicent: Venite, ascendamus ad montem domini, & in domum dei Iacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Et curatæ sunt gentes in finibus Iudæorum ad confusionē ipsorum, quia gentes quidem, & in aliena secutæ sunt Christum, Iudæi autem in suis finibus constitutum contempserunt, & repulerunt, & in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritalem, dicētes: Si licet viro dimittere vxorem suam quacunque de causa? Quia in animo non potest esse castus, qui corpore est lasciuus, hoc est non potest deo esse fidelis, qui vxori suæ perfidus est. Sicut nec ex diuerso conscientiam seruat, qui deo fidem non seruat, sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Nam etsi interim nō præuaricatur lasciuus, tamen iam in eo statutus est vt præuaricaretur, si corruptio persuasionis accesserit. Et illi quidem secū dum carnem interrogabant, quæ pati merebantur secū dum spiritum, si licet dimittere vxorem quacūque de causa? Christus autem eis respondit, quod facere eos decebat, dicens: Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Sicut enim vxorem quocunque modo contra voluntatē viri agentem dignum est repellere, non autem iustum est quantum ad grauitatem viri, nisi ob causam fornicationis: sic & Ecclesia quocunque modo contra voluntatem egerit Christi, abijci digna est, nō autem abijcitur propter longanimitatē Christi, nisi sola causa transgressionis. Sicut enim Christus si dimisisset prius Ecclesiam Iudæorum, non eis subministrās per scripturas notitiam diuinitatis suæ, ipse fecisset eam adulterare cum dijs extraneis, quoniam natura rationabilis, & subdita deo, & à deo creata, sine deo non potest esse: sic Christo conscientia suæ diuinitatis subministrante, quoniam synagoga transibat ad idola, inexcusabilis adultera est reperia, propter quod repulit eam Christus. Non repulit eam quacunque de causa, sed pro-

Psalm. 33.

Esaiæ 2.

pter fornicationis ipsius causam: quia nō solum relicto Christo, diabolo se coniunxit, sed etiā interfecit pro quo mori debuerat. Ab initio enim deus genuit Christū, deinde hominem rationabilem, naturam angelorū & animarum, quasi coniugem, potentem suscipere verbum ipsius, ideo clamat: Quod deus coniunxit, homo non separet. Adde quodd si coitus faceret matrimonium, & non voluntas: non fuisset verum matrimonium, & perfectum cōiugium, inter Ioseph & virginem Mariam, quod est falsissimum, & maxime impium. quod autem id sequeretur, suadeo: Nullus fuit coitus virginis Mariæ cum Ioseph, nec seminum commixtio, vt ex virgine Maria coniuge Ioseph nasceretur Christus. Nam quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Etiam angelus dixit Mariæ sciscitanti quomodo filium dei conciperet & pareret, quoniam virum nō cognoscebat opere quidem carnali: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quod autem fuerit verum matrimonium & perfectum coniugium inter Ioseph & virginem Mariam, suadeo: In Euangelio Matthæi scriptum est, Iacob genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: nec Ioseph, appellaretur vir Mariæ, nisi fuisset verum matrimonium inter vtrunque, nec dicebatur à coitu, & à copula carnali, sed à voluntate & consensu libero verbis præsentibus firmato, qui sufficit inter personas liberas & legitimas ad conficiendum matrimonium, vt Socrates dicat Katharinæ, te accipio sponte in meam vxorem: & illa dicat, te vltro accipio in meum virum. Et in eodem Euangelio vocat angelus Mariam coniugem Ioseph, sic enim textit historiam Matthæus: Cum esset deiponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nōllet eam traducere, voluit occulte dimittere eam: hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Lucas etiam vocat Ioseph patrem Christi, & virginem Mariam, matrem eius, dicens: Et erat pater eius, & mater eius, mirantes super his quæ dicebantur de illo. sed notissimum est, hæc nō intelligi nisi de Ioseph & virgine Maria. Et ibidem dicit Maria Christo, fili quid fecisti nobis sic: Ecce pater tuus, & ego dolētes quærebamus te. Ad hæc, Augustinus libro primo, de Nuptijs & concupiscentia ad Valejum, capite vndecimo, dicit perfectum fuisse coniugium inter Ioseph, & Mariam. Nam omne nuptiarum bonum fuit impletum in illis parentibus Christi: Proles, fides, sacramentum: prolem cognoscimus ipsum dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium. In eodem capite dicit, inter illos non rumpi vinculum coniugale, quibus placuit ex consensu, ab vsu carnalis cōcupiscentiæ in perpetuum continere. Et libro secundo, de consensu Euangelistarum, capite primo, vbi omnino nostræ astipulatur assertioni, enarrans illud Matthæi, Iacob genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, dicit: Neque enim fas erat, vt ob hoc eum à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuat fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim quia nasci eis etiam filius potuit, sine vlllo complexo carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam eius quem non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tanquam ex eius omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Qui tamen Lucas nō eius parentem solam Mariam, sed ambos parētes eius appellare videtur.

Matth. 1.

Lucæ 1.

Matth. 1.

Lucæ 2.

Augustinus

nime dubitauit, vbi ait, Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solenni pascha. Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariae cum ipsa matre eius intelligendos putet, quid ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit, Et erant pater eius, & mater mirantes super ijs quae dicebantur de illo? Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria virgine natum Christum, vnde eum patrem eius appellat, nisi quia & virum Mariae recte intelligimus, sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugij, & ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus? Vnde manifestum est illud quod ait: Vt putabatur filius Ioseph, propter illos dixisse, qui eum ex Ioseph, sicut alij homines nascuntur, natum arbitrantur.

Hieronymus Hieronymus edisserens eundem Matthaei locum, Iacob genuit Ioseph virum Mariae, & quoddam idem Euangelista vocet Mariam coniugem Ioseph, dicit consuetudinem esse scripturarum vocare spolum, virum: & sponsam, uxorem. Et aduersus Heluidium, asserit Ioseph non fuisse vere patrem saluatoris, sed quod ad famam Mariae conseruandam pater sit ab omnibus existimandus. cum enim cognouit eam habere de spiritu sancto, confidit non esse suum qui conceptus fuerat. Sentit Chrysostomus cum Hieronymo, homilia quarta, in Matthaeum, vbi dicit Angelum coniugis nomine sponsam intellexisse, sicut eos quoque qui adhuc sponsi sunt, generos appellare scriptura consuevit. Lyranus in Matthaeum, vocat Mariam, coniugem Ioseph, non quidem quantum ad carnalem copulam, sed cohabitationem cum ea. Et in secundum caput Lucae, existimat cum Glossa interlineari, Ioseph fuisse patrem Christi putatum, & hac in re non dissidet a Hieronymo dicente, Ioseph non fuisse vere patrem saluatoris. Sed dicit quispiam, Quomodo potuit esse verum matrimonium inter Ioseph & virginem Mariam, cum illa vouerit virginitatem, imo vterque? Votum autem virginitatis aduersatur matrimonio. Dicunt nonnulli virginem Mariam ante contractum matrimonium non vouisse virginitatem, sed solum habuisse firmissimum propositum seruandae virginitatis, in quo non est ratio essentialis voti, sed in spontanea promissione deo facta in opere supererogationis, se tamen submitit diuinae voluntati de contrahendo matrimonio. Et cum, dicitur apud Lucam, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Non id putes intelligendum de emissionem voti ante contractum matrimonium, sed de honestissimo tuenda virginitatis proposito: tamen post contractum matrimonium, per consensum in societatem coniugalem, emisit votum virginitatis, & fuit diuinitus certa quod Ioseph in simili proposito persisteret. Alij dicunt quod ante contractum matrimonium vouerat virginitatem, sed diuina reuelatione fuit facta certior, quod licet contraheret matrimonium cum Ioseph, nulla tamen subsequeretur copula carnalis. Hinc discussus est scrupus, quod votum virginitatis non aduersatur matrimonio, quod non facit coitus, sed voluntas, & liber consensus verbis praesentibus firmatus, licet copula carnalis obstat voto virginitatis. Iam patefecimus matrimonium non pendere a connexionem carnali, & coitu, sed a voluntate & consensu verbis praesentibus firmato. Etiam abunde probauimus ex coniugio, inter virginem Mariam, & Ioseph inito, solo consensu pure spontaneo coalescere matrimonium, quod dico propter quendam sacrae scripturae interpretem, qui in suis annotationibus ad decimum nonum caput Matthaei, dicit: Porro quod hodie passim in scholis dicitur, solo consensu contrahi matrimonium, vtinam tam probatum esset, quam receptum est, quasi verum haesiterit ille, aut non credat id satis a sacris doctoribus probatum esse. Nunc vero percontabimur, Si nam consensus coactus ex verbis praesentibus possit sufficere ad conficiendum matrimonium. Nec desunt, in vtramque partem approbandam rationes. Quod non sufficiat, ostendo. Consensus naturae matrimonij contrarius, non facit matrimonium, sed impedit: Sed consensus coactus, est huiusmodi, igitur: Minorem suadeo, ratio matrimonij iu-

re naturali & diuino innititur indiuisibilitati. Quod enim deus coniunxit, homo non separet, sed consensus coactus aduersatur indiuisibilitati. Nam secundum iura impetrat restitutionem in integrum, igitur. Alia ratio, Cum matrimonium sit vinculum perpetuum, obligatio matrimonij debet esse liberrima, sed coactio impedit meram libertatem, ergo impedit matrimonium. Subnectam & tertiam rationem, Matrimonium repraesentat coniunctionem Christi & Ecclesiae, haec autem est ex mera libertate, quia non copulatur Ecclesia Christo per charitatem nisi libere volens: ergo & matrimonium debet esse ex mera libertate. His tamen opponetur ratio, Voluntas coacta, est voluntas: & consensus coactus, est consensus. Et voluntarium mixtum maiorem habet rationem voluntarij quam inuoluntarij, quare non videtur consensus coactus praepedire matrimonium. Ad haec, matrimonium est verum sacramentum, sicut baptismus & confirmatio. Nam dicit Paulus ad Ephesios differens de matrimonio: Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo, & in Ecclesia. Sed intentio suscipientis baptismum, aut confirmationem etiam coacta, sufficit ad verum sacramentum: ergo etiam intentio contrahentis matrimonium etiam coacta, sufficit ad matrimonium. Respondeo percontationi: Consensus simpliciter coactus etiam ex verbis praesentibus, non sufficere ad contrahendum matrimonium, vt primae rationes manifeste monstrant. Sed pro diluendis duabus in contrarium rationibus, non pigebit adnotare, matrimonium secundum se, esse quendam contractum, nec solum esse sacramentum. Et contractus ille subiacet determinationi iuris naturalis & positivi, tam ciuili quam Canonici. Ecclesia autem cuius est irritare vel approbare huiusmodi contractus, non reputat consensum coactus sufficere ad contrahendum matrimonium. Quare consensus coactus non est sufficiens ad conficiendum matrimonium, nec secundum iudicium Ecclesiae, nec secundum iudicium conscientiae. Quantum autem ad sacramentum matrimonij, non habet Ecclesia proxime & immediate auctoritatem quidpiam statuendi, vel immutandi. Non enim potest simpliciter immutare essentialia sacramentorum, licet mediate & secundario non nihil habeat potestatis circa sacramentum matrimonij, & hoc inspiciendo ad primam matrimonij rationem, scilicet ad contractum. Si enim iudicet non esse legitimum contractum, iudicabit non esse legitimum matrimonium, & ex consequo, nec esse verum sacramentum. Nunc facile est obiectas rationes diluere. Ad primam, dico: Licet voluntas coacta, sit voluntas: pariter consensus coactus, sit consensus: & voluntarium mixtum, magis sit voluntarium quam inuoluntarium: tamen Ecclesia iudicat huiusmodi consensum coactus non sufficere ad contrahendum matrimonium. Alterius rationis solutio, Si matrimonium solum esset sacramentum vt est baptismus, aut confirmatio, intentio contrahentis matrimonium etiam coacta, esset sufficiens ad matrimonium, & idem esset iudicium de matrimonio atque de alijs sacramentis: sed vt diximus non ita est, quia matrimonium non solum est sacramentum, sed per se contractus. Et ideo non est idem de matrimonio, & de baptismo, qui solum est sacramentum. Rursum inquires, An consensus de futuro cum carnali copula sequente sufficiat ad matrimonium. Respondent doctores scholastici, aut vir & mulier post contracta sponsalia conueniunt intentione exhibendi quod in sponsalibus promiserunt, aut non. Si primo modo, verum est matrimonium, & secundum iudicium Ecclesiae, & secundum iudicium conscientiae. Et ratio est: Quia consensus de praesenti sufficienter expressus, facit verum matrimonium. sed quando post sponsalia vir & mulier conueniunt intentione exhibendi quod in sponsalibus promiserunt, est ibi verus consensus de praesenti qui sufficienter exprimitur ex opere subsequuto quo ad forum conscientiae, consensu supposito, & quo ad forum Ecclesiae ex promissione praecedente: ergo est ibi verum matrimonium, non solum secundum iudicium Ecclesiae, sed etiam secundum forum conscientiae. Si vero non conueniant intentione exhibendi quod in sponsalibus promiserant, sed affectu fornicario, ex parte vtriusque, vel alterius tantum,

adhuc secundum iudicium Ecclesiae est matrimonium praesumptum, non autem secundum forum conscientiae. Ratio primi est, Quia ex quo praesenserunt sponsalia, quae sunt promissio futuri matrimonij, per quod vir accepit potestatem corporis mulieris, & ediuerso, cum sequitur carnalis copula praesumitur ipso iure quod sit in exhibitionem rei promissae, & haec praesumptio est iuris. Ratio secundi est, Quia matrimonium non solum est contractus, sed etiam sacramentum, signum quidem coniunctionis Christi & Ecclesiae. Coniunctio autem Christi & Ecclesiae, per charitatem, aut naturam conformitatem, non est nec fuit nisi per liberum consensum. De coniunctione per charitatem perspicuum est, de coniunctione per naturam conformitatem, id etiam notum euadit. Quia Christus nostram naturam non assumpsit, nisi virgo Maria consenserit, quandoquidem dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum: ergo etiam matrimonium ut sacramentum, non potest esse verum, nisi per verum consensum vtriusque. deest autem verus consensus ex parte vtriusque. quando ergo conueniunt impudicè affectu fornicario, aut vir dolo extorquet à muliere carnalem copulam, nullum est matrimonium: & hoc exprimitur Extra de sponsalibus Tu nos, in fine: quod vbi dolus affuit, consensus defuit, sine quo caetera foedus perficere nequeunt coniugale.

CAPVT

XVI.

Matrimonium minime contrahit fidelis cum infideli.] Hanc suadeo Assertionem ex his quae scribit Paulus, in 2. ad Corinthios Epistola, dicens: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conuentio Christo ad Belial? Aut quae pars fidei cum infidelibus? Duo nobis argumenta suppeditat Paulus ad probandum nullum esse coniugium fidelis cum infideli. Primum, si non sit Christiano ducendum iugum cum infideli, nec erit matrimonium Christiani, aut fidelis cum infideli. Quis enim nescit, iugum esse & vinculum indissolubile viro cum vxore? & tale est iugum viri cum sua vxore, ut vir toleret infirmitates carnis suae vxoris, & ediuerso: & ne incidat per fornicationem aut adulterium in laqueos diaboli, astringitur ei iuste deposcendo, reddere debitum & econtra, vbi non fregit fidem matrimonij. Aliud ex eodem Paulo colligimus argumentum. Si non sit pars fidei cum infideli, neque conuentio, neque licitus erit contractus fidelis cum infideli, & per consequens, nec licitum matrimonium. Potest ex eodem Paulo ibidem tertium nobis parari argumentum. Quis consensus (inquit) templo dei cum idolis? vos enim estis templum dei viui. Quod si nullus sit consensus templo dei cum idolis, fideles autem sunt templum dei viui, infideles verò templum idolorum: debet autem esse consensus viri cum vxore in cultu vnus dei quantum ad matrimonium ut est sacramentum, nec erit legitimum matrimonium fidelis cum infideli. Ad haec, differens Paulus de indulgentia secundarum nuptiarum, dicit: Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui autem vult, nubat, tantum in domino: permittit vxori cuius vir animam exhalauit, ut rursus nubat si non possit continere, sed tantum in domino. Hoc est, ut illi nubat, qui vnum & eundem cum ipsa deum colat. Et locus ille, ut vult Lyranus, ostendit non licere fidei contrahere matrimonium cum infideli. Amplius, cum Paulus loquitur de excellentissimo matrimonij sacramento, dicit: Sacramentum istud magnum est, dico autem in Christo, & in Ecclesia, scilicet in coniunctione fidelium cum Christo, cuius fidem amplexati sunt. Praeterea, disparitas cultus impedit matrimonium contrahendum, sed inter fidelem & infidelem est disparitas cultus, ergo fidelis cum infideli non potest matrimonium contrahere. Tunc etiam, principaliter matrimonij bonum, est proles ad cultum vnus dei educanda, haec autem educatio diligenter debet fieri à patre & matre, qui vna & integra fide firmati, desiderant suos liberos instruere in cultu vnus dei, & in vna & eadem religione: quod sanè non possunt praestare, qui diuersam sapiunt fidem. Subscribit & huic

Lucae 1.

2. Corin. 6.

1. Corin. 7.

Lyranus.

Ephes. 5.

assertioni Cyprianus Sermone de Lapsis, dicens: Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, est prostituere cum gentilibus membra Christi. Meminit & huius auctoritatis Augustinus libro vno de Fide & operibus, capite 19. ¶ Aduersus tamen hanc assertionem digladiabitur quispiam, Ioseph contraxit matrimonium cum Aegyptia, & Hester cum Assuero: in vtroque autem matrimonio erat disparitas cultus, quia alter erat fidelis, & alter infidelis, igitur cultus disparitas non impedit matrimonium contrahendum, nec quominus possit fidelis contrahere cum infideli. Ad haec, Eadem est fides quam docet nouum testamentum, & quam vetus docuit, sed in veteri testamento non est inhibendum ne fidelis duceret vxorem infidelem, ergo neque inhibendum est in nouo testamento. Minorem suadeo, Scriptum est in Deuteronomio: Si egressus ad pugnam, videris mulierem pulchram in medio captiuorum, & adamaueris eam: introcas ad eam, dormiens cum ea, & erit tibi vxor. Praeterea, infidelitas non aduersatur matrimonio, quia in officium naturae institutum est matrimonium, cuius rationem fides excedit, ergo infidelitas non praepedit quominus fidelis possit ducere in vxorem, mulierem infidelem. Subiungam & alteram rationem, Inter infideles potest esse matrimonium, ergo etiam inter fidelem & infidelem. Hanc probo consequentiam, Si inter infideles possit esse matrimonium, infidelitas non impedit matrimonium, & per consequens nec disparitas cultus. Probo tamen antecedens illius argumentationis: Scribit Paulus ad Corinthios, Si quis frater vxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. ¶ Proposita rationes seorsim diluendae sunt. Primae solutio: In veteri lege permissum erat quibusdam fidelibus inire coniugia cum infidelibus, & quibusdam prohibitum. Specialiter erat prohibitum filiis Israel ne inirent coniugij foedus cum infidelibus habitantibus in terra Chanaan, quae erat promissionis. Tum quia dominus praeeperat eos occidi, propter eorum obstinationem: tum quia maius periculum imminerebat, ne illorum coniuges filios Israel ad idololatriam pertraherent. Quandoquidem filij Israel propter familiarem cum eis conuersationem, ad eorum ritus & mores proniores erant. Illis autem quorum fides erat firma & constans, nec illud imminerebat subuersionis periculum, permittit deus ducere vxores infideles: & sic Moyses & Ioseph cum infidelibus coniugia inierunt. Pariter nupsit Hester Assuero infideli. ¶ Secundae rationis solutio: Licet in veteri testamento licebat fidelibus inire coniugia cum infidelibus, nisi quando erat spes ut infideles ad fidem & cultum vnus dei conuerterentur. In hanc descendit sententiam Lyranus exponens quod ex Deuteronomio protulimus: Licet (inquit) esset prohibitum filiis Israel ne acciperent mulieres alienigenas de terra promissionis, tamen propter suam concupiscentiam permissum erat eis accipere vxores de alijs gentibus, dimisso prius gentilitatis ritu. ¶ Tertiae rationis solutio: Licet infidelitas non aduersetur matrimonio ut est contractus, & in officium naturae, tamen aduersatur matrimonio quantum est sacramentum significans coniunctionem Christi & Ecclesiae. Nec etiam concedimus in nostra assertionem de vtriusque, scilicet viri & mulieris infidelitate, sed de disparitate cultus, quae est contraria matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis in cultu vnus dei enutriendae. ¶ Quarta rationis dilutio, Neganda est argumentatio proposita, & eiusdem probatio, quod autem infidelitas non impedit matrimonium saltem quantum ad officium naturae, est: quia inter duos infideles non est disparitas cultus, nec parentes fide dissident, nec ad diuersa pertrahunt, sed inter virum fidelem & mulierem infidelem, est disparitas cultus, & parentes fide dissident, & nituntur liberos ad diuersa pertrahere: ideo inter fidelem & infidelem non est legitimum matrimonium contractum. Quod si resiliat dicendo, Saltem disparitas cultus non impedit matrimonium quantum ad officium, quem-

Cyprianus.

Augustinus

Gene. 41.

Hester 2.

Deuter. 21

1. Corin. 7.

Deuter. 7.

Lyranus.

admodum infidelitas non impedit. Dico quod impedit etiam quantum ad officium naturæ, & primam proles perfectionem, quia parentes intendunt ad diuersa pertrahere. Nec inutile erit adnotare matrimonium præcipue esse institutum ad bonum proles non solum generandæ, sed etiam promouendæ ad perfectum statum. Et huiusce proles duplex est perfectio: altera naturæ, altera verò gratiæ. Perfectio naturæ non solum respicit corporis curam, verum etiam animæ, & quæ concernunt legem naturæ, vt parentes habentes legem naturæ suis cordibus insculptam, recte in ea lege suos erudiant liberos, vt colant vnum deum, & suos honorent parentes, nec faciant alteri quod nolent sibi fieri, faciant etiã alijs, quæ vellent sibi fieri. Et disparitas cultus hanc impedit perfectionem. Secunda perfectio est dūtaxat fidelium, & prima secundæ comparata, est imperfecta, & cōmunis fidelibus & infidelibus. Et idcirco licet inter infideles sit matrimonium, & quidem perfectū prima perfectione, non tamen secunda, quæ est excellentissima, & inter solos fideles reperta: cuius vis innititur coniunctioni Christi & Ecclesiæ, & cæteris sacramentis. Et licet dixerimus fidelem non posse cōtrahere matrimonium cum infideli, tamen si contractum fuerit inter vtrumque infidelem, & vir conuertatur ad fidem, vxore non conuersa, aut ediuerso, non dissoluitur matrimonium vbi vxor infidelis consentit habitare cum viro fidei, nec eum nititur ad infidelitatis leges pertrahere, nec facit contumeliã & blasphemiam creatori: alioqui discedat vir si velit, si Pauli consilium amplecti velit, quia deus eum in pace vocauit. quod si etiam infidelis discedat: nō enim in huiusmodi, seruituti subiectus est frater. Plura de hoc scripsimus Tomo primo nostræ Theosophiæ, capite 10. sexti libri. ¶ Aliquot excutimus scrupos, quorum discussio non nihil confert adiuuenti ad intelligendum quæ ad matrimonij rationem spectant. Primus, An conditio seruitutis impediatur matrimonium, & id apparet. Nam Decretum dicit de Coniugio seruorum: Error conditionis impedit contrahendum matrimonium, & dirimit cōtractum. In aduersum tamen fit congressus: Non aduersatur ipsi matrimonio seruitus, alioqui inter seruos non possent esse coniugia: igitur seruitutis conditio non vetat quominus matrimonium contrahi possit. Quæstio hæc in duas partes diducetur: Aut seruitus est ignorata, aut scita: Si primo, impedit matrimonium, & ratio est: quia in cōtractu matrimonij obstringitur vnus coniugum alteri debitum reddere, ideo quemadmodum impotentia reddendi debitum, scilicet impotentia coeundi ignorata, impedit matrimonium, imò tollit cōtractum matrimonij: ita conditio seruitutis ignorata impedit matrimonium: nam per seruitutem non potest quis libere & pro animi sententia debitum reddere. Si secundo, non impedit, & ratio est: quia quilibet potest in re sibi debita, sponte detrimentum aliquod aut iacturam pati, ergo vbi Socrates scit manifeste Catharinam esse seruam, potest libere pati iacturam ne ei debitum carnis exoluatur. Et cum dicitur, error conditionis impedit contrahendum matrimonium, & dirimit cōtractum, intelligitur de conditione seruitutis nescita. Et cum pugnas in aduersum, seruitus non obstitit matrimonio neque contrariatur. Dico seruitutem aduersari matrimonio, quantum ad actum ad quem quis obligatur alteri per matrimonium, quem non potest libere exequi, scilicet quantum ad bonum proles. Qui enim fieri potest, vt seruus eadem hora, eodémque temporis momento suam præstet operam domino, cuius famulatu indiget, & vxori etiam opportune petenti debitum reddat? ¶ Secundus, An seruus possit contrahere matrimonium sine consensu domini. Occurrunt vtrinque argumēta, Nullus potest dare quod est alterius sine eius consensu: sed seruus est res domini. Siquidem dicit Philosophus primo Politicorū, capite 3. Seruum non solum esse domini seruum, sed omnino illius: ergo non potest oblectante domino, dare potestatem sui corporis vxori. In aduersum decertabis, Dicit Paulus ad Galatas, In Christo Iesu non est seruus neque liber, ergo in fide Christi ad contrahendum matrimonium, eadem est libertas liberis & seruis. Adde quod seruitus introducta est iure positio, matrimonium verò innititur iuri natu-

Matth. 7.

1. Corin. 7.

Philosophus

Galat. 4.

rali & diuino. cum igitur ius positium & humanum non possit præiudicare neque derogare iuri naturali & diuino, sequitur quod seruus reclamante domino, potest contrahere matrimonium. Hæc sanè ratio ingenue probat & apertissime, seruum posse inuito domino contrahere matrimonium. quemadmodum enim seruus non ita subditur domino: quin libere possit comedere & bibere, & alia facere quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conseruari non potest: ita non ita subditur domino, quantum ad officium naturæ, quin possit ipso nolente aut nesciente matrimonium contrahere. Et licet seruus teneatur obedire domino in his quæ dominus licite potest præcipere, tamē non obstringeretur ei obsequi, vbi officia naturæ, siue actus naturales præpedire vellet: & sicut non potest licite ei præcipere quod non comedat, vel quod non bibat, vbi maxime esurit vel sitit, ita non potest ei præcipere vt abstineat ad matrimonium. Et ratio adducta facile discuti potest, Seruus est res domini & omnino domini, cōsiderando ea quæ naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia non est res domini, imò sunt pares in exercendis naturæ officijs. Idcirco in his quæ ad actus naturales pertinet, seruus potest inuito domino facere alteri copiam sui corporis. Iterum dices, Seruus post cōtractum matrimonium tenetur iure diuino reddere debitum vxori petenti, sed fieri potest vt eodem tempore quo vxor deposcit à marito seruo debitum, indigeat dominus & quidem extreme opera sui serui: quod si seruus posset inuito domino contrahere matrimonium & reddere vxori officium carnis, priuaretur dominus sine culpa seruitio sibi debito. Hanc discutio rationem: Si seruus volente domino cōtraxerit matrimonium, tunc debet postpositis sui domini curis & officijs, reddere debitum vxori. Et ratio est, quia dominus concedens seruo vt matrimonium contrahat, concedit ei omnia quæ matrimonium requirunt. Si tamen ignorante aut contradicente domino cōtraxerit matrimonium, non tenetur reddere debitum, sed potius domino obsequi, si vtrumque fieri non possit. Sed hæc intellige vbi non immineret periculum adulterij ipsi vxori: si tamen ex contemptu viri nolentis reddere debitum vxori indigēti, immineret periculum adulterij, astringeretur potius obsequi vxori quàm domino, & teneretur dominus velle pati quandam mediocrem iacturam bonorum fortunæ vt periculum incontinentiæ in vxore sui famuli deuitaretur. Quod si ex præcepto domini teneatur homo relinquere patrem & matrem, vt adhæreat vxori suæ, & vt sint duo in carne vna, fortiori argumento relinquet dominum vt adhæreat suæ vxori. Rursum insurges, Seruus non potest sine consensu domini religionem ingredi, nec sacris ordinibus initiari: ergo nec potest absque domini consensu matrimonium contrahere. Hæc neganda est consequentia, quia ille qui ingreditur religionem, & ad sacros promouetur ordines, se obligat ad ea quæ sunt naturalibus addita, in quibus eius dominus habet potestatem, & non in naturalibus, ad quæ se adstringit per matrimonium, vnde posset continentiam vouere sine consensu domini. Nec est simile de ingressu religionis, aut de promotione ad sacros ordines & de matrimonio, intellige quantum ad obligationem. Nam multa sunt inter hæc discrimina. Nam qui in religione fecit votum solenne, aut qui sacros suscipit ordines, diuinis obsequijs toto tempore suæ vitæ obligatur, sed vir non semper tenetur reddere debitum vxori, sed congruis temporibus. ¶ Obrepat & tertius scrupus, An vir consummato matrimonio possit renitente vxore religionem ingredi, siue vouere religionis ingressum. Et sanè id apparet, lex diuina magis debet rebus spiritalibus fauere, quàm humana: sed lex humana hoc permittit, ergo multo facilius & promptius, id lex diuina permittere debet. In contrarium tamen pugnat Paulus ad Corinthios, dicens: Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Ad hæc accedit ratio, Nullus potest licite quidpiam facere quod deurgat in præiudicium alterius, sine eius voluntate: sed votum religionis à viro emissum deurgit in præiudicium & detrimentum vxoris, quia habet

Gene. 2.
Matth. 19.

1. Corin. 7.

1. Corin. 7.

potestatem sui viri: ergo vir consummato matrimonio per copulam carnalem non potest renitente vxore votu religionis emittere. Amplius, Nullus potest licite facere deo oblationem de alieno, sed per matrimonium consummatum corpus viri factum est suae vxoris corpus. Nam dicit Paulus, Vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier, & ediuerso. Ergo non potest vir suum corpus offerre deo per continentiae votum absque consensu suae vxoris. Hae abunde probat virum consummato matrimonio non posse edere votum continentiae absque consensu suae vxoris. Et cum obiectum est de lege humana id permittente, idcirco lex diuina debuit idem permittere: dico multum esse discriminis inter illas leges. quia lex humana solum considerat matrimonium, vt est in officium naturae: sed lex diuina considerat & perpendit matrimonium quatenus est sacramentum, ex quo habet omnimodam indiuisibilitatem. ¶ Quartus, An vir possit inuita vxore ante copulam carnalem, religionem ingredi. Et apparet quod non: nam indiuisibilitas matrimonij pertinet ad sacramentum matrimonij, quia significat perpetuam Christi cum Ecclesia coniunctionem: sed ante copulam carnalem, ex consensu verbis praesentibus firmato, est verum matrimonij sacramentum: ergo nullo modo potest fieri diuisio, & per consequens absque consensu vxoris vir etiam ante copulam carnalem non potest edere votum religionis. Videtur tamen quod possit. Quandoquidem dominus vocauit Ioannem de nuptijs, quae (vt dicunt viri sapientissimi) factae sunt in Chana Galilaeae, vbi Christus mutauit aquam in vinum. Adde, quod ante copulam carnalem inter coniuges solum est vinculum spirituale: absoluto vero matrimonio, est vinculum carnale. ideo sicut post carnalem copulam matrimonium soluitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante copulam carnalem, soluitur: quia religio est quaedam mors ciuili, qua aliquis seculo moriens, viuunt deo. Hae affatim probant virum ante copulam carnalem inuita sua vxore posse emittere votum religionis. Et licet ante copulam carnalem sit verum matrimonium ratum & non consummatum, & etiam matrimonij sacramentum: tamen matrimonium illud non significat actu coniunctionem Christi ad Ecclesiam, sed coniunctionem animae ad Christum, quae dissoluitur peccato mortali. Sed post carnalem copulam, significat coniunctionem Christi & Ecclesiae, quantum ad assumptionem humanae naturae in unitate personae, quae est omnino indiuisibilis. ¶ Quintus, An viro religionem ingrediente ante copulam carnalem, possit eius vxor alteri nubere. Et id apparet. Nam ex aduerso, mulier arctaretur ad perpetuam continentiam, ex eo quod eius vir religionem ingrederetur, quod est absurdissimum. Nullus enim potest alterum obligare ad ea quae sunt perfectionis: sed continentia ad perfectionem spectat, ergo mulier non astringitur ad obseruandam perpetuo continentiam, ex eo quod eius vir religionem ingreditur. Etiam vbi fecit publicam professionem mortuus est mundo: ideo sicut morte corporali soluitur matrimonij vinculum, ita morte ciuili. Sed dices, vbi vterque voueret continentiam, remaneret vinculum matrimonij: ergo etiam vbi solum vir vouet ingressum religionis, remanet vinculum matrimonij. Dirimendus est hic scrupus: Vxor potest alteri nubere, viro religionem ingrediente ante copulam carnalem, vbi fecit publicam professionem. Nam si non fecerit votum solenne & publicam professionem, tenetur ad tempus eius vxor abstinere a secundis nuptijs, quia ante professionem potest remigrare ad seculum. Et argumenti in contrarium propositi, neganda est consequentia: nec similia ponuntur in antecedente & consequente. Nam quando vterque pari voto continentiam vouet, tunc neuter a vinculo matrimonij absoluitur: sed quando vnus tantum vouet, tunc quantum est in se abrenuntiat vinculo coniugali ideo alter ab illo vinculo absoluitur. Hanc reperies solutionem in additionibus tertiae partis Summae diuini Thomae, quaest. 61. art. 3. Sed quis in hanc solutionem obijceret, ratio propter quam vir huiusmodi votum emittens sua vxore non vouente abrenuntiat vinculo coniugali, est quia vouit continentiam, ergo cum vir & vxor pari voto continentiam vo-

Ioan. 4.

uent, vterque vinculo coniugij abrenuntiat & cedit. Non addubito quin aequa esset ratio vtriusque, si loqueremur de voto continentiae & ingressu religionis facta professione solenni. quia sicut vir vouens voto solenni huiusmodi religionem, abrenuntiat vinculo coniugali quod morte ciuili solutum est, ita ambo vouentes voto solenni religionis ingressum, cedunt vinculo matrimonij, quod morte (vt fertur) ciuili disruptum est. quando autem dicitur, cum vnus vouet, &c. intelligitur de voto continentiae & religionis. Si tamen vir solum voueat continentiam, & non ingressum religionis, non cedit vinculo coniugij, & ita dicendum est, cum ambo solum vouent continentiam: nam cum huiusmodi voto existit verum matrimonium, quod fuit inter virginem Mariam & Ioseph.

CAPVT XVII.

Merita hominum licet sint dei munera, tamē ipsi homo peruenit ad salutē. ¶ Priori huiusce Assertionis parti (quae omnino Augustiniana est) illud Ecclesiastae videtur accedere, Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum dei est: cum autem meretur homo, sui animi, suaeque voluntatis vires explicat, & sedulam nauat operam, vt vitae sanctimonia, & honestis pietatis officijs, ac varijs tribulationibus (quas pro nomine Christi a quo animo pertulit) aeternam felicitatem nanciscatur, & tamen optimi illi conatus, & merita hominum, dei sunt dona, sine cuius gratia nullus mereri potest. Adde quod Augustinus huic omnino fauet sententiae, in plerisque suarum scripturarum locis. Quandoquidem libro nono Confessionum, cap. 13. dicit: Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur, in domino gloriantur. Et in epistola ad Sixtum presbyterum contra Pelagianos, qui falso arbitrabantur meritum hominis praecedere dei gratiam, dicit: Querimus autem meritum misericordiae, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem praecessisse, in qua esset meritum gratiae, quid meriti habebat homo ante fidem, & qui acciperet fidem? Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non accepit? Sicut enim non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem dei, nisi secundum propheticum eloquium accepisset spiritum sapientiae & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiae & pietatis ac timoris dei, sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu de quo dicit Apostolus, Non enim accepistis spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis & continentiae. Ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur. Non autem merito accepisse, sed misericordiam eius, qui cuius vult miseretur: manifestissime ostendit, vbi de seipso ait: Misericordiam consequutus sum vt fidelis essem. Si dixerimus meritum praecedere orationis, vt donum gratiae consequatur: impetrando quidem oratio quicquid impetrat, euidenter donum dei esse ostendit, ne homo existimet a seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non vti que posceretur. Verum tamen ne saltem orationis viderentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed iam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur. Quid enim oremus, ait doctor gentium, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est, interpellare gemitibus. Et paulo post agens de immarcessibili nostrorum meritum corona, quae dei donis accommodatur, dicit: Quod est ergo meritum hominis ante gratiam quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia, & cum deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus:

Ecclesi. 3.

Augustinus

1. Corin. 11.

1. Corin. 4.

Esaie 11.

Roma. 8.

2. Corin. 4.

Psal. 115.

1. Tim. 1.

Roman. 8.

Pfal. 102. Sic in fine quod erit in vita aeterna coronabit nos, sicut scriptum est: In miseratione & misericordia. Non itaque frustra deo cantatur, Et misericordia eius praeueniet me.
 Psal. 58. Et misericordia eius subsequetur me. Unde & ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis praecedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt, & ipsa merita quibus datur.
 Roma, 6. Vbi autem inuenimus etiam vitam aeternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem gratiae magnificum defensorem apostolum Paulum, Stipendium (inquit) peccati mors est, gratia autem dei vita aeterna, in Christo Iesu domino nostro. Tum etiam in epistola ad Bonifacium, idem persequendo institutum, dicit: Cum ergo fides impetrat iustificationem, sicut unicuique deus partitus est, etiam ipsius mensuram fidei, non gratiam dei, aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa gratia mereatur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequa non praevia voluntate. Unde ille qui dixit, Fortitudinem meam ad te custodiam, causamque reddit, dicens: Quoniam deus susceptor meus es, tanquam requirens quibus id meritis fuerit consecutus, nihilque in se inueniens ante gratiam dei: Deus meus (inquit) misericordia eius praeueniet me. Quotiescunque (inquit) cogitauero antecedentia merita mea, misericordia eius praeueniet me. Proinde ab illo attributa fortitudinem suam, ad illum custodiens, eodem seruatore non perdit quod eodem largitore suscepit. Nec ob aliud meretur ampliora, nisi pie fideliterque sciendo a quo sibi bona sunt omnia, & hoc sciendo, non ex seipso, ne vel hoc sit in eo quod non sit ex deo.
 1. Corin. 2. Unde optime Apostolus: Nos (inquit) non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quae a deo donata sunt nobis. ac per hoc, & ipsum hominis meritum, donum est gratuitum. Nec a patre luminum a quo descendit omnne datum optimum, boni aliquid accipere quisquam meretur, nisi accipiendo quod non meretur. Et libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite 107. differens de certa bonorum operum mercede, quae est gratia dei, dicit: Intelligendum est iugiter etiam ipsa hominis bona merita, esse dei munera, quibus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Probat etiam ex Paulo, libro 13. de Trinitate, capite 10. merita nostra esse dei dona: Ut enim (inquit) fides per dilectionem operetur, charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tunc est autem datus, quando est Iesus resurrectione clarificatus. Tunc enim cum se misurum esse promissit & misit, quia tunc sicut de illo scriptum est, & ante praedictum: Ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus. Haec dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis & beatitudinis peruenimus. Commendat autem (inquit) Apostolus) charitatem suam deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Adde quod libro vno de Gratia & libero arbitrio, capite 6. dicit aduersus Pelagianos: Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam vero quae datur in finem, id est aeternam vitam, meritis nostris praecedentibus reddi. Respondendum est eis, Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant prorsus, rectissime respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Prorsus talia cogitata verissime dicitur: Dona sua coronat deus, non merita tua: si tibi a teipso, non ab illo sunt merita tua. haec enim si talia sunt, mala sunt: quae mala sunt, non coronat deus: si autem bona sunt, dei dona sunt, quia sicut dicit Apostolus Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, defursum est, descendens a patre luminum. Unde dicit & Ioannes praecursor domini nostri: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo, utique de caelo. Unde etiam tiam venit spiritus sanctus, quando Iesus ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus. Idem refert enarrando psalmum illum, Exaltate dominum deum nostrum. Et hunc etiam, Qui coronat te in miseratione & misericordia. Nec dissimilia habet in explicatione illius psalmi, Misericors & miserator dominus, longanimis & multum misericors. Assentitur & Augustino Chrysostomus, homilia prima de Adam & Eva, dicens: Ne in ipsa vita bona extollatur genus humanum, & proprijs viribus victoriam sibi vendicet, in eo quod superat affectus carnis, aequo redarguit Apostolus, dicens: Gratia salui estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed donum dei est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Aequo alio loco dicit: Quid habes quod non accepisti? Itaque & si accepisti, quid gloriaris quasi bene viuens non accepisti? Nam quis castum se gloriatum habere cor, aut mundum se esse a peccatis? Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. quia quod ipse dominus dicit: Sine me, nihil potestis facere, aequo dixit: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Item dixit, Non omnes capiunt verbum, sed quibus donatum est, aequo dixit: Cōfitebor tibi domine pater caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. ita pater, quia sic fuit placitum ante te. Item dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni dei, illis autem non est datum. Sed ne aliquis dicat, quod non accepi, quid a me exigit deus? non habet excusationem, quia omnis accipiens gratiam, iam in eadem gratia accipit & lumē. Quod si male fecerit, assignet sibi: si autem bene fecerit, assignet deo, a quo venit omne donum optimum, & lumē perfectum. Cum enim sanctae plebis sacerdotes per mandata sibi data, legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque cōgemiscentes postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut ab idololatria & impijs erroribus liberentur, ut Iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione respiciant, ut schismatici spiritum rediuitae charitatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, caelestis misericordiae aula referatur, haec non inuenerit a domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omnium errorum genere plurimos dignatur deus attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transfert in regnum filij charitatis suae, & ex vasis irae, facit vasa misericordiae, quod a deo totum diuini operis esse sentitur, ut haec efficienti deo gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro talium correctione referatur. Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia, siue sint paruuli siue iuuenes, vniuniformiter agit, non otioso contempleremur intuitu. Quod cum ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae ingrediuntur, quam exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, & deinceps vasa eius eripiantur in possessionem translata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. His ergo ecclesiasticis regulis & diuina sumptis autoritate documentis, ita adiuuante domino, confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad deum tenditur, deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire. Per quem item fit, ut aliquid boni & velle inueniamur & facere. Quo utique auxilio & munere dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Ex hoc cadido sacrarum literarum interprete, possumus plene cognoscere, quod licet merita hominis, liberi arbitrij cooperationi & conatui innitantur, quia tamen a gratia dei & charitate pendunt, & magis quam ab hominis voluntate & industria, & bonorum omnium operum auctori primario referenda sunt acceptissima, idcirco dei munera vocantur.

Ioan. 3. tiam venit spiritus sanctus, quando Iesus ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus. Idem refert enarrando psalmum illum, Exaltate dominum deum nostrum. Et hunc etiam, Qui coronat te in miseratione & misericordia. Nec dissimilia habet in explicatione illius psalmi, Misericors & miserator dominus, longanimis & multum misericors. Assentitur & Augustino Chrysostomus, homilia prima de Adam & Eva, dicens: Ne in ipsa vita bona extollatur genus humanum, & proprijs viribus victoriam sibi vendicet, in eo quod superat affectus carnis, aequo redarguit Apostolus, dicens: Gratia salui estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed donum dei est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Aequo alio loco dicit: Quid habes quod non accepisti? Itaque & si accepisti, quid gloriaris quasi bene viuens non accepisti? Nam quis castum se gloriatum habere cor, aut mundum se esse a peccatis? Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. quia quod ipse dominus dicit: Sine me, nihil potestis facere, aequo dixit: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Item dixit, Non omnes capiunt verbum, sed quibus donatum est, aequo dixit: Cōfitebor tibi domine pater caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. ita pater, quia sic fuit placitum ante te. Item dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni dei, illis autem non est datum. Sed ne aliquis dicat, quod non accepi, quid a me exigit deus? non habet excusationem, quia omnis accipiens gratiam, iam in eadem gratia accipit & lumē. Quod si male fecerit, assignet sibi: si autem bene fecerit, assignet deo, a quo venit omne donum optimum, & lumē perfectum. Cum enim sanctae plebis sacerdotes per mandata sibi data, legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque cōgemiscentes postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut ab idololatria & impijs erroribus liberentur, ut Iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione respiciant, ut schismatici spiritum rediuitae charitatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, caelestis misericordiae aula referatur, haec non inuenerit a domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omnium errorum genere plurimos dignatur deus attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transfert in regnum filij charitatis suae, & ex vasis irae, facit vasa misericordiae, quod a deo totum diuini operis esse sentitur, ut haec efficienti deo gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro talium correctione referatur. Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia, siue sint paruuli siue iuuenes, vniuniformiter agit, non otioso contempleremur intuitu. Quod cum ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae ingrediuntur, quam exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, & deinceps vasa eius eripiantur in possessionem translata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. His ergo ecclesiasticis regulis & diuina sumptis autoritate documentis, ita adiuuante domino, confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad deum tenditur, deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire. Per quem item fit, ut aliquid boni & velle inueniamur & facere. Quo utique auxilio & munere dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Ex hoc cadido sacrarum literarum interprete, possumus plene cognoscere, quod licet merita hominis, liberi arbitrij cooperationi & conatui innitantur, quia tamen a gratia dei & charitate pendunt, & magis quam ab hominis voluntate & industria, & bonorum omnium operum auctori primario referenda sunt acceptissima, idcirco dei munera vocantur.

¶ Ut secundam assertionis partem tueamur, nobis sacrae literae momentum praestabunt. Quandoquidem dicit Psalmographus: Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Item, Semel locutus est, duo haec audiui, quia potestas dei est, & tibi domine misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua. Idem commemorat Matthaeus ex verbis Christi dicentis: Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Nec hinc euariat Paulus differens in epistola ad Romanos de bonorum praemij & malorum supplicij, Secundum (inquit) duritiam tuam & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuique secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Et de seipso secunda ad Timotheum epistola, fert testimonium, quod suis meritis ad aeternam gloriam peruenerit, licet eum diuina gratia iuuerit, ut ad tutissimum suorum laborum portum adnavigaret: Bonum (inquit) certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Adde quod Christus ijs aeternum pollicetur praemium, qui pietatis officia praestiterunt egenis: Venite (inquit) benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Diuus etiam Hilarius Canone 20. in Matthaeum, differens de illis qui pro suis diurnis operibus singulos receperat denarios, dicit: Merces ex dono nulla est, quia debetur ex opere, sed gratuita gratiam deus omnibus ex fidei iustificatione donauit: Et sane his consentanea sunt quae dicit Paulus ad Romanos: Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Dicit quoque Christus de amplissima beatorum mercede, qui opprobria, maledictiones, & aduersa quaeque aequo animo pro fidei assertionem tolerarunt, Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Nec aeterna deus mercedem repedit ipsis adultis & ratione utentibus, nisi pro ipsorum meritis, & honestis vitae officij, quare colligendum est hominem pro suis meritis peruenire ad salutem. ¶ At decertabit aliquis, Docet abunde beatus Ambrosius libro secundo de Vocatione gentium, capite 2. neminem suis meritis peruenire ad salutem, & nititur argumento Pauli, qui vbi Catalogum donorum spiritus sancti recensuit, eadem conclusit, Haec autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Si enim (inquit Ambrosius) haec distributio secundum praecedentium operum merita proueniret, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret, ut diceret: Haec autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult, vbi utique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret, Diuidens singulis prout meretur, sicut plantatoribus aut rigatoribus praemium deuotionis spondit, dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Datur ergo unicuique sine merito, ut tēdat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse etiam euangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, vbi per comparisonem dicitur quod homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis suam substantiam, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, unicuique secundum propriam virtutem, id est secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiae, iustitiae, sapientiae, aliud verò esse continentem, iustum, atque sapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec o-

omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est: reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Huic quoque subscribit sententia Augustinus Tractatu tertio in Ioannem, dicens neminem pro merito accipere vitam aeternam, sed tantum pro gratia. Si enim fides sit gratia, & praemium fidei sit vita aeterna, vita aeterna est gratia ex gratia. Iam etiam ex eodem authore diximus, quod quando deus dat praemium pro merito, reddit gratiam pro gratia. Et libro vno de Gratia & libero arbitrio, illis argumentis quibus conati sumus ex sacris literis posteriori nostrae assertionis partem suadere respondet. Siquidem capite septimo illius operis, dicit: Si ergo dei dona sunt bona merita tua, non deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum: & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint dei: Bonum (inquit) certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. Primo ista bona opera, si non ea praecessissent cogitationes bonae, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat, ait enim scribens ad Corinthios, Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis tanquam a nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex deo est. Deinde singula inspiciamus. Bonum (inquit) certamen certavi. Quae qua virtute certauerit, vtrum quae illi ex semetipso fuerit, an quae desuper data sit? sed absit ut tantus doctor gentium ignorauerit legem dei, cuius vox est in Deuteronomio, Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea, & potentia manus meae fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis domini dei tui, qui ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit: Gratias deo qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Et alio loco cum commemorasset testimonium de psalmo: Quonia propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis, subiicit atque ait: Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos. Deinde dixit, Cursum consummaui, sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: Igitur non volentis neque currentis: sed miseretis est dei, quae sententia nullo modo potest etiam sic conuerti ut dicatur, non miseretis dei, sed volentis & currentis est hominis. quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte se ostendit Apostolo contradicere. Postremo dixit, fidem seruaui, sed ille hoc dixit, qui alibi ait: Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Non enim dixit, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram, sed ut fidelis essem. Hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi, nisi deo miserante non posse, & esse donum dei, quod aperissime docet, dicens: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed dei donum est. Possent etiam dicere, Ideo accepimus gratiam quia credimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam deo: propter hoc Apostolus cum dixisset, Per fidem, & hoc (inquit) non ex vobis, sed dei donum est. Rursus ne diceret se suis operibus donum tale meruisse, continuo subiicit: Non ex operibus, ne forte quis extollatur, non quia negauit, aut euacuauit opera bona, cum dicat deum unicuique reddere secundum opera eius, sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiae, a quo est ipsa fides, de qua dictum est, Iustus ex fide viuit, homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, putauerunt enim dicere sufficere homini fidem etiam si male viuat, & bona opera non habeat. quod absit, ut sentiret vas electionis, qui cum dixisset quodam loco, In Christo enim Iesu, neque circūcisio aliquid valet, neque praeputium: mox addidit, Sed fides quae per dilectionem operatur, ipsa est fides quae fideles dei separat ab immundis demonibus. Nam & ipsi sicut dicit apostolus Iacobus, Credunt & contremiscunt, sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua iustus viuit, id est, quae per dilectionem operatur, ut reddat ei deus vitam aeternam, secundum opera eius: sed quia & ipsa bona opera nobis ex deo sunt, a quo nobis & fides est & dilectio, propterea idem ipse doctor gentium, etiam ipsam vitam aeternam gratiam

nuncupauit. Sed capite octauo aduersus hæc, mouet argumentum, quod tamen dissoluit: Et nascitur (inquit) inde non parua quæstio, quæ domino donante soluenda est. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit scriptura, Quoniam deus reddet unicuique secundum opera eius, quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur? ipso Apostolo dicente: Ei qui operatur, merces nõ imputatur secundum gratiã, sed secundum meritum siue debitum. Et iterum, Reliquiã (inquit) per electionem gratiã saluã facta sunt. Et mox addidit: Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Quomodo est ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An forte vitã æternam, non dixit Apostolus gratiam? Imò verò sic dixit, vt negari omnino non possit, nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorẽ. Cum enim dixisset, Stipendium peccati mors, continuo subdidit: Gratia autem dei vita æterna in Christo Iesu domino nostro. Ita ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad dei gratiam pertinere, propter illud quod ait dominus Iesus: Sine me nihil potestis facere. Et ipse Apostolus cum dixisset, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur, vidit vtique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant. Mox itaque addidit, Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit deus, vt in illis ambulemus. Quid est hoc quod cum dei gratiam commendans dixisset, Non ex operibus, ne forte quis extollatur? cur hoc dixerit rationem reddens, ipsius enim sumus (inquit) figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis. Quomodo ergo ex operibus, ne forte quis extollatur? Sed audi & intellige non ex operibus dictum tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus te deus finxit, id est formauit & creauit. Hoc enim ait, Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, non illa creatione qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat: Cor mundum crea in me. Et de qua dicit Apostolus: Si qua ergo in Christo noua creatura: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua, omnia autem ex deo. Fingimur ergo, id est formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, sed præparauit deus vt in illis ambulemus. Itaque charissimi vita bona nostra nihil aliud est quàm dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bona vitæ redditur, dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illi cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia tanquã merces pro iustitia, vt verum sit: quoniam verum est, quia reddet unicuique deus secundum opera eius. Licet nobis aduersari videantur quæ ex Ambrosio & Augustino discussa sunt, non tamen aduersantur. Præferunt illi gratiam dei nostris laboribus & honestis vitæ officijs, nec aliter laudant nostra merita, quàm dei munera. Et aperte monstrant nos non posse mereri ex condigno simpliciter vitam æternam, alioqui meritum ex æquo responderet præmio, & inniteretur valori operis, & non diuinæ liberalitati, & reddenda esset illi merito merces ex iustitia. Quod si deus eam non redderet, esset simpliciter iniustus, quod est nephas & absurdissimũ. Dicit enim Paulus, Existimo enim quod non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et hoc abunde indicat nostra merita magis inniti liberalitati diuinæ, quàm nostræ volũtati, quod etiam plenè docet Chrysostrmus homilia prima de Adam & Eua, dicẽs: Tanta enim est erga omnes bonitas dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et pro his quæ largitus est, æterna præmia fit daturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patiatur quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores gratiæ dei simus, & in his quæ in nobis ex nostra viderimus remissione

Roma. 4.
Roman. 11.

Roma. 6.

Ephes. 2.

Psal. 50.
2. Corin. 5.

Roman. 8.

Chrysostr.

languere, ad illum sollicite recurramus qui sanat omnes languores nostros. Idem sentit Ambrosius libro secundo de Vocatione gentium, capite nono: vbi ostendit gratiam dei præparare nostram volũtatem tanquam famulam & recepticem donorum suorum. Possumus tamen vitam æternam mereri ex condigno secundum quid. Hoc autem meritum pendet à valore operis, & liberalitate dei, qui ordinauit, vt nostris operibus in charitate factis, æternum redderetur præmium, quod pro secunda nostræ assertionis parte persuadere nitentur.

CAPVT XVIII.

Miserum esse melius est, quàm non esse. Hæc Augustiniana est Assertio, libro tertio de Libero arbitrio, capite septimo & octauo: Considera (inquit differendo aduersus illũ qui putabat melius, non esse, quàm perpetuo cruciari) quantum potes quàm magnum bonum sit ipsum esse, quod & beati & miseri volunt. Nec defuerunt Augustino rationes ad suam assertionem suffulciendam. Is qui desiderat esse, etiam perpetuis afflictus tormentis, ei quod summe est propinquat. Is autem qui absurde appetit non esse, non cupit ei quod summe est propinquare, sed ab eo quàm maxime discedere: & per consequens melius est appetere esse etiam in miseria, quàm non esse. Adde quod nemo potest recte eligere quod non sit: quandoquidem electio est eorum quæ sunt. non igitur quis potest recte eligere vt nihil sit, & per consequens, melius est miserum esse quàm non esse. Maiorem confirmat, quod quisque recte eligit appetendũ, cum ad id peruenerit, necesse est melior fiat. Melior autem esse non poterit, qui nõ erit. Nemo igitur recte potest eligere vt non sit. Amplius libro vndecimo de Ciuitate dei, cap. 27. dicit naturam refugere non esse, ex aduerso igitur, natura expetit esse, quare id quod non est, non est eligibile. At dicit aliquis, probat Hieronymus validissimis sacræ scripturæ argumentis, quod melius sit non esse quàm esse, enarrando illum Hieremiæ locũ: Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir qui annuntiauit patri meo, dicens: Natus est tibi filius masculus. vbi ita scribit: Qui putant animas fuisse in caelestibus, & de meliori in peiorem statum præcipitatas, hoc & huiusmodi vtuntur testimonijs, quod scilicet melius fuerit in caelestibus quàm in terrenis commorari, & corpus humilitatis assumere: noua quadam, imò iam vetera hæreseos suæ argumenta quærentes. Nos verò legentes illud beati Iob, Maledicta dies in qua natus sum, & nox illa in qua dixerunt, Ecce masculus. Et maledictus homo qui annuntiauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer. Huic testimonio coaptamus. quod scilicet melius sit non esse, quàm viuere in supplicijs, iuxta illud quod scriptum est, Mors viro requies, cui clausit deus viam suam. Et iterũ, Quare data est misero lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Et in Euãgelio simpliciter dictum legimus: Melius ei fuerat si natus non fuisset, non quod sit, qui natus nõ fuerit, sed quod melius sit non esse quàm male esse. Aliud est enim omnino non esse, aliud cum sit, absque vlla intermissione cruciari. Et in Matthæum, eundem de Iuda proditore locum exponendo, dicit: Multo melius est non subsistere, quàm male subsistere. Idem Euãgelij testimoniũ explicans Origenes, Homilia 35. in Matthæum, dicit: Illi bonum erat, si natus non fuisset, quia nec hoc bono fuerat dignus vt non nasceretur: sed quoniam aptus fuerat ex arbitrio suo vt hoc ministerium proditoris consummaretur per eum, ideo natus est malo suo, vt in malum quod secundum propositum suum merebatur, incideret. Quidam doctores scholastici nituntur pro viribus coniungere Augustinum Hieronymo, & vna distinctiuncula tanquam adnotamento vtuntur, Melius est (inquiunt) non esse secundum quid, quod penè priuationem respicit, quàm perpetuis dis cruciari pœnis: & hanc veritatis intelligentiam prædebat Hieronymus, sed melius est esse, quod naturæ est accommodatissimum, etiam in perpetuis cruciamentis, quàm nullo modo esse, vt Augustini rationes monstrant, huncque sententiam existimant Augustini scripturis respondere. Nec ab hac digreditur sententia e.ij.

Ambrosius

Augustinus

Hieronymus

Hierem. 20.

Iob 3.

Ecclesi. 30.

Iob 3.

Matth. 26.

Origenes.

Dionysius diuus Dionysius libro Diuinorum nominum, capite quarto partis 4. vbi dicit daemones non esse natura malos, neque omnino boni expertes, quia & sunt, & viuunt, & intelligunt, estque in eis quidam desiderij motus, & huius autoritate fultus, ita nec tam ratiociniū: Daemones extremis etiā cruciati supplicijs non sunt natura mali, ergo natiuis adiuti praesidijs, bonū naturae conueniens desiderant: sed ita est quod naturalis in eis appetitus est perpetuus. ergo quantumlibet flammis adurantur, aut alio tormēti genere puniantur, semper id quod naturae est conueniens, scilicet ipsum esse, desiderabunt. Tum etiam ex eodem authore non sunt omnino boni expertes, tamen si à bono incōmutabili ad bonum commutabile deflexerint: ergo saltem in tantum naturae bonū quod in sui permanentia consistit, appetunt: non igitur magis appetūt non esse quam esse. Et qui fieri posset ut viuerent & intelligerent, appetērentque ut huiusmodi bono fruerentur, si vitae annihilationem praeferrēt? Nec alius in ipsis videtur esse desiderij motus, nisi quod appetūt esse, & suae essentiae permanentia tueri. Dicunt & alij, subtili sui ingenij acrimonia de hac re differentes, quod melius est non esse, considerata ratione culpa, quam aeternis ignibus torqueri. Et id nobis insinuare visus est Christus, dicens de Iuda proditore, Melius illi esset, si homo ille natus non fuisset. & hunc edisserens locum Theophylactus nobis astipulatur, dicens: Aliud est substantia peccati, aliud natura: nec ad id asserendum nobis deest ratio, Melius siquidem esset (si bonum dici possit) nunquam nasci, quam deum saltem mortaliter offendere. Si tamen solam spectemus poenam, melius est esse in perpetuis tormentis, quam non esse.

CAPVT XIX.

MVndi fabrica verbi productionē exigit, sine quo nihil vnquam creatū est, nec creari potest. Priorē huius Assertionis partē hac ratione exploratissimā reddemus: Si verbum diuinū non fuisset productū siue genitum, nihil vnquam fuisset factum. Quandoquidē dicit diuus Ioānes, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. & per consequens struētissima mūdi fabrica verbi productionē exigit. Enarrās Augustinus illū Ioannis locū, dicit: Vniuersa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor: per ipsum facta sunt superiora, inferiora, spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla cōpāges, nulla cōcordia partium, nulla qualiscūq; substantia, quae potest habere pondus, numerū, & mensuram, nisi per illud verbū, & ab illo verbo creatore, cui dictum est, Omnia in mēsurā & numero & pōdere disposuisti. Explicando etiā quod paulo ante dicit Euangelista: Deus erat verbū, ita contra Arrianos differit: Exeat nunc nescio quis infidelis Arrianus, & dicat: quia Verbum dei factū est, quomodo potest fieri ut verbum dei factū sit, quando deus per verbū fecit omnia? Si & verbū dei ipsum factum est, per quod aliud verbū factum est? Si hoc dicis quia hoc est verbum verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego vnicū filium dei. Si autem non dicis verbum verbi, concede non factū, per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Crede ergo Euangelistae, poterat enim dicere, In principio fecit deus verbum, quomodo dixit Moyses, In principio fecit deus caelum & terrā, & omnia sic enumerat: Dixit deus, fiat: & factū est. Si dixit, quis dixit? Vtiq; deus. Et quid factū est? Creatura aliqua inter dicentē deum, & factā creaturā, quid est per quod factum est nisi verbū? quia dixit deus, fiat, & factum est. Hoc verbum incōmutabile, quamuis mutabilia per verbū fiant, ipsum incommutabile est. Noli ergo credere factū, per quod facta sunt omnia, ne non reficiaris per verbum, per quod reficiuntur omnia. Iam enim factus es per verbū, sed oportet te refici per verbum. Et libro 11. Confess. cap. 5. interrogās quomodo deus fecit caelum & terram, ostendit deum verbo aeterno omnia condidisse: Quomodo (inquit) fecisti deus caelum & terrā? non vtiq; in caelo, neq; in terra fecisti caelum & terram, neq; in aere, aut in aquis, quoniam & haec pertinent ad caelum & terrā, neq; in vniuerso mundo fecisti vniuersum mundū, quia non erat vbi fieret antequā fieret ut esset, nec manu tene-

bas aliquid vnde faceres caelum & terrā. Nam vnde tibi hoc quod tu non feceras vnde aliquid faceres? Quid enim est, nisi quia tu es? Ergo dixisti, & facta sunt, atque in verbo tuo fecisti ea. Tum etiā hanc eandē enūtiationem multo explicatiorē reddit enarrando psalmū illum: Eructauit cor meum verbū bonū, dico ego opera mea regi. Quid est (inquit) dico? verbum profero. Et vnde profert deus verbū, nisi ex corde suo & intimo suo? Tu non dicis nisi quod ex corde tuo profers, verbū tuum quod sonat & transit, aliunde non profertur, & miraris quia ita dicit deus? Sed dicere dei, aeternum est. Tu dicis aliquid modo, quia tacebas paulo ante, vel ecce nūc nondum verbum profers: cum autem proferre cōperis, rumpis silentium quodāmodo, & generas verbum quod antea non erat. Non sic deus genuit verbum, dicere dei sine initio est, & sine fine: & tamen vnum verbum dicit. Dicat alterum, si quod dixit transierit. Cum verò & à quo dicitur manet, & quod dicitur manet, & semel dicitur, & non finitur, & ipsum semel sine initio dicitur: nec bis dicitur, quia non transit quod semel dicitur. Hoc est ergo, Eructauit cor meum verbū bonū: quod est, dico ego opera mea regi. Quare ergo opera mea dico? Quia in ipso verbo omnia opera dei. Quicquid enim facturus erat deus in creatura, iam in verbo erat, nec esset in rebus nisi esset in verbo: quomodo & in re non esset in fabrica, nisi esset in cōsilio, sicut in Euāgelio dicitur, Quod factū est in illo, vita erat. Erat ergo quod factū est, sed in verbo erat, & omnia opera dei ibi erant, & opera nondū erant: sed verbū erat, & verbū hoc erat deus, & apud deū erat, & filius dei erat, & cū patre vnus deus erat. Patefacit & Sermone 38. de Verbis domini, hominē ad imaginē dei factum, etiam per verbum dei factū esse. Libro etiam 12. Confess. cap. 20. edisserendo sublimē illam Moysi philosophiā, In principio fecit deus caelum & terram, dicit: In principio, id est, in verbo suo sibi coaeterno, fecit deus intelligibilē atq; sensibilē vel spiritalē corporalemque creaturā. Amplius elidēs errorem Manicheorū, qui temere librū Geneseos reprehendebant, dicit lib. 1. de Genesi contra Manicheos, cap. 2. Primum ergo librum veteris testamenti, qui inscribitur Genesim, sic solent Manichei reprehendere quod scriptum est: In principio fecit deus caelum & terrā. Quarunt in quo principio, & dicunt: Si in principio aliquo tēporis fecit deus caelum & terram, quid agebat antequam faceret caelum & terram? & quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tēpora aeterna? His respondemus, Deum in principio fecisse caelum & terram, non in principio tēporis, sed in Christo cum verbū esset apud patrē per quod facta, & in quo facta sunt omnia. Eandē amplectatur interpretationē lib. 11. de Ciuit. dei, cap. 32. quā ex illo psalmo confirmat, Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti: sapientiā autē ratione attributi, filiū dei vocāt omnes cādidi sacrae scripturae interpretes. Adde quod Chrysostomus explicās illū Ioānis locū, Et sine ipso factū est nihil, dicit: Eorum quae creata sunt, siue visui, siue intellectui, tantū subiecta, nihil sine filij virtute productū est vel conditū. Et edisserēs quod ex Genesi desumpsimus, In principio creauit deus caelum & terrā, Augustini sententiā accedit, vbi asserit patrē caelestē in principio, scilicet in filio, creasse caelum & terrā, quod ex Paulo ad Colossenses approbat, dicente: Quia in ipso creata sunt omnia quae in caelis sunt, & quae in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per illū, & in illū creata sunt. Et in demonstracione aduersus Gētilēs quod Christus sit deus, dicit deum omnia verbo condidisse. Astipulatur & huic sententiā Cyrillus, idem Ioānis testimonium excutiens: Deitatis (inquit) maiestatem etiam haec verba vni genito dei filio attribuūt, quum omnia naturaliter, ac verē inesse ipsi ostēdant, quae deo patri dicuntur inesse. Non enim de foris sicuti hominibus per gratiā haec appellatio illi accedit, iuxta illud, Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes. Si enim omnia per ipsum facta sunt, non potest ille cum omnibus simul enumerari. Quū enim oīa dicatur, nihil est quod in omnibus non cōtineatur. Sic certe etiā Paulus omnia intellexisse cōperitur. Nā quū sub pedibus saluatoris nostri subiecta esse omnia dixerit, illico intulit, In eo enim quod omnia ei subie-

cit, nihil dimisit non subiectū ei: quare, quoniam per filium omnia facta esse credimus, nullo pacto aliquid omnium ipsum esse intelligimus, sed ab omnium numero ipsum separantes, & à natura creaturarum longe seorsum ponentes, nihil aliud esse ipsum quam deum ex deo naturaliter consistemus. Quid enim inter deum & creaturam inueniri potest, ut prater utrumque aliud intelligatur? aut in quam substantia filium collocabimus, si naturam creaturarum, in infinitum ut creator excedit? Omnia enim per ipsum facta sunt, ut per virtutē, ut per sapientiam dei patris, quæ non quemadmodum in hominibus quasi quædam qualitas deo inest, sed per seipsam verè subsistit, quavis ineffabili generationis modo à patre prodeat. Sic enim sapiētia, & virtus patris, vere filius esse creditur. Nec tamē quia omnia quæ sunt, per ipsum facta dicuntur, quasi alienæ voluntatis minister, aut quasi ab alio vires accipiat, quibus creare queat, credendus est. Imò vero quoniam virtus ipse patris sicut vnigenitus filius est, vniuersa cū patre simul & spiritu sancto creauit, cūcta enim ex patre per filium in sancto spiritu sunt. Nec vnā cū patre in creando filium idcirco intelligimus, quia pater ad creandū impotens sit, sed quia propter incōmutabilitatem, atque substantiæ identitatē natura sibi coniunctus est. Quemadmodū si quis in olfactione odoris qui ex flore quodā est, operationem odoris ab ipso flore à quo naturaliter odor profunditur, nullo modo seiungat. Nec ignoro parū esse exempli similitudinē, sed quum natura diuina cūcta superet, necesse est nobis secundū vires nostras, etiā minimarum rerum similitudines non despiciere. Quomodo enim aliter recte illud intelligemus, Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor? Nō enim seorsum atq; per seipsam operari patre, aut filium rursus, quasi quiescētē patre intelligendū est. Sic enim duo creatores, & non vnus, pater & filius esse viderentur. Et ad hæc, non esset necesse in patre semper filium esse, & in filio patre similiter: ac ita falsum illud inueniretur, Ego in patre, & pater in me. Nec ab istis eximijis doctoribus discedit Origenes homil. i. super Genesim, explicans primam Geneseos assertionem, non omnium ingenij peruiam, In principio creauit deus cælum & terram. vbi dicit: Quod est omnium principium, nisi dominus noster, & saluator omnium Christus Iesus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio, hoc est in verbo suo, deus cælū & terram fecit, sicut & euangelista Ioānes in initio Euangelij sui ait, dicens: In principio erat verbū, & verbum erat apud deū, & deus erat verbū. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Nō ergo hic temporale aliquod principium dicit, sed in principio, id est in saluatore factum esse dicit cælum & terram, & omnia quæ facta sunt. Assentitur & Origeni Ambrosius lib. i. Hexameron, capite 4. eandem Geneseos historiam pertractans. Et licet interpretetur diuersimode locum illum, In principio creauit deus cælū & terram, hanc tamen solidam & firmam interpretationē sequitur: In hoc principio, id est in Christo, fecit deus cælum & terram, quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat: quia in ipso constant omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturæ, siue quia ante omnē creaturā, siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, ut primogenitus Israel: nō quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris. Sanctus autem dominus super omnē creaturam, & secundum corporis susceptionem, quia solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura subiecta vanitati est. Et in libro de Noe & arca, cap. 26. attingens quod in Genesi scriptū nouimus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, dicit: Ad imaginem dei fecit hominem, & non dixit ad imaginem meam, cum ipse sit deus. Sed intellige & patrem esse, & filium esse. Et licet per filium omnia facta sunt, tamen legimus quia pater fecerit omnia, & fecerit per filium, sicut scriptum est: Omnia in sapientia fecisti. Siue ergo pater dicit, Ad imaginem verbi fecit, siue filius dicit, ad imaginem dei patris fecit. His adijciemus & alteram rationem: Si verbum dei non esset productū (& intelligas semper productionem pro generatione) verbum non esset. Nam esse verbi, est eius productio, & quicquid pater dedit filio, dedit ei gi-

Roma. ii.

Ioan. 5.

Ioan. 14.
Origenes.

Ambrosius

Roman. 8.

Psal. 103.

gnendo: quod si verbum dei non esset, nec essent creaturæ, quia sine ipso factum est nihil, & ex opposito quicquid factum est, per ipsum, eiusque virtute factum est: & per consequens ex primis consecutanea vltima colligendo, mundi fabrica verbi productionem exigit. Posteriorem assertionis partem sic suadeo, Opera trinitatis sunt indiuisa, igitur pater non potuit filio non operante mundum producere, non quod pater virtute filij, & potentia indigeat, sed quia quemadmodum vna & eadem est diuinitas in tribus personis omnino indiuisa, ita & omnino eadem est potentia in tribus personis omnino indiuisa. Nec in patre est potentia rerum creatrix quin eadem sit in filio, alioqui aliquid posset pater circa creaturam agere quod non posset filius, quod est absurdissimum. Adde quod Augustinus libro 2. in Genesim, capite 6. dicit esse cōtra catholicam fidem, patre posse aliquid facere sine filio. Nec velim dicas somnia cōminiscendo, Si per possibile vel impossibile pater non generasset filium esset omnipotens, & infinitæ virtutis, idcirco posset sine filio mundum producere. Quis, deus bone, sibi vnquam persuadere potuit patre esse sine filio? cum pater & filius sint simul natura, & perēpto vno correlatiuorū, perit & alterum: nec huiusmodi subtilissimis argutationibus vexandū est Christiani ingenij. Nos enim in nostra assertionem differimus de potentia patris in creaturis aut rebus creandis cōsiderata, quæ à potētia filij diuelli non potest. Volumus etiā clarè & aperte dicere quod data illa hypothesi, quod pater cælestis quidpiam creet quod non potest illud creare, quin ad eiusdē creationem operetur filius. Nec illorum placitis accedamus, qui dicunt & his quidem verbis: Principiationem creaturarum non dependere à principiatione personarum. Sic enim dependet, quod si verbum dei non esset genitum, nec creatura vlla vnquam fuisset cōdita. Nobis hac in re fauet Henricus à Gandauo, vir sanè doctissimus, quodlibeto 6. quæstione 2. dicens productionem personarum diuinarum præcedere productionem creaturarum.

CAPVT XX.



Ortuorum apparitiones non sunt leuiter credendæ, nec in vniuersum damnandæ. Vt priorem huiusce Assertionis partem suffulciamus, Ecclesiastici sententiam adferemus, dicens: Qui cito credit, leuis est corde. Hoc testimonio monemur ne temere & leuiter ijs quæ nobis dicuntur, fidem adhibeamus, & in vniuersum loquitur Ecclesiasticus. Nam fallimur plerūque & hallucinamur, cum patulas omnibus aures præbemus, nosque ad credendum nimis faciles præstamus. Idcirco non debemus subito & leuiter quibuscunque mortuorū visis & apparitionibus credere. Nam interdum præstigijs dæmonicis & subdolis ludificationibus loco istarum apparitionum deludimur. Facile siquidem Satanas se transfiguratur in angelum lucis, & nactus hominem huiusmodi apparitionibus credulum, miris eum technis & vafri captiunculis irretire solet & eludere. Adde quod diuus Ioannes præclare nos mōnet ne omnium spiritibus adhæreamus, & facile credamus: Fratres (inquit) nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sunt. Et in sacris sanctorum historijs nonnulli maxime commendantur, quod reuelationibus sibi factis de curanda sanctorum corporum (quæ absque vllō honore in terra condita fuerant) eleuatione & translatione in alium locum honoratiore, non continuo integram fidem adhibuerunt, sed callidissimi serpentis dolos & vafriam astutiam subueriti, deum assiduis precationibus interpellarunt, ut si ex eo esset talis insueta apparitio, secundo & tertio, sibi eodem schemate & modo fieret, quemadmodum in historia inuentionis sacri corporis beati Stephani protomartyris se fecitasse scribit eximius & venerabilis presbyter Lucianus. Posteriorem assertionis partem aduersus Lutherum protegimus, qui temerario ausu, & summa cum impudentia asseruit quicquid referri solet de apparentibus post mortē spiritibus, esse commentitium, vanū, & dæmonis ludificationem. Nec alio astu, aliāque de causa subannat, & deridet huiusmodi apparitiones, quàm quod desideret sacrum missæ officium & sacrificium omnino euertere & abrogari, ne

Augustinus

Eccle. 19.

2. Corin. 11.

1. Ioan. 4.

e. iij.

missæ celebrentur pro spiritibus è sede Purgatorij ad nos remigrantibus. Perunt si-
quidem spiritus illi diuina permissione redeunt, vt ipsi, missarum celebratione &
sacris oblationibus, ac alijs suffragijs opitulemur, quo celerius ab igne purgatorio li-
berentur, & liberati beatorum felicitate perpetuo fruantur. Nec contendimus de spi-
ritibus subito ad Elysios campos conuolantibus. Nam illi non redeunt, nec qui per-
petuis flammis aduruntur. Intellige communiter, & considerata definita dei sen-
tentia, qua decedentes ex hac vita cum peccato mortali, in ignem æternum dei-
ciuntur. Potest tamen deus misericordiae fons vberimus, precibus sanctorum ho-
minum, eripere peccatorem ab inferis, & permittere vt huc remigret: & pro sui li-
beratione sanctorum preces & suffragia extorqueat. Solet enim dici quod Tra-
ianus, qui multis annis apud inferos cruciatur, precibus Gregorij veniam conse-
quutus est, & inferni pœnas tandem euasit. Sed non erat sententia finali (vt dicitur)
damnatus, sed conditionali. Id etiam singulari diuinæ gratiæ priuilegio factum est,
quod ad consequentiam trahendum non est, quia lege communi fit oppositum, vt
dicit Durandus in quarto Sententiarum, distinct. 45. quæstione 2. vbi amplissime do-
cet suffragia Ecclesiæ nullo modo prodesse damnatis, quia non sunt membra Ecce-
siastici corporis. Sed illam Durandi assertionem intelligas lege communi, & de illis
qui definita dei sententia simpliciter sunt damnati. Etiam data illa hypothesi, quod
aliquis sanctorum suffragijs euocetur ab inferis, ille non perpetuis simpliciter pœ-
nis torquebatur. Et ad oppugnandum peruersam Lutheri doctrinam, proferam in
publicum, quod scribit Augustinus huiusce veritatis assertor maximus, libro vno
de Cura pro mortuis gerenda, capite 15, dicens: Possunt spiritus mortuorum aliqua
quæ hic aguntur quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non
nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura spiritu dei reuelate
cognoscere, sicut non omnes homines, sed propheta, dum hic viuerent, cognosce-
bant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse reuelata dei prouidentia iudicarat. Mittit quoq;
ad viuos aliquos ex mortuis, sicut ecôtrario Paulus ex viuis in paradysum raptus est,
diuina scriptura testatur. Nam Samuel propheta defunctus, viuo Sauli etiã regi fu-
tura prædixit, quãuis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus euoca-
ri, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment. similitu-
dinem figurasse, cû liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur,
& propter eloquij nonnullam similitudinem, Salomonis pronuntiatum, contineat in
laude patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro ex He-
braeorum, quia in eo non est, canone contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus?
qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Euãgelio cum Helia qui mortuus non
est, legitur apparuisse viuentibus? Et capite 16. persequens institutum, dicit: Hinc &
illa soluitur quæstio, quoniam modo martyres ipsis beneficijs quæ datur orantibus,
inducant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant viui. Non enim
solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem
apparuisse Felicem, cuius inquilinatum pie diligis, cum à barbaris Nola oppugna-
retur, audiimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista diuinitus
exhibentur, longe aliter quàm sese habet vñtatis ordo, singulis: creaturarum gene-
ribus attributus: non enim quia in vinum aqua, cum voluit dominus repente con-
uerfa est, ideo non debemus quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab
istius diuini operis raritate vel potius singularitate discernere. Nec quoniam Laza-
rus resurrexit, ideo mortuus omnis quãdo vult surgit, aut eo modo exanimis à vi-
uente, quomodo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaq; sunt humanarum limi-
tes rerum, alia diuinarum signa virtutum: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mira-
biliter fiunt: quãuis & naturæ deus assistit, vt sit, & miraculis natura non desit. Non
igitur ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quo-
niam quibusdam sanandis, vel adiuuandis martyres assunt, sed ideo potius intelli-
gendum est, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersunt, quo-

Augustinus

2. Corin. 12.

1. Reg. 28.

Ecclesi. 46.

Deuter. 34.

Matth. 17.

Ioan. 2.

niam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. Hæc
ille. Ad hæc narratur Onias summus sacerdos & morum sanctimonia præditus, post
suam mortem, orantis speciem præ se ferens, apparuisse Iudæ Machabeo pugnam
inituro cõtra sacrilegum Nicanorem, & in hac visione etiã sanctus propheta Hie-
remias assistisse sociis Oniæ, tradidisseque Iudæ gladium aureum, tanquã futuræ vi-
ctoriæ pignus. Nec visio ista excellens astu dæmonico cõficta est. Insuper beata A-
gnes, virgo candidissima, Constantiæ filia imperatoris, ad sepulchrum eiusdem vir-
ginis & martyris, in orationibus prostrata: ad impetrandam sui corporis sanitatem,
apparuit. Sanctæ etiam Lucie adhuc superstiti ad sepulchrũ sacræ virginis & mar-
tyris Agathæ, in oratione excubanti pro sanitate suæ matris valetudinariæ obtinen-
da, legitur apparuisse gloriosa virgo Agatha iam regno cælesti potita, & dulcissimo
alloquio beatã Luciam compellasse, illiusque matrem reddidisse à profluuiio sangui-
nis omnino incolumẽ. Et ad idem comprobandum plurimum facit exemplum san-
ctorum martyrum Geruasij & Prothasij, quorum corpora inuenit. Beatus Ambro-
sius, anno secundo Theodosij imperatoris. Nam ambo illi apparuerunt vnã cû bea-
to Paulo apostolo, & indicarunt locum vbi sua corpora erant recondita. Quæ cum
maxima deuotione Ambrosius terra effodit, qua iã diutius abstrusa delituerant, &
cum magna veneratione ad Basilicã sanctæ Faustæ transtulit, illucq; publice hono-
rãda reposuit. Et quis nescit sanctum Gamalielem venerãdo sacerdoti Luciano no-
cturna apparitione se spectandum exhibuisse: sui que corporis, & sociorum eodem in
loco inhumatorum, inter quos præcipuus erat beatus Stephanus, detractionem & ho-
nestiorem collocationem, ab Episcopo Hierosolymitano postulasse, cuius quidẽ rei
faciendæ Lucianũ voluit esse denuntiatorem. Præterea beatus Dionysius Areopa-
gita, Dagoberto regi in somnis apparuit, quẽ admonuit vt suum corpus suorumq;
sociorum exuias terræ visceribus eruendas, in honestiore loculo reponẽdas cura-
ret. Demũ, refert beatus Gregorius libro 4. suorum dialogorum, ca. 40. Pascasium,
virum siquidem miræ sanctitatis, & apostolicæ sedis quõdam diaconum, qui ad as-
sequendum summi pontificatus ordinem Laurentium Symmacho prælegerat, ta-
meti Ecclesia eum refutauerit, apparuisse post suam mortẽ in thermis Germano
Capuano episcopo, qui medicorum consilio ad thermas contenderat, vt à morbo
conualesceret. Cum autem Germanus Pascasium inuenisset in thermis stantem, &
obsequentem in caloribus, extimuit, & quid illic tãtus vir faceret inquisiuit: cui re-
spondit, Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte
Laurentij contra Symmachũ sensi. Sed quæso te, pro me dominum deprecare. At-
que in hoc cognosces quod exauditus sis, si huc rediens me non inuenieris. Qua de
re vir domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies redijt, sed iam
dictum Pascasium in loco eodem minime inuenit. Quia enim non malitiæ, sed
ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem à peccato potuit. Et capite 55.
eiusdem dialogi, dicit quẽdam sui monasterij fratrem, Iustum nomine, & artis me-
dicinæ peritissimum, cuius opera in suis leuandis morbis plerunque utebatur, cum
iam penè cœpisset exhalare animam, & ad extremum corporis langore discrucia-
tus peruenisset, Copioso fratri suo reuelasse se tres aureos occulta sse, quod vbi sce-
lus illud resciauit Gregorius, suis fratribus inhibuit, ne Iustum illum avaritiæ studio
deditum, in sua ægritudine viderent, neque illum vllis colloquijs consolarentur, vt
à suis fratribus omnino derelictus, suam mentem contritione delicti transuerbera-
ret, atque sceleris magnitudinem agnosceret, iussitque vt in Sterquilinijs scrobem
projiceretur, & omnes simul clamarent, Pecunia tua tecum sit in perditionem, sed
sui fratris etiã defuncti miserus, iniunxit sui monasterij præposito, vt triginta die-
bus continuis pro Iusto illo defuncto offerret sacrificium. Apparuit tandem qua-
dam nocte Iustus suo fratri nomine Copioso, quẽ cum ille vidisset, dixit: Quid est
frater? quomodo es? Cui respondit, Nunc vñque male fui, sed iam modo bene sum,
quia hodie communionem recepi. Ex hac historia & non fabula, vt male sentit Lu-

2. Macha. 15

Ambrosius

Gregorius.

therus, agnoscimus quantum commodi salutaris hostia defunctis adferat. Adnotemus subinde intellecta hac pulcherrima historia monachorum, quibus nihil debet esse proprium, pecuniam infodiendam esse cum ipsis, quae in eorum thesauris cum vita defuncti sunt, inuenta est: quod plene docet Hieronymus sentiens cum Gregorio, Epistola ad Eustochium, de Custodia virginitatis.

CAPVT XXI.

Maria Magdalene vna est reipsa, cuius Euangelistae meminerunt. Hanc qui Christiano animo, & sincera fide sectantur Assertionem, turissimum Ecclesiae ritum & usum pro se habent militantem, vna cum Augustini & Gregorij autoritate nequaquam aspernanda. Et velis remisque ad nauigabo, totoque Marte nitari, vt hanc ex Euangelicis literis veritatem eruere possim. Et in primis dabo operam, vt candido lectori suadere possim vnam & eandem esse mulierem etiam peccatricem, scilicet Mariam Magdalenam, de qua Lucas, Marcus, & Ioannes narrationem texuerunt. Nullos arbitror vertere in dubium, si nam eadem sit mulier peccatrix, de qua loquuntur Lucas, & Marcus. Quandoquidem eorum scripturae conspirant adinuicem, & consentiunt. Narrat Marcus Christum in die suae resurrectionis apparuisse primo Mariae Magdalene, de qua eiecerat septem daemones, haec praexigunt verba, & praesupponit Christum misericordiae ducem primarium, propulsasse septem daemones, quibus Magdalene prius dire torquebatur, & hanc mulieri gratiam largitus est longo ante suam passionem tempore. Dicit autem Lucas de eadem muliere differens, quam Christus ab humanitatis officijs, & feruentissimo erga se amore maximopere commendauit, Rogabat autem illum quidam de Phariseis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei discubuit. Et ecce mulier quae erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisei, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento ungebat. Quod autem haec eadem sit mulier de qua agit Ioannes dicens in suo Euangelio, Maria autem erat quae vnxit dominum vnguento, & exterisit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur, apertissime demonstrabo. Ioannes siquidem antequam narret secundam Christi vnctionem quae ab eadem Maria facta est post resurrectionem sui fratris Lazari, & tempore passionis Christi, dicit Mariam sororem Marthae & Lazari, vnxisse dominum vnguento, & quidem vt omnibus perspicuum est antequam Lazarus moreretur. Et hanc huiusce loci quae vnxit dominum vnguento, intelligentiam relinquit, quae scilicet iam vnixerat dominum & quidem prima vnctione, & eius pedes suis capillis exterferat, & sic alia est vnctio de qua in vndecimo capite differit, & alia de qua in duodecimo fufius egit: & sic quod Ioannes in vndecimo capite narrat, attestatur Lucas, qui hoc in domo Pharisei cuiusdam Simonis factum esse commemorauit. Nec ea te corripiat mentis insania & stultitia, vt dicas huiusce primae vnctionis Matthaeum, Marcum, & Ioannem meminisse tempore passionis Christi. Nam prima illa vnctio facta est in Galilaea, in domo cuiusdam Pharisei, qui solus murmurabat, quod mulier multis coinquinata vitijs, in eo humanitatis officio tantopere Christo placuisset: ille autem inhumanissimus meruit a Christo deseri & contemni, quod non solum haec humanitatis officia ei non praestitisset, sed quod iniquo ferret animo quicquid circa Christum mulier peccatrix egerat. Adde quod haec vnctio, facta fuisse memoratur in medio praedicationis dominicae tempore, & ferè biennio ante domini passionem. Secunda verò vnctio facta est in Bethania Iudaeae castello, in domo Simonis leprosi, & paucis quidem diebus antequam Christus pateretur. Nobis fauet hac in re Gregorius homilia trigesimatercia in Euangelistas, dicens: Hanc verò quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem daemones eiecit fuisse testatur. Et quid per septem daemones, nisi vniuersa vitia designan-

Hieronymus

Marci 16.

Luca 7.

Ioan. 11.

Gregorius.

tur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo daemones, Maria habuit, quae vniuersis vitijs plena fuit. Sunt tamen nonnulli qui dicunt Marcum de illis septem daemonijs differentem, intellexisse sermonem illum de septem daemonijs secundum substantiam, nec solum liberata fuit mulier illa à suis delictis, sed à septem daemonijs quibus acriter diuexabatur. Nam quoties Euangelistae narrantes historiam de eiectis loquuntur daemonijs, dicunt illorum verba ad literam intelligi debere de vera daemonum expulsionem. Tametsi Marci verba verissimam habeant historiae intelligentiam, non propterea despicienda est diui Gregorij viri longe doctissimi explicatio de septem vitijs capitalibus, & vniuersa vitiorum congerie. Nam sacrae literae non solum ab historia suam vim retinent, verumetiam à Tropologia, & sensibus Allegoricis. Quod si obstiterit calumniator & conetur suadere non eandem esse mulierem à Luca & Ioane commemoratam, quae in primo vnctionis munere vnxit pedes domini, eo quod Lucas non eam vocitet Mariam sororem Lazari, & Marthae, sed communi mulieris nomine eam signauerit, Ioannes verò eam appellat nomine proprio Mariam, Marthae & Lazari sororem, hanc retundemus aleam, & calumniandi fabricam. Quis enim eo est crasso ingenio, & betho aere crassior, vt non animaduertat, eandem mulierem apud diuersos Euangelistas, vario quidem modo exprimi apud Ioannem nomine proprio, apud verò alios communi duntaxat appellatione. Et siculneum ac plusquam bituraceum est eorum argumentum, quo nituntur ex Luca & Ioannis contextu suadere non eadem fuisse mulierem huiusce officij auctricem, nam illa quae recenset Lucas, primo lachrymis rigauit pedes Christi, deinde rigatos capillis capitis sui absterxit, & postremo fragrantissimo vnguento vnxit. Ioannes autem non dicit Mariam lachrymis ab ocellis diffluentibus rigasse pedes domini, sed quod vnxit dominum, & exterferit pedes eius capillis suis. En ignorant viri doctissimi quod ab vno Euangelistarum additum est, ab altero suppressum fuisse: eosque narrandi filo non autem sententijs euariasse: imbecilla siquidem est haec consecutio, Lucas dicit mulierem illam peccatricem primo rigasse lachrymis suis pedes Christi, deinde absterxisse, absterfos denique vnxisse. Ioannes autem non commemorat eandem mulierem primo rigasse lachrymis suis pedes Christi, sed vnxisse dominum, ergo non est eadem mulier ab illis commemorata. Non enim diuersam rerum sententiam à diuerso narrandi ordine metimur & perpendimus; sed à rerum dissidijs. potuit Ioannes eundem narrandi ordinem seruare quem Lucas obseruauit, sed non vt id faceret cogebatur. Si enim Lucas dixisset quae diuus Ioannes nullo modo voluisset intelligi, tunc nobis oblata fuisse ansa, vt conijceremus apertissime illos insignes Euangelistas dissensisse abinuicem. Nec dixit Ioannes mulierem illam lachrymis non irrigasse pedes domini, quod si dixisset, Lucas autem diuersum scribit & contrarium, visi fuissent omnino repugnantes. sed suppressit quod à Luca commemoratum est. Et hinc hallucinari videntur quod dicant Ioannem, in vndecimo, & duodecimo capite, de eadem loqui vnctione, caui delictis quae post suscitationem Lazari facta est in Bethania circa passionem domini. Neque id haberi debet inconueniens quod Ioannes in vndecimo capite, breuibus perstringat eam historiam, antequam secundum rei gestae seriem ipsa sit peracta, quam tamen postea amplius exprimit. Nam hoc pacto Euangelistae interdum praecipue occupant, & anticipant rei gestae tempus, paucisque in vno loco perstringunt id ipsum, quod postea suo in loco latius aperiant. Vt Marcus tertio capite inter ceteros apostolos nominans Iudam Scarioth, continuo subiungit, qui & tradidit illum, cum tamen Iudas tunc necdum tradiderat Iesum, sed quomodo eum tradiderit, prosequitur ipse Marcus, capite decimoquarto: idem quoque facit Lucas, capite sexto, de Iuda dicens, qui fuit proditor: nodum enim quum fieret ipsa apostolorum per Christum vocatio, Iudas prodicionem conceperat, nec perpetrarat: quinimo, vigesimo secundo capite Lucas, hoc prodicionis scelus apertius refert. Idem quoque

facit Matthæus, capite decimo, dicens de Iuda quod & Marcus, traditionis autem modū & causam explicat planius, capite vigesimo sexto. Nec putat Clithoueus libro septimo, in Euangelium Ioānis, qui Cyrillo additus est, illorum opinionem esse omnino improbabilem, licet à vulgata discedat. Huic tamē iam reprobata non assentimur. Nec diuis Ioānes dicens, Mariam sororem Lazari, vnxisse dominum, cupiebat innuere eam suo fratre à morte excitato vncturam dominum, sed quòd iam vnixerat, cum de suis vitijs pœnitentiam egit. Sed quid ijsce verbis apertius vnquam dici potuit? Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento: quibus agnoscunt ingeniosissimi huiusce loci interpretes, hanc esse Mariam Magdalenam, quæ in domo cuiusdā Pharisei olim vnixerat pedes domini. Nec hic cauillis & detorta interpretatione opus est, sed plana & aperta. Pependimus igitur ex illo Ioannis testimonio quàm pulchrè & decenter cohæreant, & consentiant Lucas & Ioannes, historiam de prima Christi vnctione à Maria Magdalene facta contextentes. Conspirant etiam præclare Matthæus, Marcus, & Ioānes, secundā Christi vnctionem quæ ab eadem Maria facta est in Bethania, commemorantes. Et seorsim eximiam eorū monimenta adaperiemus: sic enim de hac scribit Matthæus, Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eū mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud vendari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebis vobiscum; me autem non semper habebis: mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Hinc videmus hanc mulierem incendio amoris in Christum æstuantē, hoc odoratissimo vnguento præoccupasse sepulturam Christi. Nam cum transisset sabbatum Christo pondum à morte excitato emit aroma, vt veniens vngeret Iesum. Eadem sunt quæ scribit Marcus de hac vnctione facta in Bethania: Et cum (inquit) esset Bethania in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi pisticæ pretiosi, & fracto alabaastro effudit super caput eius & cætera. Aliter texit historiam Ioannes, sed nō dissidet sententiā à Matthæo & Marco, Iesus (inquit) ante sex dies paschæ, venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus: fecerūt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pisticæ pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Consentiant vt perspicias, ij tres Euangelistæ, in eo quòd dicunt hanc vnctionem fuisse factam in Bethania: Marcus & Ioannes exprimunt vnguentum illud fragrantissimum, dicentes illud ex nardo pistica confectum esse. Pistis Græce fidem designat. Vnde vnguentū pisticum, fidele vocatur & syncerum, & licet Ioannes non exprimat Mariam effudisse vnguentum super caput Christi, quod tamen expresserunt Matthæus & Marcus, non propterea colliges eum de eadem vnctione cum duobus illis Euangelistis non differuisse. qui enim dicit Mariam vnxisse pedes Christi, non negat eam vnxisse caput domini, sed subicit. aliud sanè esset si dixisset, & solum vnxit pedes domini, & non effudit vnguentum super caput eius. apertissime cognoscimus nō nihil additum esse à Matthæo & Marco, quod suppressit Ioannes, & ediuerso quædam sunt à Ioāne adiecta, & ab alijs suppressa. Adde quòd Augustinus libro secundo, de consensu Euangelistarum, capite septuagesimonono, in hanc communem & receptissimam descendit sententiam, vbi coniungendo Lucam cæteris Euangelistis de eadem muliere differentem, tametsi non narret illam vnctionem, quæ facta est in Bethania, dicit: Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Iesu, & osculata est, & lauit lachrymis, & tersit capillis, & vnxit vnguento. Cui dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus, ait dimissa esse peccata multa, quo-

Clithoueus

Matth. 26.

Marci 16.

Marci 14.

Ioan. 12.

Augustinus

Lucæ 7.

niam dilexit multum. Sed eandem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas narrauit, cum primo accedens cum illa humilitate, & lachrymis meruit peccatorum remissionem. Nam hoc & Ioannes, quamuis non sicut Lucas quemadmodum factū esset, narrauerit, tamen ipsam Mariam commendans cōmemorauerit, cum iam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat, Erat autem quidam (inquit) languens Lazarus, à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Hoc dicens Ioannes attestatur Lucæ, qui hoc in domo Pharisei cuiusdam Simonis, factum esse narrauit: iam itaque quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus: Ioanne scilicet, Matthæo, & Marco. inter istos igitur tres, Matthæum, Marcum & Ioannem, quemadmodum hoc conueniat, attēdamus: de quibus non est dubium quòd eandem rem narrent gestam in Bethania, vbi etiam discipuli quod omnes tres commemorant, murmurauerunt aduersus mulierem, tanquam de perditione pretiosissimi vnguenti. Quòd ergo Matthæus, & Marcus caput domini vnguento illo perfusum dicunt, Ioannes autem pedes, regula illa ostenditur non esse contrarium quàm demonstrauimus, cum de quinque panibus pasceret turbas: ibi enim quia non defuit qui & quinquagenos, & centenos discubuisse commemoraret, cum alius quinquagenos tantum dixerit, non potuit videri contrarium: potuisset autem, si alius centenos tantum posuisset, sicut alius quinquagenos, & tamē debuit inueniri vtrunque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admonui, etiam vbi singuli Euangelistæ singula commemorant, vtrumque factum intelligere. Proinde & hic non solum caput, sed & pedes domini accipiamus perfudisse mulierem. Nisi fortè quoniam Marcus fracto alabaastro perfusum caput commemorat, tam quique absurdus & calumniosus est, vt aliquid in vase fracto neget remanere potuisse, vnde etiam pedes perfunderet. Sed cum iste contenderit sic esse factum, vt nihil ibi residui fieret, nitens aduersus veritatem Euangelij, quanto melius & religiosius contendit alius non esse ita fractū vt totum effunderet, nitens pro veritate Euangelij: ille autem calumniator si tam pertinaciter cæcus est, vt Euangelistarum concordiam de alabaastro fracto frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, vt in integro remaneret, vnde etiam caput perfunderetur, vbi fractura illa totum effunderet, à capite quippe nobis ordinate consuli agnoscimus, sed ordinate etiam nos à pedibus ad caput ascendimus. Multa aduersus nostram assertionem tela, quæ etiam acriter ferire videntur, à classicis & primarijs Ecclesiæ doctoribus vibrantur. Et hoc Hieronymus in nos telum intorquet, enarrādo illum Matthæi locum, Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi: Nemo (inquit) putet eandem esse quæ super caput effudit vnguentum, & quæ super pedes. illa enim & lachrymis lauat, & crine tergit, & manifeste meretrix appellatur: de hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capite domini meretrix digna fieri. Et quæstione quarta, ad Hedibiam dicit quosdam cōtendisse, duas Marias Magdalenas de eodē vico Magdalo fuisse, & alterā esse, quæ in Matthæo cum viderit resurgentem, alteram quæ in Ioanne eum quærebat absentem. Chrysostomus eandem pariter Euangelij veritatem edisserēs, dicit: Hæc mulier vna & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur, meo autem iudicio eadem est apud tres, alia verò quædam, & mirabilis Lazari soror apud Ioannem, & hanc cuius meminerunt, Matthæus, Marcus, & Lucas, fuisse peccatricem non diffitentur. Nam paulo post hæc subnectit: Nam si illa quæ sanguinis fluxum patiebatur, quāuis talis flagitij sibi conscia non esset, tamen quoniam naturæ quodam defectu immunda videbatur, timens ac tremens accessit, multo magis timendum isti erat, quæ conscientie pondere premebatur. Quocirca post multas mulieres, post Samaritanā, post Cananeam, post eam quæ fluxum

Ioan. 11.

Marci 6.

Lucæ 9.

Hieronymus

Chrysostomus

fanguinis patiebatur, alias quoque complures, Iesum adire ausa, quia turpis vitae concia, factum est ut nec publice, sed in domo atque priuatim accesserit. Cūque cetera omnes curationis corporeae gratia adissent, sola haec ad honorē ei conferendum, & animae incolumitatem acquirendam accessit: nulla enim corporis aegrotatione laborabat. vnde merito de animo, atque affectione ipsius erga Iesum quispiam admirabitur, praesertim tamē cum non ut homini nudo afferreret honorem, sed ut maiori cuidam, supraque hominem. Quippe cū capillis abstergeret pedes eius, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico suū pedibus Christi subiciebat. Sed enarrando illum Ioannis locum, Maria autem erat ea quae vnxit dominū vnguento, aperte fatetur Mariam sororem Lazari non fuisse meretricem, sed castissimam, sic enim loquitur: Illud primum intelligendum est, non fuisse hanc, meretricem illam, de qua apud Matthaeum & Lucam scribitur, sed aliam. illa meretrices & infames erant, haec honesta & studiosa: quippe quae Christum accipere curabat, eumque cum sorore diligebat. Insuper Ambrosius, in vigesimū quartū caput beati Lucae, videtur non obscure plures etiam in sacris scripturis Magdalenas asserere. Nescit (inquit) vna Magdalene Maria secundum Ioannem, scit altera Maria Magdalene secundum Matthaeum. Nam eadem & ante scire, & postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariae, plures fortasse etiā Magdalena, cum illud personae nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce, illa admittit pedes domini tenere, tangere dominum ista prohibetur: illa angelum videre meruit, haec primo quum venit, neminem vidit: illa discipulis dominum resurrexisse nuntiavit, ista raptum esse significat: illa gaudet, haec plorat: illi in gloria sua iam Christus occurrit, haec adhuc mortuum quaerit: illa dominum vidit & credidit, haec non potuit agnoscere cū videret: illa fidei adorabat spiritu, haec dubio mœstificabatur affectu. Et in septimū Lucae caput loquens de muliere peccatrice quae secundum Lucam narrationem supra Christi pedes effudit vnguentum, illa verò cuius meminit Matthaeus, supra Christi caput, dicit: Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrariū Euangelistae dixisse videatur. Huic quoque adblanditur sententiae Theophylactus in decimū quartū Marci caput, dicens: Videtur quibusdam vna esse, non autem ita est, sed duae sunt: vna quidem quae apud Ioannem, quae & Lazari soror est: altera quae à reliquis tribus memoratur. Veruntamen attende, & inuenies quod tres sint. Apud Ioannem quidem vna, apud Lucam alia, & apud duos illos adhuc vna alia. Nam illa quae apud Lucam, meretrix erat, & in medio praedicationis Christi, ad Christum venit. Quae apud Matthaeum, tempore passionis, & non dicitur meretrix. Stat in eadem pertinaci sententia enarrando septimū Lucae caput. Et cum edisserit illum Ioannis locum, Maria erat quae vnxit dominū vnguento, non potest non sibi suadere hanc Mariam non fuisse meretricem, sed erat honesta, religiosa, & officiosa. Etenim diligenter ministrabat suscepto Christo, sicut Ioannes testatur: quin & bonam partem elegisse testimonium habet: ita autem clara & admirabiles fuerunt sorores, ut & Lazarus ipse notior factus sit per eas. Nec ab hac euariet sententia Origenes homilia trigesima quinta, in Matthaeum, enarrans locum illum: Cum autem esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum & cetera, ubi dicit: Multa ergo similitudo & cognatio quaedam de muliere apud quatuor Euangelistas. Dicā tamen ad eos qui arbitrantur vnam fuisse mulierē, de qua omnes Euangelistae scripserunt, putas quod haec mulier quae effudit super caput Iesu pretiosum vnguentum sicut Matthaeus & Marcus exposuerunt, ipsa & myrrha vnxit pedes ipsius sicut Lucas & Ioannes exposuerunt? Non est autem possibile, ut de eadem muliere exponentes Euangelistae cum essent con summari in eodem intellectu, & in eodem spiritu, & in eadem sententia, qui fuerant ministraturi salutem Ecclesiarum, contraria sibi dixissent. Si autē aliquis arbitratur ipsam fuisse quae vnxit vnguento domini pedes apud Lucam & Ioannem, dicat nobis si Maria ipsa erat quae apud Lucam fuisse scribitur in ciuitate pecca-

Ambrosius

Theophyl.

Origenes

trix, quae discens quod recubuit in domo Pharisei attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius plorans, lachrymis lauabat pedes eius. Nec enim credibile est, ut Maria quam diligebat Iesus, soror Martha, quae meliorem elegerat partem, peccatrix in ciuitate fuisse dicatur. Et putas quod mulier quae secundum Matthaeum & Marcum effudit super caput Iesu pretiosum vnguentum, euentu non scribitur fuisse peccatrix? Quae autem secundum Lucam peccatrix refertur, non fuit ausa ad caput Christi venire, sed lachrymis pedes eius lauit, quasi vix etiam ipsi pedibus eius digna, praeter tristitia poenitentiam in salutem stabilem operante. Et quae secundum Lucam est, plorat, & multum lachrymat, ut pedes Iesu lachrymis lauet: quae autem secundum Ioannem est Maria, neque peccatrix, neque lachrymas introducit. forsitan ergo quis dicet quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Euangelistae: ego autem magis consentio tres fuisse, & vnam quidem de qua conscripserunt Matthaeus & Marcus, nullam differentiam expositionis suae facientes in vno capitulo, alteram autem fuisse, de qua scripsit Lucas, aliam autem de qua scripsit Ioannes: quoniam differt ab alijs mulieribus, non solum in his quae scripta sunt de vnguento, sed quoniam & diligebat Iesus Mariam & Martham, quamuis & ipsa in Bethania referatur fuisse, sicut & mulier de qua exponunt Matthaeus & Marcus. Demū Augustinus tractatu quadragesimonono, in Ioannem videtur haesitare, si nam Maria soror Lazari, erat illa quae vnxit pedes domini vnguento, & capillis suis extersit, quos lachrymis abluerat. Sic enim scribit, Ecce ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est, quae pedes domini vnxit vnguento, & tersit capillis suis, quos lauerat lachrymis. Amplius, illa mulier cuius meminit Lucas septimo capite sui Euangelij, erat origine Galilaea, illa autem cuius historiam texerunt Matthaeus Marcus & Ioannes, erat Iudaea origine à Bethania, quae ferè duobus passuum milibus ab vrbe Hierosolymitana distabat, & ut dicit Ioannes quasi stadijs quindecim, id est plus minus, stadijs quindecim, quae passus efficiunt mille octingētos septuaginta quinque, Non igitur eadem videtur esse Maria Magdalena, in Euangelicis scripturis. Ad haec, nec eadem apparet esse in Matthaeo, Marco, & Ioanne. Nam illa cuius meminerunt Matthaeus & Marcus, effudit vnguentum super caput Christi, in domo Simonis leprosi, qui fecerat Christo conuiuium: illa verò de qua differit Ioannes, vnxit pedes Christi, non quidem in domo Simonis leprosi, sed Martha quae parauerat cenam. Nam dicit Ioannes, & Martha ministrabat, id est, fecerat vnam cum sua sorore conuiuium ipsi Christo, ut vult Origenes, homilia trigesima quinta, in Matthaeum. ¶ Enitemur pro captu nostri ingenioli, rationibus aduersus nostram assertionem adductis satisfacere. Et in primis dicemus cum Ioanne Roffensi viro sanè doctissimo, qui aduersus Iacobū fabrum Stapulensem, & Iodocum Clithoueu erudite scripsit de vnica Magdalena, nullis nos posse rationibus compelli ad mordicus adhaerendū opinioni Hieronymi, Chrysofomi, Origenis, Ambrosij, Theophylacti, & aliorum qui sibi suaserunt Euangelistas nunquam de vnica Magdalena historiam texuisse, contra firmissimam & æquissimam Ecclesiae censuram, cui relictis etiam quorundam Ecclesiasticorum doctorum placitis & sententijs, de triplata ut fertur Magdalena, obsequi debemus, & eius sancitis acquiescere. Si enim Hieronymus, Chrysofomus, & Ambrosius his temporibus cōscenderent suggestum & acclamarent populo tres esse in Euangelicis scripturis Magdalenas, non praedicarent illi Euangelium sed suum proprium sensum, nec auditores cognita Ecclesiae definitione de vnica Magdalena, deberent illis etiam celeberrimis viris & magni iudicij, aures praebere, nec fidem adhibere. illis tamen (ut conijcio) viuientibus nihil de vnica Magdalena, ab Ecclesia Romana definitum erat: Idcirco inspectis rationibus quae ex Euangelistis emergere videntur ad asserendum triplicem Magdalenam, illis licebat suū ferre iudicium, & hanc aut illam sectari sententiam. Et licet Hieronymus in Matthaeum, suam aperte ferendo censuram, audacter dixerit, Non esse eandem mulierem quae vnxit pedes Christi, & quae super eius caput effudit vnguentum, videtur

Augustinus

Ioan. 11.

Ioan. 12.

Ioannes Roffensis

Ioan. 20.
Matth. 28.

tamen limatiori iudicio, & exquisitiori studio, in Epistola ad Marcellam dicere vnam esse Magdalenam, de qua Lucas & Ioannes loquuntur, vbi ita scribit: Quartum est quod quæstisti, Quomodo in Ioannis Euangelio post resurrectionem dicatur ad Mariam Magdalenam, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Et rursum in Matthæo scriptum sit quod ad vestigia saluatoris mulieres corruerint, cum vtiq; non sit idipsum tangere post resurrectionem pedes eius & non tangere. Maria Magdalena ipsa est, à qua septem dæmonia expulerat, vt vbi abundauerat peccatum, superabundaret gratia: quæ quia dominum hortulanum putabat, & quasi cum homine loquebatur, & quærebat viuentem cum mortuis, recte audiuit, Noli me tangere. Et est sensus, non mereris meis hæere vestigijs, nec adorare quasi dominum, nec eius tenere pedes, quem non existimas surrexisse. Tibi enim necdum ascendi ad patrem meum. Cæteræ verò mulieres, quæ pedes tangunt, dominum consistuntur & merentur eius hæere vestigijs, quem ad patrem ascendisse cõfidunt. Quamquam etiam si eadem mulier diuersis in Euangelijs & tenuisse pedes, & non tenuisse referatur, facilis solutio sit, cum potuerit corrigi primum quasi incredula, & postea non repelli, quasi eam quæ errorem confessione mutauerat. Quod & de latronibus intelligi potest, cum alius Euangelista vtrumq; blasphemasse, alius narret alterum esse confessum. Ex hac postrema & accurata interpretatione putes rationibus ab Ambrosio adductis abunde satisfactum esse. Videtur etiam Hieronymus, in proëmio Osee prophetae planè omnium ingenijs inculcare eandem esse, in quatuor Euangelistis Mariam Magdalenam: Hæc est (inquit) mulier meretrix & adultera, quæ in Euangelio pedes domini lachrymis lauit, crine deterfit, & confessionis suæ honorauit vnguento, indignantibusque discipulis, & maxime proditore, quod non fuisset venditum, & pretium illius in alimenta pauperum distributum, dominus respondit: Quid molesti estis mulieri? opus bonum operata est in me: pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Et ne putaremus leue esse quod fecerat, & nardum pisticam, id est vnguentum fidelissimum, ad aliud quid & non ad Ecclesiam esse referendum, dat nobis occasionem intelligentiæ, & magnæ fidei, magna præmia repromittit, dicens: Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam eius. Chrysostrum in sua perstitit sententiâ, quamuis nonnulli arbitrentur eum aliquando sensisse vnam & eandem esse Magdalenam in quatuor Euangelijs expressam: referam quod apud eum legi homilia octuagesima prima, in Matthæum, vnde forsitan illi suam coniecturam ceperunt: Hæc mulier (inquit) vna & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur, nec tamen id sequendum esse putat, nam subiungit, meo autem iudicio eadem est apud tres, alia verò quædam & mirabilis Lazari soror apud Ioannem. Intueris ne temerarium esse asserere Chrysostrum sensisse vnicam esse, in quatuor Euangelistis Magdalenam? cum ex propria sententiâ dicat oppositum. Alius audet dicere Ambrosium aliquando credidisse vnicam esse Mariam Magdalenam, cuius quatuor Euangelistæ meminerunt, & id ex sermone Ambrosij de Maria Magdalene diuinat, cum tamen solū illic agat de Maria Magdalene, quæ in tertio die à passione Christi, putabat fluctuans in fide, Christum inferni legibus detineri. Cum autem obijcis, videtur Augustinus hæsitare si nam Maria soror Lazari, sit illa quæ pedes domini vnxit vnguento & suis capillis extersit. Aliud est dicere, videtur Augustinus in hac re hæsitare, & hæsitat. Nam vt iam diximus inconcussa animi sententiâ tuetur vnicam esse Mariam Magdalenam, de qua quatuor Euangelistæ texerunt historiam. Sed si diligenter eius ratiocinium inspexeris, agnosces eum nusquam hæsitasse, si nam Maria soror Lazari erat illa quæ dominum vnxit vnguento, & eius pedes capillis extersit. Sic enim ratiocinatur, Ecce soror Lazari. Si ipsa est quæ pedes domini vnxit vnguento, & terfit capillis suis quos lauerat lachrymis, melius suscitata est quam frater eius, de magna malæ consuetudinis mole est liberata; erat enim

famosa peccatrix, & de illa dictum est: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Diluenda sunt & aliæ rationes, Mulier (vt obijcis) cuius meminit Lucas, erat origine Galilæa: illa autem cuius historiam texerunt cæteri Euangelistæ, erat Iudæa. Duo à nobis hic dicenda sunt. Primum, negamus illam mulierem in ciuitate peccatricè fuisse origine Galilæam. Licet cū domino postquam à morbis animi fuit liberata, & virtutum omnium studijs sese addixit, versaretur in Galilæa. Si enim (vt dicit Marcus de grand Val, qui egregie contra Fabrum de vnica Magdalena scripsit) versarentur mulieres Romanæ cum Gallicanis, non propterea dicerentur Gallicanæ, nec etiã dicenda est Maria Magdalena Galilæa q̄ in Galilæa versaretur. Aliter respondemus Ioannis Roffensis præsidio adiuti: Nihil verat Mariam Magdalenam fuisse Galilæam conuersatione, & Iudæam origine: quandoquidem Christus origine dicebatur Bethleemites, quantum autem ad educationem & conuersationem, Galilæus dici poterat. Nam vt omnibus compertum est, educabatur in Nazareth, & frequenter versabatur in Capharnaum. Cum deinde disseris, Illa, cuius meminit Matthæus, effudit vnguentum super caput domini in domo Simonis leprosi, qui conuiuium domino parauerat: illa verò de qua loquitur Ioannes, vnxit pedes Christi non quidem in domo Simonis leprosi, sed Martha: inficiamur toto animo illam de qua Ioannes narrationem textit, non vnxisse pedes domini, in domo Simonis leprosi. Nam vt dicit Lyranus, in duodecimū caput Ioannis, fuit hæc cœna in domo Simonis leprosi, vt communiter tenent doctores, fuerat tamen prius à Christo curatus, sed nomen remanserat ad memoriam miraculi. Origenes autem dicit quod illa cœna fuerat in domo Martha, quod probat ex eo quod subditur: Et Martha ministrabat. Sed potest dici quod iste Simon erat vicinus Martha, & propter hoc ipsa ministrabat in domo eius, sicut solent homines facere in domibus amicorum suorum, & maxime propter reuerentiam Christi in domo Simonis leprosi discumbentis. Nec Faber à communi sententiâ, hæc in re discedens, in vigesimum sextum caput Matthæi aliter sentit: Ex hoc loco (inquit) effudit super caput ipsius recumbentis, & similiter ex Marco. At quando? In cœna ex Ioanne, capite duodecimo dicente: Fecerunt autem ei cœnam ibi. Vbi? In domo Simonis leprosi, id est Simonis quondam leprosi, sed beneficio Iesu mundati, Si enim mundus non fuisset, non licuisset ei inter alios versari, neque alijs ad eum conuiuij gratia diuertere. Existimat Cyprianus sermone de Ablutione pedum, Simonem illum Pharisaum, cuius meminit Lucas, fuisse Simonem leprosum, qui moleste ferebat, quod tangi se ab immunda & lasciuia muliere dominus sustineret.

Lucæ 7.

Marcus
grandis

Lyranus.

Cyprianus.

CAPVT

XXII.



Agi ex genere Balaam originem ducentes, viso nouæ stellæ signo crediderunt sui authoris prophetiã fuisse impletam, quorum ad Christum aduentum prædixerat Esaias.] Hæc Chrysostrum est Assertio, tomo 2. homilia 62. in Epiphania domini, vbi exponit quæ de Magis scribit Matthæus, dicens: In illo tempore, cū natus esset Iesus in Bethleë Iudææ, in diebus Herodis regis, Ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes, vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Et reliqua. Hoc (inquit Chrysostrum) futurū & Esaias antè prædixit, dicendo: Venient ex Saba offeretes regi aurum, thus & lapidem pretiosum, & salutare domini nuntiabunt, siue vt habet nostra tralatio: Omnes de Saba venient, aurū & thus deferentes, & laudem domino annuntiâtes. Hunc vtiq; quem Magi viso signo stellæ, natū regem Iudæorum, Christum dominum nostrum nuntiarūt. Omnia itaque noua, & supra modū admirationis humanæ in domini natiuitate concurrunt. Angelus in templo Zachariæ loquitur, futurū Elizabeth filium repromittit. Non credēs angelos sacerdos obmutescit, sterilis concipit, virgo parit, Ioannes in vtero matris inspiratus exultat, Christus dominus, natus ab angelo nūtiatur, vt salus mundi sit, pastoribus prædicatur. Gaudēt angeli, & exultant pastores, magna in cælo & in terra f. j.

Chrysostr.

Matth. 2.
Esaiæ 60.

læticia huius admirandæ natiuitatis exoritur. Nouum signum stellæ de cælo Magis ostenditur, per quod dominus cæli ac terræ, Rex Iudæorum agnoscitur natus, ille scilicet de quo scriptum erat: Orietur stella ex Iacob, & exurgit homo de Israel, vt significatione stellæ & hominis, in filio dei, diuinæ & humanæ naturæ coniunctio nosceretur. Vnde & in Apocalypsi ita de se dominus testatur: Ego sum radix Iesse, & genus Dauid, & stella splendida matutina. Quia per natiuitatis suæ ortū, discussa ignorantia nocte, in salute mundi tanquam fulgidum sydus emicuit. Cuius luminis splendor, etiam Magorum corda penetrās, spiritali luce perfudit, vt regem Iudæorū, creatorem cæli, signo nascentis nouæ stellæ cognosceret. Neque enim Christum dominum nostrū Magi falsæ religionis authores cognoscere poterāt, nisi dignationis diuinæ gratia illustrati. Iterū ergo dei misericordia per Christi exuberavit aduentum, vt ad omne genus hominum, se cognitio veritatis eius extenderet. Quæ idcirco antè Magis eluxit, vt manifesta dei pietas nosceretur, nec aliquis desperaret, posse sibi salutē credenti donari, quia iam conspiceret Magis esse donatā. Ideo autē Magi de gentibus primi electi sunt ad salutē, vt per eos omnibus gentibus salutis ianua panderetur. Sed forte miratur aliquis, Quomodo Magi natiuitatē saluatoris ex signo stellæ cognoscere potuerūt? Primo quidem dicimus, diuinæ dignationis fuisse hoc munus. Deinde legimus in libris Mosi fuisse Balaā quandam prophetā gentium, qui aduentum Christi, & incarnationem eius ex virgine, certis sermonibus prophetauit. Ait enim inter cætera, vt iam superius memorauimus, in sermonibus prophetiæ suæ: Orietur stella ex Iacob, & exurgit homo ex Israel. Magi ergo isti, qui nouā stellam in oriente viderunt, ex genere illius Balaā prophetæ gentium, ducere originem referuntur, qui dixerat: Orietur stella ex Iacob, & exurgit homo ex Israel. Et idcirco viso nouo stellæ signo crediderunt, quia auctoritatis sui prophetiam impletam nouerant. Ostendentes se non solum generis successores, sed & fidei hæredes. Balaam propheta ipsorū stellam in spiritu vidit, isti oculis viderunt, & crediderūt: ille venturum Christum per prophetiam prædicauit, isti venisse visū fidei cognouerunt. Denique statim perrexerunt ad Herodē dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eū. Apud eos regem Iudæorum, natum Christum dominū quæserunt, de quorum genere Balaam hoc prophetaisse cognouerāt. Sed fides ista Magorum, cōdemnatio Iudæorum est: illi vni prophetæ suo crediderunt, isti tot prophetis credere noluerunt: illi intellexerunt, per aduentū Christi magicam artem cessaturam, isti diuinæ legis mysteria intelligere noluerunt: illi confitentur alienum, isti propriū non agnoscunt. In sua enim propria venit, & sui eū non receperunt. Et hæc quidem stella ab omnibus videbatur, sed non ab omnibus intelligebatur. Sicut dominus ac saluator noster, omnibus quidē natus est, vnus propter omnes natus est, sed non ab omnibus susceptus est, non ab omnibus intellectus: intellectus est à gentibus, non intellectus est à Iudæis: agnitus est ab Ecclesia, non est agnitus à synagoga. Cū ergo Magi post longi itineris gloriosum laborem Hierosolymam venissent, requirentes regem Iudæorum, statim (inquit) Rex Herodes, & omnis Hierosolyma Magicæ fidei deuotione turbati, congregantur principes sacerdotum & scribæ populi, requiritur ab eis vbi Christum nasci oporteret. Responderunt in Bethleem Iudææ, iuxta propheticam prædicationem. Sicut enim scriptū erat, Et tu Bethleem terra Iuda, non es minima inter principes Iuda. Ex te enim exiet princeps qui regat populum meum Israel. Herodes ergo & Hierosolymita Christum dominum nostrum non ignorantes, sed scientes contempserunt. Nam & requirunt ex testimonio prophetæ cum discunt: Quia in Bethleem Christus nasceretur. Ambrosius. Huic accedit opinioni Ambrosius, in secundū caput Lucae, dicens: Isti Magi à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum est: Orietur stella ex Iacob, isti ergo sunt non minus fidei quàm successionis hæredes. Ille stellā vidit in spiritu, isti viderunt oculis & crediderunt, viderunt nouam stellā quæ non erat visa à creatura mundi.

Nume. 2.4.

Apocal. 2.2.

Ioan. 1.

Mich. 5.

Ambrosius.

Cyprianus. Sermone de stella, & Magis, & Innocētium nece, ostendit Magos Arabum vaticinijs admonitos, Christum quæsisse: Nato (inquit) in Bethleem saluatore, audita est in Effrata eius in terris præsentia, & vsque ad sylvas camposque gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta, in Iudæa à pastoribus & angelis primo sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari stella luminis caelestis numinis nouis splendoribus indicauit. Erant in illis regionibus viri siderum inspectionibus assueti, qui arte Mathematica vim discursumque nouerant planetarum, qui ex elementorū natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis proprijs didicerant effectibus assignata. Hi ex vaticinijs Balaā olim audierant stellam oriri in Iacob, & hominem in Israel, cuius fortitudo quasi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui superarent Assyrios, & vastarent Hebræos, quo temporū nec in Iacob idolū, nec in Israel simulachrū esset. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repente nouo fidere, ad antiqua recurrentes volumina tam testimonio muniti quàm signo dromedis inuecti, in Iudæam stella duce perueniūt. Nec potuere Palestinæ incolæ latere tanti nominis personæ, sed vbi auditum est quod stellam indicem nati in Bethleem paruuli sequerentur, Herodi noui regis inquisitio nuntiatur. Euocatis itaque Magis rei huius ordinem cum omni diligentia sciscitatur. Audit natum in Bethleem esse paruulum, quem profitentes regem & deum qui de Saba venerant, adorare & venerari festinat, intimatum est ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis prædixerat, & contulit cū literis gentium sanctorum vaticinia prophetarū, quorum scripta per omne sabbatum legebantur, de quibus nulla in populo Iudæorū ambiguitas erat quin rata essent, quæ illi vel asseruissent præterita, vel prædixissent futura, à fortitudine eius qui quasi vnicornis obuios penetraret, in cuius obsequium diltrices de Italia trieres in Iudæa terminos aduentarēt, & vsq; ad finem mundi dilatarent imperiū, anxius expauit & timuit: Contrurbabat quoque aliud, quod in Michæa scriptū est testimonium: Quoniam de Bethleë quæ est Effrata, egredietur paruulus qui dominator esset in Israel, cuius egressus esset ab initio à diebus æternitatis. Hi autē Magi, primitiæ gentiū sacramentalia munera protulerunt de thesauris, & domino aurū & odorama præsentarunt, profiteres ex ratione munerū de eo quem adorabant, quid crederent, quid sentirent. In auro regē, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem proficetur. Ostendit & Tertullianus libro vno aduersus Iudæos, Magos illos, in Christū fide exardescentes, fuisse orientales, & eximios prophetas de muneribus ab illis Christo oblati prophetasse: Maneant (inquit) orientales illi Magi infantia Christi, vt regem auro, thure, & myrrha remunerantes, & accepit infans virtutem Damasci, sine prælio & armis. Nā præter quod omnibus notum est orientis virtutem, id est, vires, auro & odoribus pollere solitam, certe est creatori & ex diuinis scripturis virtutem quoque caterarum gentium aurū constituere. Sicut per Zachariam dicit, Et Iudas prætendit Hierusalē, & congregabit omnem valentiam populorum per circuitū aurum & argentum. Nam de hoc auri munere etiam Dauid dixit: Et dabitur illi de auro Arabiæ. Et iterū, Reges Arabum, & Saba, munera adferent illi. Nam & Magos reges ferè habuit oriēs, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transscripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cuius tunc virtutem Christus accepit, accipiēdo insignia eius, aurum scilicet & odores, spolia autem Samariæ, ipsos Magos: qui cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi dominum regem sub testimonio indicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est idololatriæ, credentes videlicet in Christo. Astipulatur & huic veritati Augustinus libro quarto de Symbolo ad Catechumenos, capite quarto, in eo quod dixit Chrysostomus, Magos fuisse primos ex gentibus ad salutem electos, qui regem Iudæorum prædicarunt, Iudæi verò abnegarunt: Ecce f.ij.

Tertullianus

Zach. 14.
Psal. 71.
Ibidem.

Augustinus

(inquit) Magi primitiæ gentium Christo offerunt munera, non solum aurum, thus, & myrrham, verum etiam animas suas, & vos repudiat iniquitas propria, ut illum qui vos venit obligatos liberare, demeritis effecti eum quæritis occidere. Sed quod Magi Christum esse regem Iudæorum agnouerint, suadet sermone tertio, de Epiphania domini, exponens illum Matthæi locū, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Nunquid (inquit) hoc tanta deuotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent regem Iudæorum, qui rex est etiam seculorum? Hieronymus illud Esaie vaticinium enarrans: Sta cum incantatoribus tuis, asserit Magos dixisse se domini stellam vidisse, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam prophetæ sui, qui in Numeris dixerat: Orietur stella ex Iacob, & homo de Israel. Et in secundū caput Matthæi, reddit rationem, cur Magi stellæ indicio deferebatur in Iudæam, ut (inquit) sacerdotes à Magis interrogati vbi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de aduentu eius. Ireneus libro tertio, aduersus hæreses Valentini & similium, capite decimo, dicit Magos per ea quæ obtulerunt munera, ostendisse quis erat qui adorabatur: Myrrha quidem, quod ipse erat qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur: Aurum verò, quoniam rex, cuius regni finis non est: Thus verò, quoniam deus qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eū. Subscribit & nostræ assertioni Origenes homilia decimatertia super Numeros, dicens: A Balaam fertur Magorum genus & institutio in partibus orientis vigere, qui descripta habentes apud se omnia quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebant Magi apud semetipsos, & ideo quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipsi, quam populus Israel, qui sanctorum prophetarum audire verba cōtempnit. Illi ergo ex ijs tantum quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus, venerunt, & requirentes eū statim adorauerunt, & ut fidem suam magnam esse declararent, paruū puerum quasi regem venerati sunt. Eiusdem est sententiæ Theophylactus edisserens in Matthæum hæc Magorum verba, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Ferunt (inquit) illos Magos fuisse ex Balaam coniectore progenitos. Nam ut inuenerunt oraculum illius, Orietur stella ex Iacob, intellexerunt mysterium Christi, & idcirco natum adire voluerūt. Asserit Hylarius Canone primo, in Matthæum, ortum stellæ primum à Magis intellectum, indicasse mox gētes in Christo credituras, & homines professionis longe à scientia diuinæ cognitionis auersæ, lumē quod statim in ortu eius extitit cognituros. Denique oblatio munerum, intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro regem, in thure deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio: in homine mortis, in deo resurrectionis, in rege iudicij. Quod verò retere iter, atque ad Herodem in Iudæam redire prohibentur, nihil à Iudæis petere scientiæ cognitionisque permittitur, sed in Christo salutem omnem & spem locantes, admonemur prioris vitæ itinere abstinere. Lyranus dicit, in secundū caput Matthæi, Ortū nouæ stellæ apparētis, fuisse signum Christi nascentis, & ideo in hora natiuitatis Christi apparuit stella noua in orientali terra, vbi quondam habitauit Balaam. Quæ quidem terra est in parte orientali respectu Hierusalem, ut habetur Numerorum vigesimotertio. Et ideo isti Magi, dicti sunt Magi, non à magica arte, sed à magnitudine scientiæ: dicti sunt & reges, quia illo tempore philosophi sapientes regnabant. Isti ergo videntes nouam stellam, cognouerunt per diuinam inspirationem quod illa erat, quæ prædicta fuerat per Balaam. Ideo statim mouerūt se de locis suis, ut venirent ad venerandum puerum natum, & sequentes stellam venerunt in Iudæam die decimatertia, quia illa terra vbi habitabat Balaam non multū distabat à Iudæa. Ipsi autem Iudæam intrantibus stella diuina dispositione disparuit, ut necesse haberent recurrere ad ciuitatem regiam, videlicet Hierusalem, & ibi inquirere de Christo nato. Et hoc factum est à deo duplici de causa: Vna, pro-

pter ipsos magos, ut qui prius fuerant commoniti caelesti signo confirmarentur etiam dicto prophetico ex doctorum Hebræorum responso. Alia causa fuit propter Christum, ut eius natiuitas in ciuitate regia nuntiaretur, & per consequens Iudæi Christum non recipientes inexcusabiles haberentur. Per hoc etiam figurabatur quod fides Christi erat à gentilibus deuote recipienda, & à Iudæis pro maiori parte, in infidelitate remanentibus refutanda: quia magi qui gentiles erant, ipsum Christum deuote quæsierunt, & inuentum adorauerunt. Sacerdotes autem Iudæorum audientes Christum natum per caeleste signum nullo modo moti sunt ad ipsum quærendum seu venerandum. Hæc ille. Qui apud Matthæum dicuntur magi, psalmo septuagesimoprimum dicuntur reges, vbi habetur, Reges tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba, dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei, & subditur: Sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius. Et benedictum nomen maiestatis eius, & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat. Sed hi reges qui iidem & magi & sapientes dicuntur, præuenerunt adorare Christum, ut Iudæi non ignorarent insignem suum regem, suum Messiam esse natum, & ut cæteri reges & sapientes suo exemplo agnoscerent regem regum, & sapientem sapientum esse natum, & adorarent eum qui non solum sapiens sapientum, sed reuera erat ipsa dei sapientia. Psal. 71.


FINIS VNDECIMI LIBRI.

f.ij.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XII.

CAPVT I.



Augustinus

Ambrosius.

Noe non solum fuit patriarcha, verūctiam & propheta, qui ebrietatis minime est accusandus.] Augustinianæ sunt priores huiusce assertionis particulae, libro decimo octavo, de Ciuitate dei, capite trigesimo octavo, vbi differens de quorundam sanctorum scriptis ab Ecclesiastico Canone propter nimiam eorum vetustatem non receptis, ne per occasionem falsa veris infererentur, ita caput illud auspicatur, Iam verò si longe antiquiora repetam, & ante illud grande diluuium noster erat vtique Noe patriarcha, quem prophetam quoque non immerito dixerim. Siquidem ipsa arca quam fecit, & in qua cum suis euasit, prophetia nostrorum temporum fuit. Hanc quoque sequitur sententiam Ambrosius libro de Noe & arca, in quo scite & ornate docet, ædificationem illius arca, fuisse humani corporis figuram. Et hoc à capite sexto illius opusculi, institutum aggreditur: Sed iam (inquit) de ipsa Noe arca dicendum, quam si quis velit impensius considerare, inueniet in eius ædificatione descriptam humani figuram corporis. Quid est enim quod ait deus, fac tibi arcam de lignis quadratis? Quadratum certe hoc appellamus, quod omnibus bene consistat partibus, & conueniat sibi: itaque & deus, autor nostri corporis, naturæque fabricator astruitur, & opus ipsum perfectum esse ijs sermonibus significatur. Quadrata autem hominis membra esse, euidentis ratio, si consideres pectus hominis, consideres ventrem pari mensura longitudinis & latitudinis, nisi cum voluptatibus, & epulis ventre distento mensura naturalis exceditur. iam pedes & manus, brachia, femora & crura quadripertita, quis non ipso vsu aduertat? Sunt autem pleraque eorum etsi non eiusdem longitudinis, aut latitudinis: tamen quæ analogiam ita feruent, vt in ijs quoque congrua mensura ratiõque concurrat: longitudo prolixior quàm latitudo sit, latitudo quàm altitudo. Et sicut ligni arca trina distãtia est, siquidem trecetorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem seruãdam esse præscripsit: ita & in nostro corpore summa est, & media, & minima distãtia. Sũma secundum longitudinem, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem: totum tamen corpus attextum ex singulis membris quadratum videtur. Nam & in vsu ita est, vt eos quadratos dicimus quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis æstimamus. Quid etiam sibi vult quod ait: Nidos facies in arca, nequaquam silendum videtur: naturaliter enim dictum arbitror, eo quòd omne corpus nostrum attextum est sicut nidos, vt spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidã sunt oculi nostri, quibus se visus inseruit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit, & velut in foueam altam deiecit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus maior cæteris, hiatus oris, in quo nutritur donec adolescat sapor, & vnde vox euolat, in quo later lingua, quæ velut organũ vocis sonos eius artifici suauitate modulatur. Et cũ ipsa irrationabilis, rationabilem vocem exprimit. Nidus est hemicranium, Nidus est mēbrana illa quæ cerebrũ fouet, & intra cohibet. Nidi sunt viscera pulmonis & cordis. Spiritus quidem nostri, hoc est eius quem carpinus, & quo alimur in hac vita, nidus est pulmo. Sanguinis autem & spiritus, nidus est cor. Duo

sunt enim eius vteri. Vnus quo sanguinem velut quodã sinu suscipit, & transfundit in venas, alter quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias iugi meatu. Ossa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cauata, in quibusdam foraminibus est medulla, in visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis, aut doloris sunt. Et alia si quis consideret, etiam plures nidos inueniet in hac fabrica humani corporis. Et capite septimo dicit: Hæc autem arca vt pote in diluuiio, huc atque illuc motu impellebatur incerto, eo quòd peccatorum status mobilis sit, & vitæ eorum quodam redundantium passionũ diluuiio corruptioni obnoxia errore inconstanti vagentur. Nec illud prætereundum, quòd cum dixisset: Et facies arcam trecetorũ cubitorum longitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum altitudine: addidit colligēs, facies arcam, & in cubito consummabis eã à summo, vt reliquo corpori mensuræ sibi cõuenientis ad gratiã decore quadret caput hominis tanquã regale arcæ adiungeret, ex quo cum sensus omnes ad cæteras partes corporis transfunderentur, tũ maxime oculi velut spectatores & custodes naturæ appofiti prouidentia, propè totum orbis nostri statũ desuper contuerentur. Ipsaq; mens illic locata secundũ plurimorum sententiam & maximè Salomonis, qui ait: Oculi sapientis in capite eius, quasi in aula imperiali virtutum, consilium sibi contrahat, quo stipata comitatu, & ipsa munitior sit, & tanquam ex ædito quodã tuendi totius corporis regnũ impertiat, responsa proferre, per quem possimus nos ipsos non solum retro respicere, nec solũ quod ante pedes est videre, sed etiã celi ipsius secreta profundo obtutu sapientiæ spectare. ibi igitur summa nostræ salutis, vbi gratia, inde custodia, inde etiã pulchritudo corpori toti acquiritur, quæ primum in vultu vernat. Et ca. 8. quid adumbret ostium ex aduerso in arca factum, explicat. pulchrè autem addidit: Ostium ex aduerso facies: eam partẽ declarans corporis, per quã cibos egerere consueuimus: vt quæ putamus ignobiliora esse corporis, his honorem abundantiorẽ circundaret, quod multo gratius scriptura expressit q̃ Socrates in libro Platonis dixisse legitur. Nã istud in Moyfi scriptis, siue ipse Socrates siue Plato qui in Aegypto fuerit, potuerit vel legere, vel ab alijs percipere qui legerãt, decoro motus inuento, ostiũ sibi apertum putauit, vt operatoris nostri consilium prædici caret, laudãs, eo quòd id potissimum decori cõuenerit, vt ductus quosdã vel exitus cuniculorũ nostrorum à tergo auerteret, ne in purgationibus ventris cõspectus no ster offenderetur. At verò apostolus: Quæ videtur (inquit) membra corporis infirmiora, necessaria sunt, vno ac simplici verbo, descriptiones philosophiæ supergressus, & quæ putamus ignobiliora esse mēbra corporis, his honorem abundantiorẽ circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorẽ habent: Sobrietatis enim nostræ, & tēperantiæ indicium præcipue illic cognoscitur. Helluones enim, aut distenduntur cruditate vsque ad periculũ, aut plerumque soluuntur visceribus exinanitis. Capite 9. eiusdem operis exprimit quidnam sit quòd inferiora arcæ bicamerata, & tricamerata esse debeant: Nunc illud quæramus, quid sit quòd ait dominus, inferiora arcæ bicamerata, & tricamerata facies: inferiora quidem dicendo, aduertimus quòd pulchrè nos sentire voluerit inferiori loco æstimanda ciborum receptacula, hoc est ea viscera quæ acceptum conficiunt cibum. Corruptibilis enim esca est. Quod autem corruptibile non superioribus, sed inferioribus comparandum, simul quia cibus deorsum fertur, cuius exigua portio viribus corporis alimoniamque proficit. Reliqua verò pars aluo purganda deducitur, quia intestina sunt per quæ descendunt ciborum superflua, ita operator noster instituit, vt non extenta à stomacho ad imũ, sed sinuata sint ac reflexa, quo vitæ nostræ vsus propagaretur. Nam si extenderentur intestina hominis quæ suscipiunt & deducunt cibum, statim sine vlla pertransiret mora, & necesse esset semper esurire nos, iugiter epulari, aut deficiente alimentorum substantia deficere illico. Nunc autem in illa intestinorum reflexione ac sinuatione bipartita ac tripartita adhæret cibus, & descendendo paulatim vires ministrat, succum infundit corpori, tenet satietatem, f. iij.

Ecclesi. 2.

1. Corin. 12.

differt edendi appetentiam, nec subita effusio, nec repentina euacuatio est, nec in-
explebilis appetentia est, nec insatiabilis epulandi libido. Primum ergo indigentia
est & fames. Deinde ex his sequitur edendi sine intermissione continuatio. Quid
autem deformius quàm semper ventri studere? Qui cum repletur, vacuandus est:
cum vacuatur, replendus. Tertium quid superat, nisi mors inter ipsos cibos epulatisq;
permixta? Quomodo enim poterant diutius vitam producere simul edentes & esu-
rientes, bibentes sitientisque, & prius quàm replerentur exinanientes omne quod
sumpserant, statimque esurientes? Nunc autem dum paulatim descendit esca, fa-
mem & crudelitatem naturalis temperat prouidentia. Primum enim in stomacho,
quem plerique ventrem appellant superiorem, cibis conficitur, deinde coquitur in
iecore, atque eo digeritur vapore. Succus enim diuiditur certis viscerum portio-
nibus, ex quo omne corpus valet. Quod satis iuniorum incrementa, senum te-
stificatur perseverantia. Reliquum cibi in ventrem defluit, quem omnes ventrem
appellamus sine adiectione. Demiratur Ambrosius capite decimo, quare muta ani-
mantia quæ peccandi sensum non habent, per diluuii poenæ subiecta fuerint. Om-
nes (inquit dominus) quæ sunt in terra morientur. Et tres assignat causas Ambro-
sius, ob quas id à domino factum est. Prima. Quemadmodum in bello cum impe-
rator ab hoste occiditur, commoritur eius exercitus, atque omnis cõminuitur vir-
tus militaris: sic non discrepare à iustitia visum est, cum interiret homo, cui rega-
lem quandam dominus deus in omne animantium genus potestatem dedit, vt om-
nibus volatilibus, feris, bestijs, imperiali præesset autoritate, quod etiam pecu-
des, & quæcunque erant irrationabilia commorentur animalia. Denique si quan-
do est pestilentia, corrupto cæli tractu, prius ea quæ sunt irrationabilia, loes dira cõ-
taminat, & maxime canes, equos, boues, atque ea inficit, quæ cum hominibus con-
uersari videntur. Sic morbi vis, genus humanum implicat. Secunda illa iustæ asser-
tionis causa. Quia nemo accusat naturam cur reliqua corporis nostri mēbra mori-
antur solo capite sublato, cum multos videamus amputatis manibus & pedibus
superuiuere. Sed non eadem cæterorum membrorum est prærogatiua quæ capi-
tis. Ideoque abscisso eo vnde sensus nostri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur
etiam omnia membra, nec in eo aut operantis prouidentia deseritur, aut substan-
tiæ humanæ redarguitur. Similiter ergo nemo nunc arguat, quia caput & principa-
le quoddam cæterorum animalium homo est, quo moriente non debet mirum vi-
deri, si cætera moriantur animalia. Tertia. Quia rationis expertia non propter se,
sed propter hominem generata sunt animalia, hominis enim causa, esse præcepta
sunt, eorum subiectione humana præstat conditio. Denique gratiæ hominis attri-
buit propheta, dicēs: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, in-
super & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, quia propter ipsum illa omnia,
alia propter vtilitatem, alia delectationis gratia, alia voluptatis. Consequens ergo
erat vt cum deleretur homo à facie terræ, propter quem facta sunt, etiam ipsa pa-
ri delerentur occasu. Sciscitatur capite duodecimo, qua ratione deus iubet induci
in arcam à iumentis mundis septem & septem, masculum & fœminam: ab immū-
dis autem duo & duo, vt nutriatur semē in omnem terram. Huic respondet quæ-
stioni, dicens: Vt ego arbitror inire mundā asserit hebdomadam, quia mundus & fa-
cer septimus numerus: nulli enim miscetur, nec ab aliogeneratur. Ideoque virgo
dicitur, quia nihil ex se generat. Meritoque tanquam materni exors, immunisque
partus muliebris copulæ, et si hebdomas fœmineo nuncupetur nomine, virilis ha-
bet sanctificationis gratiam. Omnis enim masculus, adaperiens vuluam, sanctus
domino vocabitur. Et in prophetia habes, Effudit, & peperit masculum, id est san-
ctum. Secundus autem numerus non est plenus, quia diuisus. Quod autem non est
plenum, vacuum habetur. Septimus autem numerus plenus, quia hebdomas, vt
decas, & similis illius primi, quia falsa est ad similitudinem illius qui est semper, à
quo profluunt & mouentur quæ sunt in omni genere virtutes. Hæc ille. Nec solum

Ambrosius

Psal. 8.

Exo. 34.
Esaia 66.

asserimus Noe fuisse prophetam, verū etiam & nomen eius prophetiā promeruisse,
vt pulchre docet Chrysofomus, homilia de Nomine Abraham, dicēs: Lamech Chrysofomus
qui fuit pater Noe, non erat gratus deo, nam si fuisset probatus apud deum non di-
ctum esset, Noe solū perfectum inuentum in generatione sua. Neque nos trāsuif-
semus iusti patrem in commemorandis nominibus, si iustus fuisset. Quid igitur ille?
Imposuit nomen puero, quod præcipuam futurarum rerum haberet historiam, e-
ratque appellatio iusti, prophetia. Significabat enim nomē eius futurum diluuium,
Nomen eius Hebraica lingua vocauit Noe, quod interpretatū est, quies. Niah enim
Syrorum voce quies est. Sicut igitur Abraham ab Abat, quod est trans vel vltra di-
citur, & Adam ab Aedem, quod est terra dictus, eo quod sit terrenus: ita hic à Niah
vocalus est Noe, hoc est author quietis: declarat autem hoc & adiecta particula, vo-
cauit enim eum Noe, dicens: Hic nos quiescere faciet, quietem diluuium vocans,
eo quod sub illo futurū diluuium. Diluuium autem mors fuit, mors verò quies vi-
ro est. Et idcirco hominem sub quo diluuium factum, quietis authorem vocauit.
¶ Priusquam vltimam assertionis partem approbemus, quidnam de ebrietate Noe,
viri sanè iustissimi, sentiat Geneseos historia, referemus: Cœpit Noe vir agricola
exercere terram, & plantauit vineam. Bibensque vinum, inebriatus est, & nudatus
est in tabernaculo suo. Quod cū vidisset Cham pater Chanaan, verenda patris sui
esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Iaphet pallium
imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verēda patris sui.
Faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. Hæc edisserens Chry-
sofomus homilia 29. in Genesim, tribus rationibus putat Noe lapsum in ebrietate,
excusandum esse. Prima, quod non ex intemperantia supplantatus sit: qui autem
ab ebrietate merito vituperatur, illi sunt quos intemperantiæ ingluuius accusat. Nec
scriptura dicit dominū Noe ob ebrietatem illam succensuisse, sed vbique locorum
eius iustitiam commendat. Secunda, per ignorantiam, & quidem (vt addo) inuinci-
bilem, quia à nullo rescire potuit vim ipsius vini, incidit in ebrietatem, & non cor-
rupta voluntate sua sponte ad malum corruit. Tertia, iustus ille, quia prius non ex-
pertus erat naturam vini, nec sciebat qua mensura vtendum erat, non est mirum
si bibens inebriatus sit. Et exponendo quod in eadem historia subnectitur, Euigilans
autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus
puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis: ita loquitur, Et hæc dico, non vt
iustum incusē, multa enim erant propter quæ illi venia debebatur. Et cum primis
quod non in id vitij postea relapsus est, id quod maximum fuerit iudiciū, quod igno-
rantia, non negligentia prius deliquit. Nam si hoc fuisset negligentia, oportebat ite-
rum eodem peccato capi id quod non euenit. Nam si denuo id accidisset, scriptura
vtiq; non obticuisset, sed significasset nobis. Vnus enim scopus & finitio scripturæ
diuinæ est, ne quid factorū intermitteret, sed veritatem nos doceat, neq; propter in-
uidiam iustorum virtutes præterit, neque propter gratiam peccata adumbrat, sed
omnia in medium nobis proponit, vt monumenta & doctrinas quasdam habeamus,
& vt quando etiam nos per fœcordiam in id vitij inciderimus, cautiore simus postea,
& denuo non incidamus. Neque enim tam graue est peccare, quàm in peccatis
perseuerare. Itaque non attende solum quod inebriatus est iustus, sed quod postea
non iterum hoc ei acciderit. Iam cõsidera eos qui in tabernis vinarijs quotidie con-
sumuntur, & vt ita dicam, quotidie fermè moriuntur, etiam si quando sui compo-
tes fuerint facti, neque sic sibi cauent ab eodem periculo, sed quasi ad opus quod-
dam strenuum redeunt. Adde quod ebrietatis nomen in sacra scriptura, non vbique
de temulentia dictum est, sed & satietatem significat. Hoc itaque forte quis de iu-
sto hoc dicet, quod non vt intemperans inebriatus fuerit, sed ob satietatem hoc ei
contigerit. Audi enim Dauid dicentē: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Hoc
est, implebuntur. Et propter non modicam vini satietatem, in quam Noe præcipi-
tatus est, conijcio intelligendū esse quod idem doctor dicit: Multa sunt quæ iustum

Chrysofomus

Gene. 9.

Ambrosius.

Sapient. 7.

Roman. 13.

illum venia dignum declarant, quæ non dico quasi ebrietatem illius excusaturus, sed monstrans quòd non ex intemperantia supplantatus sit sed ignorans, magis accusat forsità in eo ebrietatem à satietate & non ab intemperantia profluxam. Hinc vides homonymum esse siue æquiuocum ebrietatis nomen. Adde quòd Ambrosius libro de Noe & arca, capite 31. videtur planè excusare ipsius Noe ebrietatem: Sobria (inquit) erat mens iusti, quando ebria putabatur. Est enim præclarum poculum inebrians iustos. Ille autem vere inebriatus erat, qui ridebat patrem: qui enim neque præteritam generationis gratiam, neque præsentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ considerabat, vere ebrius erat: & quod putabat videre se, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat. Nam si vidisset patrem, non vtique risisset: neque enim ridendus, sed verendus est pater. Multo autem amplius mentem iusti, insipiens videre non poterat. Quomodo enim videbat, qui in eo putabat dubietatis errorem, vbi erat perfectus sapiëntiæ cæterarumque virtutum vapor: sicut scriptum est: Vapor est enim virtutis dei. Quando enim mens magis sobria est, quàm tunc quando naturam omnium rerum, temporumque præsentium & futurorum ita spectat negotia, vt nulla in eo temporalis titubatio ebrietatis appareat? Et libro primo de Abraham patriarcha, capite sexto, dicit: Multi se fortes putant, num fortiores quàm Loth? num continetiores quàm Noe? Non vtique vitia patriarcharum scriptura exposuit, quos victos vino legimus, sed vt tu disceres quid caueres. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares: Loth filius se credidit, & per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignorans: tu sic bibe, ne capiaris. Instruant patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Non prætermittam quæ diligenter adnotauit sanctus Thomas de varia ebrietatis ratione, 2. 2. quæstione. 150. vbi excusat ebrietatem Noe, Ebrietas (inquit Articulo. 1.) dupliciter potest accipi. Vno modo vt significet defectum hominis qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit vt non sit compos rationis: & hæc ebrietatis ratio non nominat culpam, sed defectum pœnalem, ex culpa consequentem. Alio modo nominat actum, quo quis in huiusmodi defectum incidit, qui bifariam ebrietatem causare potest. Vno modo, ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibētis, & hæc ebrietas absque peccato accidere potest, quando non ex negligentia hominis contingit, & sic creditur Noe inebriatus fuisse. Alio modo, ex inordinata concupiscentia & visu vini, & sic ebrietas dicitur esse peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere. Diuiditur enim gula in ebrietatem & comestationem, quas prohibet Paulus ad Romanos, dicens: Sicut in die honeste ambulemus, non in comestationibus & ebrietatibus. Est autem ebrietas peccatum mortale, cum quis sanè iudicat vinum eam acutam & vehementem vim habere, vt cito feriat cerebrum, & lædat: eo tamē indulgentissime vititur. Si verò putet vinum non eam vim habere, vt lædat cerebri sanitatem, licet ea non careat, tunc est percussio peccatum veniale. ~~Et~~ art. 2. vbi dicit assiduitatem in potu vini efficere ebrietatem, esse peccatum mortale, non propter solam actus iterationem, sed quia fieri non potest quòd homo assidue inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam debilitatem ad sectandam ebrietatem. Et articulo 4. scribit in ebrietate duo esse consideranda: defectum scilicet consequentem, & actum præcedentem. Defectus consequens in quo ligatur vsus rationis ebrietatem à peccato excusat, quatenus causat inuoluntarium per ignorantiam. Actus præcedens bifariam agnosci potest. Si enim ex illo actu subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens omnino excusatur, sicut accidit Loth à suis filiabus inebriato, qui ex temulentia incidit in incestum. Si verò actus præcedens fuit culpabilis, non omnino quis à peccato sequenti excusatur.

CAPVT II.



Noe absque vlla vitij nota maledixit Chanaan.] Hanc ex Chryostomo Assertionem eruimus, exponente illum Genesios locum, Euigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus puer Chanaan, seruus seruatorum erit fratribus suis, vbi ita loquitur: Ecce peruenimus ad quæstionem illam vbiq; celebrem, multos enim audimus dicentes: Quare cum peccauerit pater, & prodiderit nuditatem, filius maledictum suscipit? Obsecro attendite diligenter, & solutionem sumite: illa enim dicemus quæ videlicet suppeditauerit diuina gratia propter vestram vtilitatem, & dixit: Maledictus Chanaan filius, seruus erit fratrum suorum, non simpliciter neque in vanum commemorauit filium, sed ob latentem rationem. Volebat enim corripere filium propter peccatum & contumeliam, qua se affecerat, & simul nolebat præiudicare benedictioni quæ illi pridem facta est. Benedixit enim (inquit) deus Noe, quando exiuit ex arca, & filios illius. Vt igitur ne videatur maledicere, quem deus semel benedixerat, præterito illo qui se contumelia affecerat, filio maledictum intulit: Noe (inquit) hoc quidem ostēdit, quòd propterea Cham non est maledictus, quia prius à deo benedictionem acceperat. Quare autem cum alius peccauit, ille pœnam luit: neque hoc absque ratione factum est, quia pater non minorem pœnam, & cruciatum habuit quàm filius. Scitis enim quomodo sæpenumero patres orant vt filiorum pœnas ipsi ferant, & quomodo grauius illis est videre filios supplicij affici, quàm si ipsi ipsi foret obnoxij. Factum igitur est hoc, vt ille ob naturalem in puerum amorem, maiorem sentiret dolorem, & benedictio dei seruaretur inuiolata, & puer accepta maledictione, suorum propriorum pœnas peccatorum lueret. Nam licet propter patris peccatum, nunc maledictioni sit obnoxius, attamen verisimile fuit, quòd & propter sua delicta dederit pœnā. Non enim solum propter peccatum patris maledictionem accepit, sed vt propter se, ille maiorem pœnam penderet. Nam neque patres pro filijs, neque filij pro patribus pœnam luunt, sed vnusquisque pro suis peccatis pœnam luit. Vbiq; hoc à prophetis dictum inuenimus, sicut cū dicunt: Comedentis vvas acerbis, dentes obstupescunt. Et, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et iterum, Non morientur patres pro filijs, neque filij pro patribus. Quod igitur dixit Chryostomus, Chanaan filium Cham non solum propter peccatum sui patris luisse pœnas, verū etiam propter sua delicta, dirimit argumentum quod agitari potuisset ex illis scripturis: Filius non portabit iniquitatem patris, nec morietur filius pro patre, quæ intelligendæ sunt potissimum de pœna æterna, & quando filius nullo modo deliquit, nec vitio sui patris consensit. Deinde ex præcedentibus colligit hæc Chryostomus: Nullus igitur nostrum quasi ignorans diuinas scripturas, audeat scriptis hunc scopum reprehendere, sed grato animo quæ dicuntur accipiat, admireturque diuinæ scripturæ miram diligentiam, & expendat quantum malum sit peccatum. Ecce enim fratrem eadem natum puerpera, eodem egressum vtero vt sibi vindicauit peccatum, seruum fecit, & ablata libertate subiectionem illi iniunxit, vnde postea seruitus sumpsit originem. Neque enim antea solebant ita molliter agere, deliciar, & aliorum ministerijs indigere, sed sibipsis ministrabant quique, eratque par omnium honor, & ablata è medio omnis honorum diuersitas. Peccatum autē vbi intrauit, libertatem perdidit, & corruptit potestatem naturæ datam, seruitutemque introduxit, vt continua sit doctrix & admonitrix humanæ naturæ, vt fugiamus seruitutis peccatum, & ad virtutis libertatem redeamus. Hinc enim si volunt, & dominus & seruus continuam habent vtilitatem. Cogitet itaque seruus, ideo seruitutem incepisse, quia Cham in tantam peruenerat temeritatem, & dominus quoque cogitet, quòd non aliunde subiectio & seruitus cœperint, quàm quòd ille peruersam habuerit voluntatem, & à pari fratrum dignitate exciderit. Verum si sobrij simus & prudentes, nihil nos offendet, quòd hæc propter peccata parētum nostrorum introducta sint in hanc vitam, cum res in nominibus

Gene. 9.
Chryosto.Hierem. 31.
Ezech. 18.

solis versetur. quia & primus parens propter transgressionem, mortis poenam vitamque in laboribus, mœroribusque consumendam intulit: & hic seruitutem. Verum superueniens dominus Christus, hæc omnia sustulit ad nomina vsque, tantum si volumus. Neque enim mors, mors ultra est, sed nomen tantum habet mortis, imò & ipsum nomen sublatum est. Nam neque mortem ipsam ultra dicimus, sed soporem & mortem. Proinde & Christus ipse dicebat, Lazarus amicus noster dormiuit. Et Paulus Theſſalonicensibus scribens, inquit: De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres. Et seruitus quoque similiter nomen est. Ille enim est seruus qui peccatum operatur. Et quod etiam hanc abstulerit aduentu suo Christus, & non nisi nomen esse permiserit, imò & vocabulum ipsum deleuerit, audi Paulum dicentem: Qui autem habent fideles dominos, non contemnunt eos, quia fratres sunt. Vides quomodo ubi virtus subintravit, eos in fraternitatis nomine congregauit, qui prius seruitutis nomine erant obnoxij. Adde quod Ambrosius huic stipulatur sententia, libro vno de Noe & arca, cap. 32. eundem excutiens scrupulum: Qua ratione (inquit) Noe cum filius eius Cham peccauerit, non ipsum, sed filium eius seruituti addixit? Et fortasse ideo, quod plus afficitur iniurijs filij sui maxime quarum reus & author existat, & vehementius contristatur sui peccati damnationem à filio perlutam, qui non tam suo quam patris merito puniretur. Denique qui doctrinae paternae discipulus esset filius, & pessimarum æmulus cogitationum, vno corpore vterque vteretur & mente, eademque malitia. Indifferenter igitur vel paternae vel suae malitiae filius pretium luit, quoniam improbitatis commune consortium est. Quod igitur pro patris soluit improbitate, sine dubio & pro sua soluit, culpa eius reus. Vel certe diutius poena producit, cum etiam ad filium vsque pertendit, & successoris afflictio in tempora multa profertur. Hoc secundum literam. Cæterum non tam hic homines quam mores comprehenduntur, quorum in vtroque vna natura. Nam Cham, calor: Chanaan, commotio & inquietudo. qui enim calidus est, utique inquietus atque commotior est. In duobus igitur erat vna passio & vnus affectus: itaque cum alter addicitur, vterque datur. Aliter Augustinus quæst. 17. super Genesim, difficultatem illam explicat: Quæritur (inquit) quare peccans Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur? Nisi quia prophetatum est, terram Chanaa eiectionis Chananæis inde & debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui venirent de semine Sem. Et lib. 16. de Ciuit. dei, cap. 2. ostendit in ipso Cham calido & vafro adubrari hæreticos, ubi ita scribit: Cham porrò qui interpretatur calidus, medius Noe filius tanquam se ab vtroque discernens, & inter vtrūque remanens, nec in primitijs Israelitarum, nec in plenitudine gentium: quid significat nisi hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientiae, sed spiritu versipellis astutiae, quæ solent hæreticorum feruere præcordia, & pacem perturbare sanctorum? Sed hæc in vsum cedunt proficientium iuxta illud Apostoli: Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis. Vnde etiam scriptum est, Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro vteretur. Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum calida inquietudine exagitantur, ut aduersus eos defendi possint, & confiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio. Quamuis non solum qui sunt apertissime separati, vtrūctiam omnes qui Christiano vocabulo gloriantur & perdite viuunt, non absurde possunt videri medio Noe filio figurari, passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate significata est, & annuntiant profitendo, & male agendo ex-honorat. De talibus ergo dictum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ideo Cham in filio suo maledictus est, tanquam in fructu suo, id est in opere suo. Vnde conuenienter & ipse filius eius Chanaan interpretatur motus eorum, quod quid aliud est quam opus eorum? Insuper Lyranus enarrans illum Genesios locum: Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, &c. eandem diluens quæstionem, dicit: Hic nominatur Chanaan, quia secundum aliquos ipse primum vidit discoopertum Noe, & pa-

Ioan. 11.
1. Theſſ. 4.

1. Timot. 6.

Ambrosius.

Augustinus

1. Corin. 11.

Matth. 7.

Lyranus.

tri suo Cham indicauit: secundum alios, quoniam hic agit de malitia ipsius Cham, qui irreuerenter se habuit ad patrem, ideo fit mentio hic de filio eius Chanaan, qui secutus est malos mores patris, & tantum creuit malitia in posteris, quod postea interfecti sunt ex præcepto domini, & terra eorum data est filijs Israel, deinde explicando verbum illud, Maledictus Chanaan, dicit: Maledixit patri in filio, quia filius istud flagitium inceperat, ut dictum est secundum aliquos. Vel aliter, ut per hoc ostendatur, quod ipse Cham non solum esset maledictus in persona sua, sed quod etiam ista maledictio ad suos posteros deriuaretur.

CAPVT III.

NAAMAN arguendus est, quod non subito verbis Helisei fidem adhibuerit, qui à sua lepra purgatus, syncera fide vnum deum confessus est. Priori rem huius Assertionis partem ex historia quarti libri Regum suadebo. Credebat Naama Syrus ad regem Israel profectus, Heliseum esse eximium & sanctissimum prophetam, qui valetudinarios & acutissimis morbis affectos sanabat, quandoquidem intellexerat à quadam puella quæ erat in obsequio suæ uxoris, Heliseum ea apud deum valere autoritate, ut eius lepra depellere posset. Cum igitur Naaman venit ad Heliseum, & ad eius ostium stetit, firmissime credens se posse ab Heliseo curari, debuit absque vlla animi hæsitacione & obmurmuratione verbis sanctissimi prophetae fidem præstare, quod tamen neglexit. Cum enim Heliseus ei dixisset per nuntium a se missum: Vade, & laua septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis: incontanter debuit prophetae spiritu dei inspirato, cum maxima animi læticia acquiescere: nec hæsitare si nam verum erat quod vir dei dixerat, quod certe non fecit. Nam auditis illis verbis, iratus recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen domini dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluij Damasci omnibus aquis Israel, ut lauer in eis & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras, quâtomagis quia nunc dixit tibi, Lauare, & mundaberis? Prudetia (ut agnoscimus) famulorum Naaman, sui domini imprudentiam & indignationem arguit, & Naaman ab errore reuocat. Quandoquidem illorum sententia persuasus, descendit, & lauit in Iordane septies, iuxta sermonem viri dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Deus per gratiam Helisei, & fidem Naaman, contulerat vim aquis Iordanis lepræ expultricem, & hæc adumbrabant baptismum, & quod Christus in suo baptisate, tactu suæ mundissimæ & sanctissimæ carnis conferret aquis Iordanis vim regeneratiuam. Fides Naama meruit ablutionem, & à lepra purgationem: quod possum ex verbis Christi colligere, dicentis: Multi erant leprosi in Israel sub Heliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Hæc edisserens Origenes, homilia 33. in Lucam, dicit: Considera vsque ad præsentem diem multos leprosos in Israel secundum carnem, vide e contrario lepræ squalore perfusus absque spiritali Heliseo domino nostro & saluatore, te autem purgari baptismi sacramento, & dici ad te: Surge, & vade in Iordanem, & laua, & restituetur tibi caro tua. Surrexit Naaman & abiit, & lotus impleuit mysterium baptismi, & facta est caro eius, quasi caro pueri, qui in lauacro regenerationis ortus fuerit in Christo Iesu. Doctissime eundem locum explicat Theophylactus, dicens: Heliseus alienigenam leprosum purificauit, fide in illum declarata. Nam familiares eius qui eiusdem erant patriæ ei non crediderunt, & propterea non sunt purificati. Ad hæc, dicit Lyranus filios Israel non fuisse tempore Helisei à lepra repurgatos propter ipsorum erga deum ingratitude, quia regnum Israel declinauerat ad idololatriam colendo vitulos aureos quos fecerat Hieroboam, Naaman autem barbarus & gentilis credidit deo, per quem dominus dedit salutem Syriæ, & post curationem melior effectus est, deo & Heliseo quam gratissimus. De eadem re, & huiusce pur-

4. Reg. 5.

Luce 4.

Origenes

Theophyl.

Lyranus.

Tertullianus gationis mysterijs abunde differit Tertullianus, libro quarto aduersus Marcionem, dicens: Si autem Heliseus propheta creatoris, vnicum leprosum Naaman Syrum ex tot leprosis Israelitis emundauit, nec hoc ad diuersitatem facit Christi, quasi hoc modo melioris, dum Israelitem leprosum emundat extraneus, quem suus dominus emundare non valuerat, Syro facilius emundato, significat per nationes emundationis in Christo, lumine earum quae septem maculis capitalium delictorum inhorreret idololatria, blasphemiam, homicidio, adulterio, stupro, falso testimonio, fraude. Quapropter septies, quasi per singulos titulos, in Iordane lauit: simul & vt totius hebdomadis caueret expiationem, & quia vnus lauacri vis & plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris, sicut sermonem compendiatum, ita & lauacrum. Hae illae. Quidam dicunt illam lotionem septies repetitam, significasse septem dona spiritus sancti.

Eccle. 19. **1. Ioan. 4.** At dicit aliquis, Qui cito credit, leuis est corde. Nec omni spiritui credendum est, sed probandi sunt spiritus, si nam ex deo sint. Non igitur arguendus est Naaman Syrus quod non subito crediderit Heliseo. Non sum nescius illum esse leuitatis insimulandum, qui temere cuiquam credit, cum non ei constet nec sit exploratissimum illum cui fidem adhibet, posse efficere quod efflagitat: nec ei deus reuelauit, vt confestim huic vel illi prophetae crederet. Constabat autem Naaman, & ei erat notissimum ac fide certissimum, se beneficio Helisei euasurum incolumem: idcirco non debuit dolere nec irasci, quod Heliseus eum ad aquas Iordanis septies abluendum miserit, & cum sciret Heliseum nihil doli, nihilque mendacij velle comminisci, debuit inuicta fide subito eius verbis assentiri. Pro tuenda posteriori nostrae assertionis particula, fidem facit eadem Regum historia, in qua scriptum est: Reuersus est Naaman ad virum dei cum vniuerso comitatu suo, & stetit coram eo, & ait: Verescio quod non sit Deus alius in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. Et sic fidem vnius veri dei quam corde conceperat, ore confessus est, secundum dictum Apostoli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Huic assipulatur

4. Reg. 5. **Roman. 10.** **Augustinus** veritati Augustinus in quodam sermone de Naaman Syro, dicens: Naaman mundatus prophetam conspicit, tunc caelum attendit, miratur vno iussu affuisse virtutem, miratur opera domini, miratur deterfsum tanti temporis vitium, miratur Naaman se mutatum corpore & mente perniciosam, ab illo contagium pellitur, & optata sanitas reparatur. Gaudet Naama, propheta laetatur, & ab vtriusque dominus collaudatur. Gaudet Naama quod optauerat se percepisse, & quod crediderat inuenisse. Gaudet propheta in opere, laetatur populus in virtute. Gaudet Iudaea quod venientibus praestentur auxilia, discunt in Israel quod apud se inuenire non poterant: Qui curatus est, praedicat: qui sentit, nuntiat: nemini dubium habetur quod in Naaman mirabilia protestantur. Tunc laetus Naaman Heliseo offert munera, tunc sanitatis voto obtulit dona. Non enim pretium curationis est quod offero, nec sanitate percepta isto munere redimo sanitatem quam merui: nec pretio poterit redimi, nec villo munere inueniri. Mihi (inquit Heliseus) quod offers non accipio, quod ingeris, vt alienum recuso. Nec enim tibi sanitatem praestiti, nec perniciosum in te vitium ego ipse correxi: est potens in caelestibus deus, cuius imperium seruo, officio pareo, seruituti insisto, cui soli praeparandus est sensus, dicandus animus, tribuendus in omnibus famulatus. Huic enim si soli serueris, aut obsequia debita mancipaueris, antequam reddas seruitia, ante meliorem mereberis medicinam. Mox Naaman diuinam sibi disciplinam indicit, superstitiosa abscondit. Continuo se deum venerari testatur, & detestari idolum profitetur: Nunc (inquit) cognoui quia deus colendus est solus: nunc primum addidici, quia vnus venerandus est dominus. Caeterum dii gentium nec saluare poterunt, nec nocere merentur, aut sanum quempiam facere, qui se non possunt de non colentibus vindicare. Tunc Naaman proficiscitur in Syriam laetus, tunc ad suos properat sanus, laetantur omnes qui cum eo tristes aduenerant, gaudet cuncti qui eius inualetudinem exhorrebant. Magnalia dei cuncti secum loquuntur, & virtutes eius vniuersi inuicem fabulantur.

CAPVT IIII.



Abuchodonosor ex scientia peccauit in deum viuentem, per poenitentiam tamen restitutus est regno, & tulit de filio dei testimonium. Ex receptissima Danielis prophetia, adnitemur singulas huiusce Assertionis partes probare. Primam totius enuntiationis partem ita suffulciemus: Non latuit Nabuchodonosor Babyloniae regem truculentissimum, Danielem sanctissimum quidem dei prophetam, solo dei beneficio, & nulla arte humana explicasse somnium, quod ei edisserendum proposuerat, & cuius sententiam & mysteria neque Arioli neque Magi aperire potuerunt. Quandoquidem intellecta sui somnij interpretatione, cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias & incensum praecipit, vt sacrificarent ei, loquensque ait Danieli: Verè Deus vester, deus deorum est, & dominus regum reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire sacramentum hoc. Nihilominus tamen Nabuchodonosor post vnius dei cognitionem & suae virtutis admirationem, quam tantopere praedicabat, in sceleratissimum idololatriae vitij collapsus est. Nam crexit statuam auream quam non solum voluit à suis subditis adorari, verè etiam à Iudaeis, scilicet à Sidrac, Misac, & Abdenago, qui tamen fortes in fide, & nullis exterriti tormentis, decretum tanti regis contempserunt, & ob id in ardentissimam fornacem coniecti sunt, à qua dei gratia protecti, euaserunt illaesi: quorum inuictam animi magnitudinem & constantiam demiratus rex Babyloniae, contrarium tulit decretum, vt scilicet lingua quaecunque locuta fuerit blasphemiam contra deum Sidrac, Misac, & Abdenago, disperiret, & domus eius vastaretur. Quod autem post poenitentiam suo regno restitutus sit Nabuchodonosor, fidem facit idem propheta, dicens: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua. Foenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuiusque voluerit det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & foenum vt bos comedit, & rore caeli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi vngues auium. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum leuavi, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudavi & glorificavi: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generationem, & omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt. Iuxta enim voluntatem suam facit tam in virtutibus caeli quam in habitatoribus terrae, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decorumque perueni, & figura mea reuersa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia mea amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo & magnifico & glorifico regem caeli, quia omnia opera eius vera, & omnes viae eius iudicia, & gradietes in superbia potest humiliare. Haecenus historia. Ista duabus partibus iam ex sacra scriptura probatis, arridet Chrysostronus, Priore paranesi ad Theodorum lapsus, vbi copiose & erudite docet quanta sit dei misericordia & clementia erga flagitiosissimos quosque homines, quos prioris flagitij poenitet: Non aliter (inquit) deus, postquam nos in extremam cecidimus insaniam, non est vltor veteris flagitij, sed vt morbum arceat, omnia dicit ac facit, quod satis à rectis cogitationibus videre est, id ipsum contestantibus: caeterum incredulo nobis de his rebus facile fidem faciemus ex diuinis scripturis. Nam quis est rege Babyloniorum scelerator? Profer aliquem, si potes, qui tantam vim diuinæ potentiae prius acceperat, vt & prophetam adoraret, & ei sacrum ceu deo fieri iuberet. Rursum in veterem superbiam proiectus, eos qui ipsum noluerunt praeferre deo, vinctos in fornacem accensam dedit: nihilo tamen fecius hunc tam atrocem ac impium, qui fera potius quam homo, censendus erat, ad resipiscenciam co-

Danie. 2.

Danie. 3.

Danie. 4.

Chrysostr.

Danie. 4.

hortatur, variisque offert occasiones mutandi animi in melius, primo miraculum quod in ardente fornace cōtigit, deinde faciem quam rex vidit, & Daniel interpretatus est, quæ idonea erat vel saxum, nedum animam inflectere. Tandē post illam rerum admonitionem, etiam propheta in medium fideliter consuluit, quādo dixit, Propterea rex consilium meum tibi gratū esto, peccata tua per Eleemosynas redimito, ac iniquitates per commiserationem super pauperes, forsitan erit longanimitas delictis tuis. Quid dicis tu sapiens ac beate? estne post tantum casum reditus post morbum tam desperatum iterum sanitas, iterum prudentia speranda, post mentem scilicet adeo motam? Omni se respōsione nudauit rex, qua prius esse potuit, ut cunque purgatus. Nam antea nesciebat eum, qui ipsum creauit, & qui ipsum in extremam illam euexit gloriam, quanquam iure habuit tam potentia eius quam prouidentia argumenta recensere, quæ plurima sunt facta, tum erga se, tum erga progenitores. Quandoquidem ubi sapientia eius & præscientia euidentia signa suscepisset, atque magicam astronomiam, omnemque diabolicæ infaniae ymbra vidisset subuersam, grauiora prioribus exhibuit. Nam quæ sapientes, Magi, Gazareni exponere nequibat candidēque profitebantur esse maiora, quam quod iuxta humanam industriam paterent, ea puellus illi reddidit absoluta: quo miraculo eum sic reduxit, ut non solū crederet, sed & ut orbi terrarum toti fieret eius dogmatis præco, & magister manifestus. Quare si erat ante suscepta signa uenia indignus, quod deū igno raret: multo magis indignus erit post illa portenta, post confessionem eius, post doctrinam erga alios ostensam. Neque enim parum probè credidit, quod solus esset deus verus, qui tantam in seruum suum gloriam posuisset, quamuis id alijs præcepisset, nihilo tamen fecius ab huiusmodi confessione recidit in idololatriam. Qui pridem prostratus in faciem, dei seruum adorauit, tandem deinde furore correptus est, ut & seruos dei, qui ipsum adorare recusarunt, in fornacem immitteret. Quid igitur? Num deus, sicut erat puniendus, desertorem puniuit? Quinimō maiora ei argumenta potentia tribuit, sedulo reducens à fœcōdi arrogantia in veterem modestiam, & quod est sanè magis admirandum, neque enim est cur ob excessum miraculorum minus credas quæ facta sunt. In nullo alio signum fecit, quemadmodum in camino, quem ille ipse accendit contra pueros, quos ligatos in eum coniecit. Fuit itaque flamma supra opinionem ad miraculum vsque exardens. At clementissimus quo maiore metu illum expauesceret, quōve terrore ampliore exanimaret, omnemque excluderet ab eo pertinaciam, id quod est magis obstupescendum, inexpectatumque, effecit. Siquidem permisit eam conflagrare, quantum ille volebat, suamque ostendit potentiam moderatam ea prudentia, quæ non dissolueret opus inimicorum, permanens tamen inane reddidit, ac sine viribus, ne aliquis cum eos intra flammam obambulantes vidisset, arbitraretur flammam esse quiddam fictitij, permisit ut combureret illos qui eos iniecerat, etiam corrigiam calceariam & stupam, totque aboleuit corpora. Quandoquidem imperio dei nihil est potentius, quem sequitur omnium quæ sunt natura, ut qui eam ex eo quod non est in esse produxit, quemadmodum tum demonstrauit. Nam flamma corripuit mortalia corpora, non aliter atque à mortalibus abstinuit, integrumque reddidit apud se depositum, idque multo cum splendore. Nam quemadmodum ex regibus reges, ita de camino egressi sunt illi pueri. Nemo ad regem dignatus est vel respicere, quin ab illo omnes visum in hoc incōparabile spectaculum obuenterūt. Nec diadema, nec purpura, nec aliud quidpiam regiae phantasiae populum adeo promouit, atque species illorum fidelium, ut per talia ceu per somnium perferre videbantur. Quod enim est in nobis maxime infirmum, & abolitu facillimum, nempe capillorum natura, id velut omni robustius adamante superauit flammam, alioqui omnia deuorantes. Cæterum ne id quidem solum erat suspiciendum, quod in medium ignis accepti, nihil incommodi senserūt, sed quia semper locuti sunt, omnes sciunt qui ardentibus adfuerunt, quādiu habuerunt labia in sermonem soluta, paulisper quidem ad incendium substituerunt, vsuri

quomodo futura esset ex ore dissoluto discessio animæ. Verum tot miraculis animaduersis, omnibusque obstupescētibz tam præsentibus & spectatoribus, quam absentibus, & illis quicunque per literas didicerunt. Rex ille qui alios edocuit, perdurauit inemendabilis, iterumque in veterem reuersus est malitiam. At ne tum quidem adeo desperatum afflixit, quin adhuc animum continuit, & per somnium & per prophetam ei consulens. Cæterum sanè ubi nihilo melior est factus, tum inducit in posterum flagellum, nec id velut vltor præteriti delicti, sed ut futura incommoda præscindat, ut reliquam malitiam arceat: necdum tamen omnino extinxit, sed paucis annis erudito pristinum reddidit honorē. Pœna quam deus irrogat, nihil damni dat, sed lucrificat, quod est inter omnia bona maximū: solidā enim dat in Christum tenere fiduciam, & respicere à peccatis aduersus illum commissis. Siquidem tanta est dei humanitas & erga nos amor, nunquam auersatur pœnitentiam synce re factam: siquis ad malitia fines olim penetrabit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, & suscipit redeuntem, & suauiter amplectitur, nihilque non facit quo in pristinam dignitatem reformet. Quodque est maioris facilitatis argumentum, etiam si non omnem præ se fert pœnitentiam, breuem illam & exiguo tempore factam non abnuat, sed magna pensitat mercede, id quod manifestum est ex ijs, quæ de populo Iudæorum alicubi dicit Esaias: Propter peccata paulisper cōtristauit eum, & percussit eū, & auerti faciem eā ab eo, & ipse contristatus sum, & ambulauit mœstus, & sanauit eū, solatus sum eum. Accedit & secundæ parti comprobandæ Tertulliani testimonium, dicentis libro de Pœnitentia, Peccatorem restituēdo sibi institutam à domino exomologesim, non debere illam præterire, quæ Babylonium regem in regna restituit. Diu enim pœnitentiā domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, ynguium leoninū in modum efferatione, & capilli incuria horrorem aquilinū præferente. Proh malæ tractationis! quæ homines perhorrebant, deus recipiebat. Cōtrā autem Aegyptius imperator, qui populum dei aliquando afflictū diu domino suo denegatū persecutus, in prælium irruit, post tot documēta plagarū, dissidio maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perit. Pœnitentiā enim & ministeriū eius, exomologesim abiecerat. Hæc ille. Et quia pœnitentiam abiecerat, nec ad dominum paratus erat redire, dignus erat, ut acerrimas lueret pœnas. Vltimam assertionis partē ex verbis ipsius Nabuchodonosor colligimus, qui cum nouisset Sidrac, Misac, & Abdenago liberatos esse de medio ardentis flammæ, dixit: Ecce ego video viros quatuor solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similitudo filij dei. Hæc enarrans Hieronymus, dicit: Speciem autem quarti, quem similem dicit filio dei, vel angelum debemus accipere, ut septuaginta transfulerunt: vel certe, ut plerique arbitrantur, dominum saluatorem. Sed nescio quomodo rex impius dei filium videre mereatur. Ergo iuxta Symmachum, qui interpretatus est, species autem quarti similitudo filiorum non dei, sed deorum, angeli sentiendi sunt, qui & dij, & deorum vel dei filij sapissime nuncupantur. Hoc iuxta historiam, cæterum in typo præfiguratur iste angelus siue filius dei, dominum nostrum Iesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausa & peccatorum & iustorum animæ tenebantur: ut absque exustione, & noxa sui, eos qui tenebantur inclusi mortis vinculis liberaret. Deinde exponendo quod dicebat Nabuchodonosor, Benedictus deus Sidrac, Misac, & Abdenago, qui misit angelum suum, & eruit seruos suos qui crediderunt in eum, ita scribit: Quem supra filium dei, hic angelum vocat, quanquam in superioribus similitudo filij dei, non veritas appellata sit. Adde quod Augustinus in Oratione aduersus Iudæos, Paganos, & Arrianos, omnino fauet huic parti, capite decimoquinto, ubi in medium profert ex catalogo gentilium, illos qui de Christo testimonium protulerunt: illum (inquit) regem qui vestram superbiam captiuando perdomuit, Nabuchodonosor regem scilicet Babylonis non prætermittam. Dic Nabuchodonosor quid in fornace quo tres viros iustos iniuste immiseras, dic, dic quid tibi fuerit rela-

Tertullianus

Exo. 14.

Danie. 3.
Hieronymus

Augustinus



tum? Nónne(inquit) tres viros misimus in fornacem ligatos? Et aiunt ei, Verè rex. Ecce(inquit) ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis. Et aspectus quarti, similis est filio dei. O alienigena, vnde tibi hoc? quis tibi annuntiavit filium dei? quæ lex? quis propheta annuntiavit tibi filium dei? Nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur. Vnde tibi hoc? Quis tibi istud annuntiavit? nisi quia sic te diuinus ignis intus illuminauit, vt cum illic apud te captiui teneretur inimici Iudæi, sic diceres testimonium filio dei. Hæc ille. ¶ Et quia Nabuchodonosor vnum deum coluit, & post nephanda scelera ab eo perpetrata austeram egit pœnitentiam, est plusquam verisimile ipsum non esse damnatum, quod ex Hieronymo in epistola ad Lætam de Institutione filiarum, comprobare possumus, vbi ita scribit: Nunquam est fera conuersio, Latro de cruce transijt in paradysum, Nabuchodonosor rex Babylonis post efferationem corporis & cordis, & beluarum in eremo conuictum, mentem recepit humanam. Præterea Iosephus libro decimo antiquitatum Iudaicarum, capite decimotercio, clarissime docet Nabuchodonosor non esse æternis pœnis damnatum, eo quod pœnitentiam egerit, qui cum mutatus fuisset in bestiam, contra errorem quorundam oppositum asserentium, propter ea quæ impie gesserat, post multas preces ac supplicationes, misericordiam potuit promereri, & ad humanam redire conuersationem, ac regna pristina reparare, qui post hæc solum deum, omnem habere virtutem, & humano generi prouidere, donec aduixit, asseruit. Huic etiam astipulatur sententiæ Lyranus in quartum caput Danielis, in quo abunde Nabuchodonosor resipiscencia pertractatur & discutitur: Saluatus est (inquit) Nabuchodonosor, quia scriptura terminat historiam eius in sui humiliatione, & diuinæ virtutis & fidei confessione. Hoc autem non fit in sacra scriptura, nisi de his qui sunt in statu salutis. Hoc etiam dicit Decretum 23. quæstione quarta, capite Nabuchodonosor, ex sententia quidem Augustini libro vno de Prædestinatione & Gratia, capite decimo quinto, vbi ita scriptum esse comperimus: Existere fortasse aliquem reor, qui dicat minus idoneam ad salutem viam, si nulla intrinsecus vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Vnde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Nónne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdidit, rursus accepit? Pharaonem autem ipsis flagellis est durior effectus, & perijt. Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium altum sapienti corde diudicat, cur medicamentum vnius medici confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor, alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio? Hic quicumque respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur defuisse præsidium, & hoc contendit iniustum, propter quod rerum ipsarum fines in dei voluntate constituens, dixit Apostolus, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, dicente domino: Sine me nihil potestis facere. Intelligat illa omnia vel adiuuante domino perfici, vel deserente permitti, vt nouerit tamen nolente domino, nihil prorsus admitti. Hæc ille. ¶ Verùm obijciat aliquis, De Nabuchodonosor in Esaia scriptum est: Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tineæ, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendā, super astra dei exaltrabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum lacu. Quod si Nabuchodonosor ob suam superbiam & perditissimam vi-

Hieronymus

Iosephus

Lyranus

Augustinus

1. Corint. 2.

Roma. 9.

Ioan. 15.

Esaia 14.

tam, ad inferos detrusus sit, vt propheta innuere videtur: colliget igitur aliquis, Nabuchodonosor esse damnatum. Huic Lyranus obiectioni respondet, in eodem loco, prophetam ea de Nabuchodonosor dixisse per comminationem, intellecta conditione, scilicet si eum non pœniteret: quia tamen pœnituit, ideo ad infernum damnatorum non descendit, sicut Esaia dixerat Ezechieli: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: quia tamen pœnituit, ideo sententia fuit mutata, & additi sunt vitæ eius quindecim anni. Quod etiam dicit Esaia: Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Intelligendum est secundum sensum Tropologicum, de Satana, qui propter suam superbiam ad inferos præcipitatus est, de quo ad discipulos saluator loquebatur, dicens: Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem. Esaia 38.
Luca 10.

CAPVT V.



Atiuitas Christi etiam secundum carnem, est inenarrabilis.] Hanc Assertionem cum ex sacris literis, tum ex Ecclesiasticis doctoribus exploratissimam reddemus. Apud Esaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? & quamuis locus ille de ineloquibili filij dei generatione secundum diuinitatem intelligi possit, qua intelligimus filium dei à patre genitum, eo quod solus pater dedit esse filio: tamen inficiari nemo potest, quin de natiuitate Christi & partu virginis Mariæ explicari possit. Nam præcedentia haud obscure videntur monstrare Esaia de partu virginis Mariæ prophetasse. Quandoquidem dicit: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Oblatus est quia voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente obmutescet, & non aperiet os suum. Quis non videt nisi in pleno lumine cæcutiat, hæc, veritatem illam, Generationem eius quis enarrabit, præcedentia, debere intelligi de Christo homine: non enim filius dei quatenus deus, languores nostros in ara crucis tulit: quia natura diuina est impassibilis: sed quatenus homo summum & ignominiosum mortis tormentum pro nobis pertulit: quamobrem videtur aperte propheta illic de natiuitate Christi temporanea differere. Et propheticum illud oraculum edisserens Hieronymus, dicit dupliciter id intelligi: aut enim de diuinitate eius accipiendum est, quod impossibile sit diuinæ natiuitatis nosse mysteria, de qua ipse loquitur in Prouerbijs: Ante omnes colles generauit me. Iuxta illud quod alibi legimus, Quis nouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit: id est, nullus: aut de partu virginis, quod difficulter possit exponi. Denique cum Mariæ diceretur ab angelo: Concipies & paries filium, illa respondit: Vnde mihi hoc? quia virum non cognoui. Cui rursus angelus: Spiritus (inquit) sanctus veniet super te, & virtus altissimi obubrabit tibi, vt vel ab angelo vel ab Euangelista, tantum natiuitatis huius sacramenta dicantur: cuius narrator rarissimus est, secundum illud: Quis sapiens, & intelliget hæc? intelligens, & cognoscet ea? Sin autem prudens lector tacita cogitatione responderit, Et quomodo scriptum est? Nemo nouit filium nisi pater: & nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et qui nouit patrem & filium, vtique & generationis potest enarrare mysterium. Audiatur aliud esse nosse, aliud eloqui: quia frequenter quæ mente concipimus, sermone explicare non possumus. Ergo & mysterium diuinæ natiuitatis in corpore, possunt sancti fide magis nosse, quam dicere. Alioquin & Apostolus raptus in tertium cælum, & in paradysum, audiuit verba, quæ nequaquam valet humana lingua proferre. Sed & spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Istius igitur cuius generationem aut nullus aut rarus enarrare potest, sublata est vita de terra, vt nequaquam in terra, sed in cælo viueret: siue abscissus est de terra uiuentium, vt impleretur de eo quod scriptum est in Apocalypsi Ioannis, Ego sum primus & nouissimus, qui uiuebam & sum mortuus, & ecce uiuo in æternum: vt post vitam Esaia 53.
Hieronymus
Prouerb. 8.
Esaia 40.
Luca 1.
Osce 14.
Luca 10.
2. Corin. 12.
Roman. 8.
Apocalyp. 1.
g. ij.

Matth. 11.

quam vixit in terra mortuus terræ, cælis viueret in æternum. Prospicis Hieronymum explicare illum prophetæ locum tam de generatione Christi æterna, quam temporanea, & quo in sensu intelligenda sit illa assertio, & qui hanc Hieronymi interpretationem sectantur, facile possunt rationes quæ in contrarium adducuntur, diluere. Si tamen diligenter legeris quæ scripsit Hieronymus in primum caput Matthæi, explicando exordium Euāgelij, Liber generationis Iesu Christi, agnosces eum in ea esse sententia, vt velit dicere, prophetam solum de æterna Christi generatione differuisse, & eius verba in medium adducam: In Esaia (inquit) legimus, Generationē eius quis enarrabit? Non ergo putemus Euangelistam prophetæ esse contrarium, vt quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, vt per hominem, deum discere incipiamus. Sed forsitan dicet aliquis, ne videatur Hieronymus secum pugnare, virum illum tantæ eruditionis existimasse prophetam potius loquutum de æterna Christi generatione, quam temporanea. Nec tamē ijs premmur angustijs, vt Esaiaem Matthæo connectere non possimus. Matthæus narrauit generationem Christi secundum carnem, non tamen nobis expressit omnimodum, quo Christus naturam humanam assumpsit. Et licet sciamus Christum esse secundum carnem natum, & ex semine Abraham & Dauid descendisse, tamen ingenium nostrum non potest perfecte excellentissimum illius generationis modum consequi, & hoc prætendebat Esaia, dicens: Generationem eius quis enarrabit? Aut dic cū Hieronymo, si velis: Difficile potest Christi generatio etiam tēporanea explicari, vel nullus aut rarus generationem illam enarrare potuit. Adde quod Chry-

Chryso-
Ioa. 1.

stomus enarrans in quadam homilia primum caput Euāgelij Ioannis, & præfertim locum illum, Verbum caro factum est, nostras tuetur partes: Quomodo (inquit) factum est, ignoramus. A deo rationem habeo, conscientiam non habeo. scio quia Verbum caro factum sit, & quomodo factum sit, nescio: miraris quia ego nesciebam? Omnis creatura ignorat, mysterium enim quod absconditum fuit in omnibus seculis, in nostro seculo reuelatum est. Dicat aliquis, Si reuelatum est, quomodo te nescire dicis? Reuelatum est quod factum est, cæterum celatur quomodo factum sit. Denique dicit, Esaia, Generationem eius quis enarrabit? & quomodo ipse dixerat: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet: dicit quid factum sit.

Esaia 7.

quando autem dicit, Generationē eius quis enarrabit, hoc nobis ostendit, quoniam natus quidem sit, sed quomodo natus sit ignoramus. Sancta Maria, beata Maria, mater & virgo, virgo fuit ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de virgine virgo natus sit, & post nationem virginis, mater virgo sit. Vultis scire quomodo de virgine natus sit, & post natiuitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus. Nulli dubium quin clausa sint ostia, qui intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat. Quid enim dicit? Respicite & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, quæ me habere videtis. Habebat carnes, habebat ossa, & clausa erant ostia. Quomodo clausis ostijs intrauerunt ossa & caro? Clausa sunt ostia, & intrat quem intrantem non vidimus. Vnde intrauit, omnia clausa sunt, locus non est per quem intret, & tamen intus est qui intrauit, & non apparet quomodo intrauit. Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentia dei. Da potentia dei, quia de virgine natus sit, & tamen ipsa virgo fuerit virgo post partum. Legimus in Ezechiele in templi ædificatione: Porta hæc (inquit) orientalis, quæ respicit ad orientem, semper clausa erit, & nemo (inquit) intrabit per eam, nisi solus pontifex. Clausa est porta, & nemo intrat per ipsam portam nisi solus pontifex. In hanc quoque descendit sententiam Augustinus in Oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, capite nono, vbi ostendit natiuitatem Christi secundum carnem, vires humani ingenij transcendere, & nobis tanti mysterij admirationem incurere: Hunc itaque (inquit) filium credimus in susceptione hominis minorem, in diuinitate patri æqualem factum: sicut Apostolus di-

Ezech. 44.

Augustinus

cit: ex semine Dauid, quem virgo Maria de spiritu sancto concipiens, & in cuius vtero verbum carnem suscepit, nobis factus est mediator, homo totus & deus, verbū, anima & caro vnus Christus. Hoc quippe nobis etiam ordo huius sacramenti declarat, quod posteaquam credimus in deum patrem omnipotentem, credimus & in Iesum Christum filium eius conceptum de spiritu sancto, natum ex virgine Maria. Et hæc natiuitas perturbat omnem cogitationem humanam, quoniam virtus est eam operata diuina. Nam quando admittet ratio nostræ generationis vt virgo concipiens, virgo post partum permanens, filius videatur, integritas inuoluta seruetur? Et hoc non potest implere quilibet natus homo: ille autem potuit, quia non erat solus homo, sed deus & homo: qui propterea voluit nasci homo, quia perierat omnis homo. Primum itaque miraculum magnum huius mediatoris ac singulare fuit, quod sic natus est, vt ille qui veniebat multos docere, facere miracula, quia ipse perse, & per illos faciebat, haberet tamen aliquid proprium, qui nihil v'surpauerat alienum. Solus enim de virgine natus est, quia solus sine amplexu viri & foeminae, de spiritu sancto conceptus est: solus sine corruptione impleuit vterum matris, quia solus pro nobis super cælos ascendit, vt sederet ad dexteram patris. Acceperunt ab illo discipuli, vt facerent multa & magna miracula, & fecerunt, nec tamen quispian prædicatur, aut creditur, de virgine natus, aut de spiritu sancto conceptus, nisi ille vnus qui creator temporum inuentus, in tempore est etiam ipse creatus, suscipiens quam integram formauerat humanam naturam, vt per ipsam quodammodo redemptor nostram repararet ruinam. Et hic dei filius, & hominis filius, dei filius de corde patris, hominis filius ex vtero matris. Idem ipse vnus Christus, qui processit ex vtero virginali tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spirituales nuptiæ celebratae, deus cōiunctus est carni, & caro adhæsit deo, vt esset vnus Christus, & totus homo. Et exponens illum Ioannis locum, Nunquid & tu Galilæus es? asserit vtrunque Christi natiuitatem fuisse mirabilem, diuinam sine matre, & humanam sine patre. Ad hæc, sermone octauo in Natali domini, testatur generationem Christi ex virgine esse inenarrabilem. Et auctoritate Esaia, dicentis: Generationem eius quis enarrabit? nritur: De qua (inquit) potius dictum sit, indicare difficile est, vtrum de illa vbi nunquam natus coæternum habet patrem, an de ista vbi aliquando natus in qua vt fieret iam fecerat matrem, vtrum de illa vbi semper natus est, qui semper erat? Quis enim enarrabit quomodo natum sit lumen de lumine, & vnum lumen vtrunque sit, quomodo natus sit deus de deo, nec deorum numerus creuerit, quomodo velut de re transacta dicatur, quod natus est, cum tempus in illa natiuitate nec transierit quo præterita esset, nec præcesserit quo futura esset, nec præsens fuerit quasi adhuc fieret, & perfecta non esset. Hanc ergo generationem quis enarrabit? cum id quod enarrandum est supra tempora maneat, sermo autē enarrantis in tempore transeat. Istam quoque ex virgine generationem quis enarrabit? cuius conceptus in carne non carnaliter factus, cuius ortus ex carne vbertatem nutrienti attulit, integritatem parenti non abstulit. Quamlibet itaque earum siue vtrunque generationem eius quis enarrabit? Hic est dominus deus noster, hic est mediator dei & hominum, homo saluator noster, qui natus de patre creauit & matrem, creatus de matre, glorificauit & patrem. Sine foemineo partu vnicus patri: sine virili complexu vnicus matri. Præterea Ambrosius in quodam sermone de Natali domini, dicit: Hodierna igitur die secundum carnem natus est dominus, ita secreto, ita silentio, vt ortum eius seculum penitus ignoraret. Ignorauit enim seculum, quia & extra cōscientiam patris natus, & extra ordinē naturæ conceptus. Nam Ioseph cōceptum suscepit filiū, quem nō genuit: Maria partū edidit, quem sexus consuetudine nō creauit. Sic igitur natus est dominus, vt ortū eius nemo futurū suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quomodo crederet hoc futurum quod posteaquam factum est, factum esse vix credunt? Nam quod ita latenter & secreto saluator descensus esset in virginem, iam ante Dauid propheta testatus est, dicens: De-

Ioan. 7.

Ambrosius.

Psal. 71.

g. iij.

scendet sicut pluuia in vellus. Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quam cum imber in lana vellus infunditur: nullius aures sonoverberat, nullius corpus hu more percussione aspergit, sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, vnius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures praebens meatus: & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quae ita concepit dominum, vt toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pareretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius, agnus egressus est, qui & ipse matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur. Insuper Hylarius differens libro secundo de Trinitate, de admiranda & inexplicabili Christi incarnatione, dicit: Dei igitur imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem partum, vagitum, & cunas, omnes naturae nostrae contumelias transcurrit. Quid tandem dignum à nobis tantae dignationis affectui rependeretur? Inenarrabilis adeo originis vnus vnigenitus deus in corpusculi humani formam sanctae virginis vtero insertus accreuit. Qui omnia continet, & intra quae & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur, ad cuius vocem archangeli & angeli tremunt caelum & terra, & omnia mundi huius resoluuntur elementa, vagitu infantiae auditur. Hæc ille. Quomodo autem Christus pudicissimo sanctae virginis vtero inferi potuit: nemo vnquam quantumuis doctus absq; diuina reuelatione potuit plenè & consummate intelligere. Nec virgo Maria varijs scientiae dotibus prædita potuit absque reuelatione sibi facta per angelum, modum incarnationis Christi cognoscere. Nam cum angelus ei dixisset: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deum, ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Respondit tantae rei sacramentum demirando, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Hæc enarrans Ambrosius, dicit: Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit vsurpare, non credere angelo, vsurpare diuina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum à seculis in deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit, sed accommodauit affectum, spondit obsequium. Etenim cum dixit, Quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Huic. subscribit sententiae Theophylactus eundem locum explicans: Non (inquit) quasi discredens virgo, dixit: Quomodo erit mihi istud? sed vt prudens & intelligens vt discat, modum inquirat. Non enim quiddam tale factum est, neque posthac fiet. Ideo & ignoscit ei angelus, & non condemnat vt Zachariam, sed magis modum docet. Nam Zacharias merito condemnatur, habuit enim exempla multa, quandoquidem & multae steriles fuerunt, virgini autem nullum exemplum erat. Spiritus itaque (dicit) sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, secundum reddens vterum tuum, & condens carnem consubstantiali verbo. Hæc ille. Et cum primum virgo Maria fuit ab angelo huiusce admirandae incarnationis sacramentum & modum edocta, diuinæ voluntati maxima cum humilitatis gratia se submittere, dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPVT VI.



Athanael licet super ceteros à Christo summopere fuerit commendatus, non tamè ad apostolatam vocatus est. Non erit nobis admodum difficile priorem huiusce Assertionis partem affirmare. Quandoquidem Christus licet suos diligeret discipulos, & pro eis suum patrem orauerit, ne mundi virijs inquinarentur, nulli tamen suorum dixit: Hic est verus

Israelita, in quo dolus non est. Dixit autem Nathanaeli qui suauis Philippi venerat ad verum Messiam: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quid dii immortales hac peculiari laudatione ipsi Nathanaeli iucundius, ac optabilius contingere potuit? illum laudat dominus, cuius virtutes subtercent apostoli. Columbina in eo simplicitas & candidus animus à Christo commedatur. Hunc dominus sub ficu viderat antequam à Philippo ad Christum accerteretur. Et cum admiraretur se prius cognitum fuisse à domino etiam absente, quam à seruo, in summum Christi amorem raptus & effereuscens, ingenue confessus est eum esse filium dei. Vtrique parti huiusce assertionis arridet Augustinus enarrans in Ioannem illa Christi verba, Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, vbi ita scribit: Magnum testimonium hoc, nec Andree dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaele, Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quid ergo facimus fratres? deberet iste primus esse in apostolis, & non solum primus non inuenitur in apostolis, sed nec medius, nec vltimus inter duodecim Nathanael, cui tantum testimonium perhibuit filius dei, dicens: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Quæritur causa, quantum dominus intimat, probabiliter inuenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaelem eruditum & peritum legis fuisse, propterea noluit illum dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit, vnde confunderet mundum. Audi Apostolum dicentem ita: Videte (inquit) vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit deus, & ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt, euacuentur. Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina eius meruit eligi: dominus noster Iesus Christus, volens superbiorum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem, piscatorem: sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet, non solum orator, sed & imperator. Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus, quia infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia. Erat autem iste magnus, & sine dolo: hoc solo non electus, ne cuiquam videretur dominus doctos elegisse: & ex ipsa doctrina legis veniebat, quod cum audisset à Nazareth, scrutatus enim erat scripturas, & sciebat quia inde erat expectandus saluator, quod non facile alij scribæ, & Pharisæi nouerant. Iste ergo doctissimus legis, cum audisset Philippum dicentem: Inuenimus Iesum, quem scripsit Moyses in lege, & propheta à Nazareth filium Ioseph, Ille qui optime scripturas nouerat, audito nomine Nazareth, erectus est in spem, & dixit: A Nazareth potest aliquid boni esse? Et explicando psalmum illum, Date gloriam laudi eius: latius multo rem istam pertractat, vbi docet rudes & indoctissimos piscatores primo electos fuisse, secundo viros doctissimos. Descendit (inquit) dominus deus noster Iesus Christus in spiritu reparare genus humanum, & dare gratiam suam omnibus intelligentibus, quia gratia illius est, non merita eorum. Et ne quilibet persona gloriaretur in carne, infirmos elegit, nam inde non est electus ille Nathanael etiam. Quid enim tibi videtur vt publicanum in teloneo sedentem eligeret Matthæum, & non eligeret Nathanael, cui perhibuit testimonium ipse dominus, dicens: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est? Intelligitur ergo Nathanael iste doctus fuisse in lege, non quia doctos non erat electurus, sed si ipsos primo elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent, & ita illorum scientia laudaretur, & laus Christi gratiæ minueretur. Perhibuit testimonium tanquam bono fidei, in quo dolus non erat, sed tamen eum non assumpsit inter illos discipulos quos primum idiotas elegit. Et vnde intelligimus quod ille peritus erat legis? Quando audiuit ab vno ex eis qui secuti erant dominum, dicentem: Inuenimus Messiam quod interpretatur Christum, quæsiuit vnde, & dictum est à Nazareth. Et ille, A Nazareth potest aliquid boni esse. Proculdubio qui intellexit quia à Nazareth potest aliquid boni esse, peritus erat legis, & bene prophetas inspexerat. Noui esse

in illius verbis aliam pronuntiationem, sed à prudentioribus non est approbata, vt quasi desperasse videatur ille, cum audiens dixisset, A Nazareth potest aliquid boni esse? id est nunquid potest? sic pronuntians quasi desperaret. Sequitur autem ibi: Veni & vide. Hæc verba, id est veni & vide, vtrunque possunt pronuntiationem sequi. Si dicas quasi non credens, A Nazareth potest aliquid boni esse? Respōdetur, Veni & vide quod non credis. Rursus, Si dicas confirmans, A Nazareth potest aliquid boni esse. respōdetur, Veni & vide quod credis, quàm vere bonum sit, bonum quod nuntio à Nazareth, & quàm recte credas, veni & experire. Hinc tamen æstimatur doctus ille in lege fuisse, quia non est electus inter discipulos ab illo qui stultitia mundi prius elegit, cum tantum ei perhibuerit testimonium dominus, dicens: Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Elegit ergo postea dominus & oratores, sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores. Elegit diuites, sed dicerent merito diuitiarum suarum se electos esse, nisi primo elegeret pauperes. Elegit imperatores postea sed melius est vt Romam cum venerit imperator deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quàm vt piscator ploret ad memoriam imperatoris. Infrma enim mundi elegit deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi elegit, & ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, vt ea quæ sunt euacuarentur. Et quid sequitur? Quid ait? Concluit Apostolus, Vt non gloriatur coram deo omnis caro. Vide te quemadmodum nobis abstulit gloriam, vt daret gloriam: abstulit nostram, vt daret suam: abstulit inanem, vt daret plenam: abstulit nutatam, vt daret solidam. Tanto ergo gloria nostra fortior & firmior, quia in deo. Nō ergo in te debes gloriari quod prohibuit veritas, sed quod ait Apostolus, hoc præcipit veritas: Qui gloriatur, in domino gloriatur. Date ergo gloriam laudi eius, nolite imitari Iudæos, qui quasi meritis suis volebant tribuere iustificationes suas, & inuidebant gentibus accedentibus ad gratiam euangelicā, vt peccata omnia donarentur eis, quasi illi non haberent quod donaretur sibi, quasi iam boni operarij mercedem expectantes. Et cum adhuc ægroti essent, sanos se esse putabāt, & inde periculosius ægrotabāt. Nam si vel mitius ægrotassent, non quasi phrenetici medicum occidissent. Ad hæc Chrysofomus enarrans illum Ioannis locum nuper citatum, A Nazareth potest aliquid boni esse? mire commendat absolutissimam Nathanaelis doctrinam, qui à prophetis didicerat Christum ex patria David venturum: Laudat (inquit) Iesus & admiratur, qui dixit: A Nazareth potest aliquid boni esse? Quid laudat? nōne potius accusare oportuit? Minime, non enim quod non crederet, ita locutus est: neque accusari, sed laudari meruit. Quamnam ratione prophetarum verba diligentius quàm Philippus cōsiderabat? Audierat ex Bethleem & ex patria David, Christum venturum. Hoc Iudæi credebāt, hoc propheta iam pridē his verbis prædixerat, Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquā minima es in principib⁹ Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Huius prophetiæ memor Nathanael, audiens eum Nazarenum, perturbatur: & dubitat ne secundum prophetæ sermonē Philippus falleretur. Intuere quæso hominis prudentiā, intuere māsuerudinem. Non dixit se deceptum, neq; falsa sibi narrari, neq; quod à propheta non ex Nazareth, sed ex Bethleē Christum venturum didicerit: sed contra quàm Philippus dixerit persuasus obuiam tamen venit. Ostēdit igitur & scripturarum cognitionem, & morum simplicitatem, necnon vehemens Christi aduentus desiderium, cū Philippi verba non contempserit. Norat enim Philippum in patria cōmemoranda falli potuisse. Et vide quàm vere recunde interrogando non credendum innuit, non dixit, nihil boni fert Nazareth, sed, à Nazareth potest aliquid boni esse? Necnon & Philippus prudenter quidem nō indignatur, non agrefert, vtpote parum creditus, sed expectat virum, vt ad Christum adducat, & ab ipso principio Apostolum gerit. Ideo Christus inquit, Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Est enim & mendax Israelita, sed non hic, quippe cuius incorruptum est iudicium, nec ad gratiam, nec ad odium quicquam loquitur. Atqui Iudæi rogati, vbi Christus nasceretur, In Bethleem dixerunt, prophetæ te-

1. Corin. 1.

Ibidem.

Chrysofomus.

Mich. 5.

stimonium afferentes. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Verum illi antequam Christum viderent de eo testati sunt, quo viso, inuidia destiterunt, dicentes: Hunc nescimus. vnde est, Nathanael autem in eadem persistit sententia, quod non esset à Nazareth. Quomodo ergo prophetæ eum Nazarenum vocant? Eo quod illic educatus est & conuersatus. Nec se Nazarenum negauit, ne qua suspicio oriretur, neque si id persuasisset, non propterea se Christum esse ostendisset. Quid enim prohibebat non esse Christum, quāuis à Bethleem natus? Hoc igitur omisit, id autē in medium attulit, quod maximum erat ad credendum argumentum, se videlicet præsentem eorum sermoni fuisse. Nam cum ille diceret, vnde me nosti? respondit, prius quàm te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Animaduerte hominis constantiam. Nam cū dixisset Christus: Ecce vere Israelita, nō intumuit laudibus, neque his obuiam factus est, sed perscrutatur, vt de eo certi aliquid intelligat, & adhuc tanquam hominem alloquitur. Iesus tanquā deus respondet. Non enim è loco aliquo æditiori, ipsum & eius mores, & mansuetudinem vidisse, non è specula aliqua more hominis eum sub ficu obseruasse dicit: nemo enim illic aderat, sed soli Philippus & Nathanael secreto in loco inuicem sermonem habuerant, idcirco inquit Euangelista, quod cum videret à longe venientem ad se, dixit: Ecce verè Israelita: vt intelligatur priusquā appropinquaret Philippus ita Christū locutum. Et ne quisquam posset suspicari, quare & tēporis meminit, & loci & arboris: ne ab ipso missum Philippum quisquam opinaretur, si tantum eius ad Nathanael profectiois meminisset. Verum cū dixisset, vbi eum conuenit Philippus, & tempus, certissimum se prophetam ostendit: neque hoc tantum, sed etiam quæ inuicem locuti essent, in memoriā reduxit, hoc est à Nazareth potest aliquid boni esse? Ex quo maxime eum sibi conciliauit, cum ex eo non reprehēdit, sed laudibus profectus est. Et admiratus his verbis Nathanael vere Christū esse cognouit, à prophetia scilicet & præuidētia, & à certissima ipsius mētis perscrutatione. Demonstrat enim animi eius cogitationes planè intellexisse, præsertim cū quæ ægreferebant videbantur, ea non reprehendit sed laudat: dixit enim à Philippo vocatum, non autem quem inuicem sermonem habuerint, neq; quod affuerit, relinquit hæc eius conscientiæ examinanda, cum nolit ipse coarguere. Quid igitur prius quàm à Christo vocaretur, eum duntaxat vidit, nōne antea in somni oculo viderat? viderat sanè, nō modo inficias iret, sed ita opus fuit dictu. Quid igitur ille? cum certissimum de Christi prouidentia argumentum accepisset, confessus est, & primo se diligentem, deinde consensu fidelem ostendit, respondit enim: Tu es filius Dei. Tu es Rex Israel. Adde quod Lyranus exponens hæc Christi verba: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, fauet vtrique parti nostræ assertio, & contendit ad suadendum secundam partem ijsdem argumentis quibus & Augustinus. Et antequam rem aperiat, disquirat: Quare Nathanael non fuit vocatus ad Apostolatū, cum à Christo super alios fuerit commendatus? Hanc autem percontationem discutit. Dicendum est (inquit) quod Christus voluit primos fundatores Ecclesiæ simplices homines eligere, ne prima confusio hominum ad fidem, humanæ sapiētiæ ascriberetur, sed diuinæ: & propter hoc, iste Nathanael & Nicodemus non sunt instituti Apostoli, quia erant homines literati, fuerunt tamen à principio ad fidem vocati, ne si à principio omnes fuissent simplices, crederentur per oppositum, per ignorantiam decepti. Postquam verò fides catholica fuit radicata, Paulus vocatus est ad Apostolatū, quamuis literatus esset. Vnde ad Corinthios dicitur, Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes, &c.

Ioan. 1.
Lyranus.

1. Corin. 1.

CAPVT VII.



Nathanael quamuis fuerit sine dolo, non tamen sine peccato.] Ex præcedenti capite prior huiusce Assertionis pars innotescit. Posteriorē ex sacris scripturis cōfirmabimus. Et à Paulina doctrina expressiorem probationem desumemus, Omnes (inquit Paulus) peccauerūt, & egent glo-

Roma. 3.

ria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum. & haec Pauli verba potissimum intelligenda sunt de ijs qui non fuerunt a peccato originali praesuati, ex quorum numero erat Nathanael. Et in eodem capite indicat Paulus omnes esse sub peccato, & Iudaeos & Graecos, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Amplius, Sicut per unum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum, mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors, ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem praevocationis Adae, qui est forma futuri. Adde quod Ioannes nullum putat esse a peccato immunem, quandoquidem dicit: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. In libris etiam Regum ac Paralipomenon, scriptum est: Non est homo qui non peccet. Item in proverbijs dicit Salomon: Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato? Et alibi: Non est enim homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Vbi vides Ecclesiasten plane ostendere neminem ea praecellere iustitia, eaque vitae sanctimonia, quin peccet venialiter, aut possit in peccatum corruere. Audi lubenter quid dicit Iob ne nimium tuis meritis, tuisque bonis operibus confidas: Si iustificare me volueris, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, praeuam me comprobabit. Idem, Quid est homo ut immaculatus sit, & ut iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & caeli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit, quasi aquam iniquitatem. Excussit sacrarum literarum testimonia, proferemus quae de hac re scripsit Augustinus nostrae assertionis fautor praecipuus, is siquidem enarrans in Ioannem, locum illum: Ecce vere Israelita in quo dolus non est, dicit: Quid est in quo dolus non est? Forte non habebat peccatum? forte non erat aeger? forte illi medicus non erat necessarius? Absit, nemo sic natus est, ut illo medico non egeret. Quid sibi ergo vult, in quo dolus non est? Aliquanto intentius quaeramus, apparebit modo in nomine domini. Dolum dicit dominus, & omnis qui verba Latina intelligit, scit quia dolus est, cum aliud agitur, & aliud fingitur: intendat charitas vestra, non dolus dolor est, propterea dico, quia multi fratres imperitiores latinitatis loquuntur sic, ut dicant dolus illum torquet, pro eo quod est dolor. Dolus fraus est, simulatio est, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tanquam duo corda habet: unum quasi finem cordis habet, ubi videt veritatem: & alterum finem, ubi concipit mendacium. & ut noueritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, Labia dolosa. Quid est labia dolosa? Sequitur, In corde, & corde locuti sunt mala. Quid est in corde & corde, nisi duplicitate corde? Si ergo dolus in isto non erat, sanabile illum medicus iudicauit, non sanabilem. Aliud est enim sanus, aliud sanabilis, aliud insanabilis. Qui aegrotat cum spe, sanabilis dicitur: qui aegrotat cum desperatione, insanabilis: qui autem iam sanus est, non eget medico. Medicus ergo qui venerat sanare, vidit istum sanabilem, quia dolus in illo non erat. Quomodo dolus in illo non erat? Si peccator est, fatetur se peccatorem. Si enim peccator est, & iustum se dicit, dolus est in ore ipsius: ergo in Nathanaele confessionem peccati laudauit, non indicauit non esse peccatorem. Propterea cum Pharisei qui sibi videbantur iusti, reprehenderent dominum, quia miscebatur aegrotis medicus, & dicerent: Ecce cum quibus manducat, cum publicanis, & peccatoribus. Respondit medicus phreneticis: Non est opus sanis medicus, sed ma-

le habentibus: non veni vocare iustos, sed peccatores. Hoc erat dicere, Quia vos iustos dicitis, cum sitis peccatores: sanos vos iudicatis, cum languatis: medicinam repellitis, non sanitate tenetis. Vnde ille Phariseus qui vocauerat dominum ad prandium, sanus sibi videbatur, aegrotata autem illa mulier irrupit in domum quo non erat inuitata, & desiderio salutis facta impudens accessit, non ad caput domini nostri, non ad manus, sed ad pedes: lauit eos lachrymis, terfit capillis suis, osculata est eos, & unxit unguento, pacem fecit cum vestigijs domini peccatrix. Reprehendit ille tanquam sanus medicum, ille Phariseus qui illic discumbebat, & ait apud se: Hic si esset propheta, sciret quia mulier eius pedes tetigisset. Ideo autem suspicatus erat eum ignorasse, quia non illam repulit, quasi ne immundis manibus tangeretur. Nouerat autem ille, permisit se tangi, ut tactus ipse sanaret. Dominus videns cor Pharisei, proposuit similitudinem: Duo debitores erant cuidam feneratori, unus ei debebat quinquaginta denarios, alter quingentos. Cum non haberent unde redderent, donauit ambobus. quis eum plus dilexit? Et ille, credo domine, cui plus donauit. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides istam mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, illa autem lachrymis lauit pedes meos, & capillis suis terfit: Osculum mihi non dedisti, illa autem non desistit pedes meos osculari: Oleum mihi non dedisti, illa autem unxit pedes meos unguento. Propterea dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem modicum dimittitur, modicum diligit: hoc est dicere, plus aegrotas, sed sanum te putas: modicum putas tibi dimitti, cum plus debitor sis: bene ista, quia dolus in illa non erat, meruit medicinam. Quid est, dolus in illa non erat? Confitebatur peccata. Hoc & laudat in Nathanaele, quod dolus in illo non erat, quia multi Pharisei qui abundabant peccatis, iustos se dicebant & dolum afferebant, per quem sanari non poterant. Vidit ergo iam iustum in quo dolus non erat, & ait: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

CAPVT VIII.



atura humana, sua voluntate deprauata, dei gratia instauratur.] Nos Paulinae epistolae iuuabunt, ut hanc suffulciamus Assertionem: nobis quoque subsidium praestabunt Ecclesiastici doctores. Homo sua voluntate suisque improbis affectibus lapsus, dei gratia ad poenitentiae fontem, in quo sua abluit scelera, adducitur. Siquidem dicit Paulus, Ignoras quoniam benignitas dei ad poenitentiam te adducit: igitur sua voluntate deprauatus dei gratia instauratur & iustificatur. Ad haec: praecedentia hominum delicta dei beneficio & Christi sanguine pro nobis effuso abstergantur, ut idem docet Paulus, dicens: Omnes peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Nec absque fide & gratia Christi, deo reconciliari possumus, quod ab eodem authore expressum legimus: Ut quid (inquit) Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Et licet is qui suo mortali peccato a gratia dei excidit, Christi benignitate instauratur, & ad pristinam redeat gratiam, ut tamen a fordissima suorum vitiorum sentina extricetur, & resurgat, opus est ut extremis viribus ad id contendat, & neglecta carnis cura, secundum spiritum ambulet, & eum agnoscat qui de peccato damnauit peccatum. Vnde dicit doctor gentium, Lex spiri-

Luca 7.

Roma. 2.

Roma. 3.

Roma. 5.

Roman. 8.

tus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleteretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Et aliubi idem explicat, alloquens Ephesios, & subinde Christianos omnes: Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostrae, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij irae, sicut & ceteri. Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati. Nec his dissimilia sunt quae scribit ad Colossenses: In ipso (inquit) complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quae in terris, siue quae in caelis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis suae per mortem, vt exhiberet vos sanctos & immaculatos. Et ad Hebraeos dicit Christum omnia portasse verbo virtutis suae, & purgationem peccatorum fecisse. Quod autem non solum sit opus gratiae Christi pro expianda labe peccati originalis, verum etiam pro discutiendis peccatis mortalibus ab adulto commissis, suadet Paulus in eadem Epistola, dicens: Habentes ergo pontificem magnū qui penetrauit caelos Iesum Christum, teneamus spei nostrae confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno. Hic gladius Pelagianorum ceruices amputat & detruuncat omnino. Hic me Hercules diuinus sermo Pelagianorum supercilium deiecit & premit, qui tantum liberi arbitrij viribus tribuunt, vt nihil, aut parum dei gratiae relinquant: falluntur & apertius quod putent hominem per se & sine dei gratia, posse à peccato resurgere, contra quos strenue & erudite certauit Augustinus libro vno de Natura & gratia, vbi ostendit & praefertim capite tertio, naturam hominis corruptam saluberrima Christi medicina indigere vt conualescat, Natura (inquit) hominis primitus inculpata, & sine vilo vitio creata est: natura verò ista hominis qua vnusquisque ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est. Omnia quippe bona quae habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo deo habet creatore & artifice suo. Vitiū verò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura poenalis ad vindictam iustissimam pertinet. Si enim iam sumus in Christo noua creatura, tamē eramus natura filij irae, sicut & ceteri. Deus autem qui diues est in misericordia propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cum essemus mortui delictis conuiuificauit nos Christo, cuius gratia sumus salui facti. Et capite 43. ostendit manifestissime hominem lapsum non posse per se erigi, vbi ostendit discrimē inter liberum arbitriū pro statu iustitiae originalis, & pro hoc misero statu. Verū est autem quod ait, quod deus tam bonus quā iustus talem hominem fecerit, cui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eū nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iuste viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur quem seminiuum latrones in via reliquerunt, qui grauibz saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitiae culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur, Non igitur deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. iam nunc videamus vnde possit, vnde non possit. Iste dicit, voluntate non est, quod natura potest. Ego dico, voluntate quidem

non est homo iustus, si natura potest, sed medicina poterit quod vitio non potest. Et libro 2. Retractionum capite 42. dicit impium dei gratia iustificari, per quam naturā hominis liberatur & regitur. Tum etiam in Epistola ad Innocentium papam, De Pelagio, asserit Pelagianos existimasse per legem se iustificari, sufficere sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est iustitia sua prolata ex natura humana, non donata ex gratia diuina: contra quos non minus militat illud Pauli testimonium quā aduersus Iudaeos, ignorantes dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiae dei non sunt subiecti. Idem ad Bonifacium contra Pelagianos: Quid enim debet esse iocundus, vel infirmis gratia qua sanantur, vel pigris gratia qua excitantur, vel nolentibus gratia qua iuuantur? Et libro 9. de Genesi ad litteram capite 18, in quo ostendit peccatores per gratiam dei saluos fieri, ita de eadem re scribit: Nam quod attinet ad naturam iniqua sua voluntate deprauatam, recursum per semetipsum non habet, sed per dei gratiam, qua adiuuatur & instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est: Omnes qui ambulat in ea, non reuertentur. Dictum est enim secundum pondus iniquitatis suae, vt quod reuertitur qui reuertitur, non sibi tribuat, sed gratiae dei: non ex operibus, ne forte extollatur. Praeterea Chrysostomus homilia 9. in Epistola Pauli ad Hebraeos, ostendit hominem peccato foedatum per poenitentiae medicinam quam deus largitur, ad gratiam redire & reparari, vbi artificiose vim poenitentiae declarat: Poenitentia (inquit) multam habet fortitudinem, etiam in eum qui peccatis valde demersus est. Si voluerit, potest eum liberare ex onere peccatorum, & periclitantem in tuto constituere, ac si ad ipsum fundum iniquitatis peruenerit, & hoc ex multis manifestum est. Nunquid enim qui cadit (inquit) non resurget? aut qui auertitur, non reuertitur? Est ergo, si voluerimus conformari Christū in nobis iterum. Audi enim Paulum dicentem, Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus reformetur in vobis. Tantum intremus in poenitentiam, videamurque dei clementiam. Oportebat nos omni ratione puniri ab ipso initio, quia & legem accipientes naturalem decem millibus bonis fruentes, dominum nostrum ignoramus, & vitam immundam viximus, & non solum non puniuit, sed etiam multa bona largitus est, tanquam si multos labores perferimus. Et iterum excidimus, & neque sic puniuit, sed dedit poenitentiae medicinam, qua possit omnia peccata nostra delere & exterminare, tantum si consideremus hoc medicamentū quale est, aut qualiter oportet apponere. Quale ergo est istud medicamentum poenitentiae, & qualiter conficitur? Primo exculpando propria peccata, Iniquitatem (inquit) meam non celauit, & pronuntiabo aduersus me iniquitatem meam domino, & tu abstulisti impietatem cordis mei. & iterum, Dic iniquitates tuas prius, vt iustificeris. & iterum, Iustus seipsum accusat in initio sermonis. Secundo autem ex humilitate multa, sicut enim series quaedam aurea, si initium sumpserit, omnia consequentur. Si enim confessus fueris peccatum tuum, sicut oportet confiteri, humiliatur anima. Conscientia quippe ea, ad se conuertens, humilem eam facit. Oportet autem & alia addere humilitatis, si talis erit, quale beatus David sciebat, dicens: Cor contritum & humiliatum deus non spernit. Quod enim contritum est non erigitur, non percutit, sed ad mala patiendum, paratum est, ipsum verò non erigitur. Talis est etiam contritio cordis, siue enim iniurietur, siue patiat, silet, & non impellitur ad vindictam. Post humilitatem autem oratione opus est, intentis lachrymis multis per diem & noctem: Lauabo (inquit) per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo, in gemitu meo, & iterum, Quia cinerem sicut panem comedi, & potum meum cum fletu miscebam, Post orationem autem sic intentam, opus est eleemosyna multa. Medicamentum enim fortius, quod maxime operetur in poenitentiam hoc est, & sicut in praecipis medicinae, & adiutorijs est medicamentum, multas quidem herbas accipiens, vnam autem dominantissimam: sic & in poenitentia ista herba dominantior & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. Audi enim quid dicit diuina scriptura: Date eleemo-

Roman. 10.

Prouerb. 2.

Chryosto.

Hierem. 8.

Galat. 4.

Psal. 37.

Esaie 43.

Prouer. 18.

Psal. 50.

Psal. 6.

Luca 11.

Proueb. 15. Synam, & erunt vobis omnia munda. & iterum: Eleemosynis & fide mundantur peccata. & Ignem inflammatorum extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata magna. Et homilia 22. Ad populum, nos monet, vt summam adhibeamus diligentiam post lapsum reuertedi ad eum, qui semper paratus est nos à scelerum luto erigere: cuius gratia, vt à peccato mundemur, plus habet momenti, quam liberum arbitriū: Nemo (inquit) debet dormire solē cernens, faciamus igitur fructus poenitentiae dignos, sicut scriptum est. Et sicut est in aqua baptizari facile, sic & facile animā poenitere. Non habuit opus tempore latro, martyres in momento coronati sunt. Si vero venia indigna, & ad mortem peccauimus, salutare medicina habentes ne desperemus. Non enim cecidisse graue est, sed post lapsum non resurrexisse, fatanicū & perniciosum est. Vnde & bonus deus, & dominus noster clamabat: Nunquid resina non est in Galaad? vel medicus non est illic? Postea si corpus patitur, medicos vocamus, & herbas inquirimus, omnia mouemus, vt laesum membrum curemus: animam vero virijs laboratē negligimus, & nullam magis propriae partis rationem habemus. Timeamus enim qui potest & animam & corpus in gehennam perdere, & ante tormentorum tempus venire, proijciamus nos ipsos in mare miserationum dei, dicentes: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Stetit enim bonus pastor deus, vt eriperet nos ex ore leonis prius quam ipse nos absorberet, clamat & nunc, dicens: Fili peccasti? ne adicias ulterius. Nunquid cadens non resurgit? vel auertens non conuertitur? Conuertimini filij auersi, & sanabo contritiones vestras. Non mentitur Iesus, dicens: Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluem mundum. Tantum poenitentiam agamus, non enim vult mortem peccatoris, quātum vt conuertatur & viuat. Non sic infans amator dilectam suam amat, vt deus poenitentem animam, vel reuocans dicit: Et post haec omnia dixi, conuertere ad me. Talis domini clementia, neminem ad se currentium auerſi, & sanabo contritiones vestras. Hodie si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra, si enim medicus contumelia affectus ab eo qui curatur, adiuueta non negligit, non aegrotantem vlciscitur, quanto magis animarum medicus nostrarum? Solum ne de nobis ipsis desperemus. Athleta namque saepe lapsus, postea victor effectus est, & miles vulneratus, & curatus, circa finem non vulneratis probator apparuit. Mercatorum multi ad inopiam redacti, rursus effecti sunt diuites, & naufragiū passi, rursus post naufragium negotiati reuixerunt. Nunquid enim nobis deus ignem parauit? Non, sed diabolo & angelis eius. Tantum ne nobis ipsis ignem accendamus. Audientes itaque, ite ad lumen ignis vestri, & flammæ, qua exusti fuistis: nullus est morbus, quem medici remedium sanare non possit. Sed dicitis, perfectam non possum agere poenitentiam. Si non potes sol fieri, fias vel stella duntaxat. Tantum ascende super terram, incipe lucidis æmulari syderibus. Melius est te vel pauca habere merita, quam omnino nullum habere. Poculum frigidum tibi Christus computat, infirmum visitare, & in carcerem simul descendere. Si enim verborum & cogitationum poenas damus, quanto magis iustificationum mercedem non amittimus? licet vilissima sint quæ fiunt. igitur modicum temporis laboremus, ne bonis excidamus æternis.

CAPVT IX.

Nuptiae sunt licitæ. Non possumus efficacius desumere argumentū ad stabiliendam hanc Assertionem, quam ex sacris literis, & primam matrimonij ac nuptiarum institutionem, in Genesi descriptam, commemorabimus, in qua legimus, Adam domini instinctu dixisse post formationem Euae ex costa ipsius, Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. His verbis pulchre depingitur arctissimum amicitiae vinculum inter virum & uxorem, quod licet honorē & pietatis officia parentibus impendere debeamus, vbi tamen non possumus simul præstare obsequiū patri & uxori, debemus relicto patre succurrere uxori & ei

adhære. Nam per consummationem matrimonij fit vna caro ex viro & uxore, nec minus debemus nostram uxorem diligere quam nosmetipsos. Hoc autem primum matrimonij institutum Christus in memoriam reuocauit, cum à Phariseis Euangelicam veritatem calumniantibus fuit interrogatus, Si nam liceret homini dimittere uxorem suam quacūque ex causa? quibus respondit, & subdolum eorum tentationem elusit: Nō legistis (inquit) quia qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam nō sunt duo, sed vna caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Hæc enarrans Hieronymus dicit Phariseos contendisse vt Christum cornuto tenerent syllogismo, & quodcūque responderet, captioni pateret. Si dixerit dimittendas esse uxores qualibet ex causa, & ducendas alias, pudicitiae prædicator sibi videbitur docere contraria. Si autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegij reus tenebitur, & aduersus doctrinam Moysi, ac per Moysen dei facere iudicabitur. igitur dominus sic responſionem temperat, vt decipulam eorum transeat, scripturam sanctam adducens in testimonium, & naturalem legem, primamque dei sententiam secundæ opponens, quæ non voluntate dei, sed peccantium necessitate concessa est. Deinde dicit de inseparabili viri & uxoris coniunctione: Deus coniunxit, vnā faciendo carnem viri & foeminæ, hæc homo non potest separare, nisi forſitā solus deus. Homo separat, quādo propter desiderium secundæ uxoris primam dimittit. Deus separat qui & coniunxerat, quādo ex consensu propter seruitutem dei, eo quod tempus in arcto sit, sic habemus uxores quasi non habētes. Eiusdem est sententiæ Chrysostomus, in suis ad eundem locum explicandum commentarijs: O singularem (inquit) Phariseorum arrogantiam, putarunt se posse quaestionibus os illius obstruere. At qui rerum experientia, quanta hoc in genere sua virtus esset, ostenderat, vt quando de sabbato multa differuerunt, quando quasi blasphemantem redarguebant, quando daemonium habere asseriebant, quando transeuntes per fata discipulos reprehendebant, quando de illotis manibus disputabant: in his enim omnibus, oribus eorū confutis, & impudenti lingua repressa, confusi abiire, non tamen omnino desistunt. peruicax sanè malum inuidia est, & millies reſusa aggredi non veretur. Tu autē quanta malitia interrogat, diligenter attende. Non enim dixerūt, iussisti iam non esse repudiandam uxorem. Nam quamuis esset hac de re prius locutus, nullam tamen horum verborum illi mentionem faciunt, verūm putantes maioribus huic eum insidijs posse capere, & studentes in repugnantiam eum deducere, non dicūt cur sic & sic legem sanxisti? sed quasi nihil hac de re dictum esset, quaerunt, oblitum eum iam existimantes, paratque si licere dixisset, sua sibi opponere: sū verò propria confirmasset, legi Moſaicæ repugnantem ostendere. quid igitur Christus? Nō statim dixit, Cur me tentatis hypocrita? Quare sic? vt cum omnipotentia sua humilitatem quoque monstraret. Ideo nec semper hæc silentio tradit, ne ignotā ipsi malitiam suam putarent: nec semper carpit, vt cuncta mansuete ferre discamus. Quoniam igitur pacto respondet? Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? Et dixit, propter hoc homo relinquet patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna: quare nō sunt duo, sed caro vna. Quod igitur deus coniunxit, homo non separet. Vide magistri sapientiam, qui cum interrogatus esset, si liceret: ne conturbarentur, antequam sententiā proferret, confirmationē à scriptura posuit, ostendens dei & patris omnium, id esse mandatum. Et quia his quæ prius sibi dicta de non repudianda erant uxore, non modo non repugnat, verumetiam valde cum Moſe conuenit. Cōsiderandum autem est, quia non autoritate solum scripturæ, verūetiam rerum dignitate, sententiā suam corroborat. Non enim dixit, quia virum & mulierem vnā solummodo fecit, verumetiam, quia iussit vt vnus vni coniungatur. Nam si voluisset alterā etiam concludi uxorem, vni viro creato, multas conformasset mulieres: nunc verò vt crea-

tionis, & sanctionis modo, vnam vni perpetuo cōiungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit, audi quomodo dicit: Qui fecit à principio, masculum & fœminam fecit eos. Ex vna radice germinarunt, & in vnum corpus cōuenerunt. Erunt enim duo, in carne vna. Deinde terrorem his intulit, qui hanc sanctionem legis carpere auderent. Nam vt fixa stabiliorque lex permaneret, non dixit, nolite igitur vos diuortio separare, sed quod deus cōiunxit, homo non separet, quod si auctoritate Moysi tutaris, ego tibi non Mosem, sed deum produco, vt vetustate præterea temporū superior sim. Deus enim à principio masculum & fœminam fecit eos. Hæc ergo lex, & si modo à me promulgari videatur, diligentissime tamen à principio temporum sancita est. Hæc etiam nō simpliciter mulierem viro collocari videtis, sed patrem & matrem dimittendos iuberi: nec ad mulierem accedere virum simpliciter voluit, verumetiam conglutinari, potestate dictionis ostendens minime illos esse separandos. Nec illud sibi solum sufficit, sed maiorem coniunctionem ostendit, cum dicat: Et erunt duo in carne vna. Deinde prisca iam perfecta lege, quæ tam verbis quam rebus firma persistit, & auctoritate latoris nititur, magna iam cum potestate ipse quoque & interpretatur, & legem sanxit, dicens: Quare non sunt duo, sed caro vna. Quæ admodum igitur scelus est in duo diuidere vnam carnem, sic & mulierem à viro suo diripere, iniquissimum est. Nec in hoc stetit, sed demum quoque attulit, dicens: Quod igitur deus coniunxit, homo non separet. Ita ostendit & præter naturam, & contra legem esse repudium: præter naturam quidem, quia caro inciditur: contra legem autem, quia cum deus coniunxerit ac iusserit non separare, ipsi contra præcepta dei facere ausi estis. Idem sublime mysterium differens Hylarius Canone decimonono, in Matthæum, nō putat verba illa, Relinquet homo patrem & matrem, & cætera, ab eodem dici in Genesi, & in Euangelio Matthæi, In eo (inquit) sermone, qui de vxore & de repudio est, occurrit illud aliter scriptum esse in Genesi, quàm nunc in præsens dominus sit locutus. Illic enim sub verbis Adæ res omnis refertur, hic dominus indicat ab eo qui & hominem figurauerit, & mulierem fecerit, omnia illa dicta esse. Sed nos secuti apostolicam auctoritatem, qui hoc mysterium grande esse professus sit, se autem in Christo atque in Ecclesia accipere, locum hunc sicuti est intactum relinquamus. Admonemus tamen legentem, vt quotiescunque de hac eadem quæstione se consulat, verborum virtutes & quibus dominus responderit, & quibus discipuli vsi sint, diligenter aduertat. Pauli autem apostoli de hoc affectum vel silentis, vel interdum sub alijs locis tractantis expendat. Hæc ille. Nihil video esse dissidij, in illis scripturis. Non enim pugnant hæc, Adam diuino afflatus spiritu dixit, Relinquet homo patrem & matrem, & cætera. Et deus idem, per suum famulum, & propheticum oraculum loquutus est. Ex eo putat Paulus ad Ephesios, virum debere relictis suis parentibus, adherere suæ vxori, quia vir debet diligere vxorem suam vt corpus suum: & qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Et tandem concludit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Vides ne Paulum nō solum nuptias commendare, sed & nuptiarum sacramentum, quod coniunctionem Christi cum Ecclesia representat, & idcirco pulchrè addidit, dico autem in Christo & in Ecclesia. Explicans Hieronymus locum hunc, sacramentum hoc magnum est, dicit: Non vt plerique existimant, omnis historia quæ de Adam, & de Eva in Genesi scripta est, ad Christum & ad Ecclesiam facile referri potest, sed tantummodo quod in præsentem loco ponitur, id est, propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adheret vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Primus enim homo, & primus vates Adam, hoc de Christo & Ecclesia prophetauit, quod reliquerit dominus noster atque saluator patrem suum deum, & matrem suam cælestem Hieru-

Hylarius.

Ephes. 5.

Hieronymus.

salem, & venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam, verbum caro factum sit. Et quia non omnia sacramenta æqualia sunt, sed est aliud sacramentum maius, & aliud minus, propterea nunc dicit: Sacramentum hoc magnum est, simulque humilitatis eius indicium est inferentis: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Gregorius Nazianzenus, vir valde eloquens, & in scripturis apprime eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere: Vide quantum istius capituli sacramentum sit, vt apostolus in Christo illud & in Ecclesia interpretans, non se ita asserat, vt testimonij postulabat dignitas, expressisse, sed quodammodo dixerit, scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, & diuinum cor quærat interpretis. Ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interim illud, & in Ecclesia intelligendum puto: nō quo aliquid Christo & Ecclesia maius sit, sed quod totum quod de Adam & de Eva dicitur, in Christo, & in Ecclesia interpretari posse, difficile sit. Hæc ille. Nobis & aliubi patrocinator Paulus ostendens nuptias esse licitas: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Alterum consilium alteri præfert, qui libidinis æstu & incēdio adurit, & vix à desiderijs carnis sibi continere potest, cū virginitatem suam matrimonio connectit, vt sobolē ad honorem dei procreet, bene facit. Nam sanctum est matrimonium, & eius excellens sacramentum: qui autem toto sui ingenij studio nititur deo placere, & sanctissimum habet propositum suæ virginitatis tuendæ, quam non vult coniugio connectere, melius facit. Sed audi quæsto, quantum idem doctor, laudis & honoris putet deferendum esse nuptijs: Honorabile (inquit) connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros iudicabit deus. Quod si honorabile sit coniugium, & thorus immaculatus, mihi videtur toto celo errare Lutherus, dicens debiti coniugalis vsus semper esse annexum peccato: quæsi verò homo non possit duce ratione vsus venerium moderari. Hæc enarrans Theophylactus, dicit: Aduerte quoties de continentia hic disseruit. Nam & superius cum sanctimoniam meminisset, hisipsis vtitur verbis, & rursus vsurus est cum de fornicatoribus & adulteris dissereret, in omnibus inquit: non quia nuptiæ ætate prouectioribus minus conueniant, adolescentulos verò admodum deceant, sed cunctis ait honori sunt. Vel in omnibus, hoc est quibusuis modis & quouis tempore. Nec quidem quia moerentibus & afflictis connubium illud sit honorabile, otiantibus verò & prosperis in rebus agentibus minime. Nec quia alteram in partem honoratius sit, in alteram verò nequaquam, sed passim & cunctis in rebus honore est dignum. Nunc seorsum discussis sacrarum literarum testimonijs, Ecclesiasticorum doctorum monumenta præter illa quæ iam adducta sunt, excutiemus. Beatus Chrysostomus homilia prima, in psalmum quinquagesimum, ostendit nuptias esse licitas, & quando potissimum opus est coniugio ijs, qui fornicationis periculum, & damnum cupiunt euitare: Concupisti (inquit) forsitan meretricem, & peccasti, facere quidem non debueras. Sed si cupis agere pœnitentiam, quod maxime debes: quia & damnum seculi sentis, & animæ detrimentum, ne adicias peccatum super peccatum. Et forsitan dicis: Quomodo me abstinere possum? Dabo tibi consilium: Vxorem habes, licita vtere voluptate: si non habes, expedit nubere, quàm fornicari. Sed non possum, inquis, me continere. Hoc pusillanimitatis est, & negligentiæ tuæ, qui dei præcepta cōtemnere malles quàm facere. Quod si ostendero tibi alium, nec vxorem habentem, nec fornicantem, sed sobrium, & pudicum, quam habebis excusationem? Et ille quidem in pelago huius seculi nullo quassatur naufragio, & tu in portu constitutus ad naufragium demergeris. Habes vxorem, fornicaris: magis autem moecharis. Et quomodo (inquit) possum incontinuas vincere passionem? fruere vxore, quia præcepit beatissimus Paulus, dicens: Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Si ergo allicuerit te meretricis aspectus &

Gregorius
Nazianzenus

1. Corint. 7.

Hebræ. 13.

Lutherus.

Theophyl.

Chrysostom.

fermo, reuolue intra temetipsum huius præcepti sententiam, & dicit: Quoniam vir sui corporis potestatem non habet. Verbum hoc scribe in facie tua, & dicit meretrici, Quid me vocas? Non est meum corpus, sed vxoris meæ, nec audeo prode-
dere. Alienum dotis eius non poteris mutare, neque facultates eius impendere, & quomodo audebis corpus eius fœda polluere macula? Dicit ei, debitum hoc vxoris, non tuum: dicit ei, timeo Christum, quoniam membra hæc de corpore sunt Christi. Audiant ergo & mulieres, & timeant, & intelligant vbi hoc mandauerit Christus, & dicant: Quoniam mulier sui corporis non habet potestatem, sed maritus. Scio multas mulieres per bonã conuersationem lucrificasse viros suos, & castitatis exemplo prouocasse ad pudicitiam, & prudenti consensu non reliquisse viros suos. Quod si tu abstines sine illius voluntate, tribuis illi fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. Quid melius est, vt tu illi debitum reddas, aut illa quod tibi debet, alibi perdat? Concessio tua non est inhibita, illius verò prohibita, corpus enim vnum estis: cum alieno autem si dormierit, perdidit membra sua. Considerate fratres, beatissimi Pauli pietatem, qui tanquam clementissimus medicus ingressus cubiculum, & quasi residens dat salubre consiliũ, sciens fragilitatem humanam, dicit: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus. Propterea (inquit) accepisti vxorem, & tu accepisti maritum, vt inuicem consentiatis, & pari consilio quod melius est, eligatis. vis abstinere? summum est quod cogitas. Noli inuidere viro tuo, persuade illi vt habeas duas coronas, vt non incontinentia & castitas virginum, sobrietas & luxuria, habeant contentionem. Si enim tu abstines, ille verò inflammatur libidine corporis, recordare Pauli sententiam dicentis: Ne fornicaberis. Statim turbatur, & tanquam inter duos scopulos positus naufragium sustinet nauis, cui portus clauditur. Nolite ergo fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus. Etenim vbi pax est, ibi omnia prosperabuntur. Et enarrando illum Pauli locum nuper citatum: Honorabile connubium, & thorus immaculatus, dicit: Sed videamus nunc qualiter honorabiliores esse nuptias in omnibus dicat, & thorum immaculatum. Quoniam videlicet in sanctitate pudicitie facit conseruare fidelem. Hic etiam Iudæos pulsat, qui pollutum putabant coniugalem cubitum, & dicebant ex lecto coniugis surgentem, mundum non posse constare. Non est igitur pollutum quod ex natura conceditur, ò ingratis-
simum & insensatissimum Iudæi, sed quod ex praua voluntate descendit. Nam si honorabiles quidem sunt nuptiæ, mundæ etiam sunt. Cur itaque ex eis pollutionem fieri existimas? Et ex subsequentibus de fornicatorum poena, fornicatores & adulteros (vt inquit Paulus) iudicabit deus, vnã cum ijs quæ antecedunt, sic ratiocinatur: Si enim connubium concessum est, iuste fornicator supplicijs afficitur, iuste puniuntur adulteri. Hic aduersus hæreticos dimicat. Adde quod enarrando verbum domini ad Esaiam: Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus, laudat matrimonium, Ita ne (inquit) filium habebat propheta? Si filium habebat, habebat & vxorem, vt intelligas non esse malas nuptias, sed malam esse scortationem. Sed quoties cum quibusdam de vulgo differimus, dicentes: Cur non recte viuus? Quamobrem non præstas mores absolutos? Qui possum, inquit, nisi diuertam ab vxore? nisi vale dixerò liberis? nisi valere iussero negotia? Quamobrem? Num obstat matrimonium? Adiutrix tibi data est vxor, non infidiatrix. An nõ habebat vxorem propheta? Neque tamen spiritus gratiæ obstabat coniugium, sed cum vxore conuictum habebat, & erat nihilominus propheta. Mo-
ses nõne vxorem habebat? Et tamen is perram dirupit, aerem immutauit, cum deo colloquebatur, diuinam iram cohibuit. Abraham nõne habebat vxorem? Et tamen pater factus est gentium & Ecclesiæ. Sustulit enim filium Isaac, & hic illi fuit egregiorum facinorum materia. Nõne obtulit filium, coniugij fructu? Nõne fuit pater, & idem amans dei? nõne licuit videre sacrificiũ è suis visceribus fieri? sacrificiũ inquam simul & patrem? vinci naturã, vincere pietatem, viscera con-

Esaiæ 7.

Gene. 17.

Gene. 22.

culcari, piæque facta superare: dei amantem & dei amatem coronari? An non vidisti totum, & filij amantem & dei? Nunquid hic obfuit matrimonium? Quid autem Machabæorum mater, nõne vxor fuerat? nõne septem filios addidit sanctorum choro? Nõne vidit illos martyrio coronatos? nõne veluti spectatrix astabat, nihil animo labascens? nõne astabat obtestans illorum vnumquemque, & mater martyrum, septies ipsa martyrium præstitit? Dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. Neque enim adeo sine affectibus quæ gerebantur spectabat, mater erat, & naturæ illata vis, propriam virtutem declarabat, at illa non vincebatur: mare quidem erat & vnda: ceterum sicut mare quum insanit, sedatur: ita & natura commota, metu dei refrenatur. Quomodo eos aluit? quomodo eos vnxit? Quomodo septem templa deo exhibuit? statuas aureas, imò potius auro pretiosiores? Neque enim tale quippiam est aurum, qualis anima martyrum. Stabat tyranus, atque ab vna muliere superatus discedebat: ille armis oppugnabat, hæc animi promptitudine superabat: ille fornacem incendebat, hæc virtutem spiritus: ille exercitum mouebat, hæc ad angelos applicabat animum. Videbat inferne tyrannum, & in animo versabat illum in supernis regnantem: videbar infra se tormenta, ac numerabat superna brabia: videbat præsentem cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem. Si nos spectaremus non ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur, nõquid obstaculi adferret matrimonium? Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen philosophis obturauit os, ille qui græcicam sapientiam nõ aliter quàm araneorum telam dissoluit, qui terrarum orbem peragravit, qui fagenam misit in mare, & piscatus est orbem? Quid autem ait Euagelium? ingressus est Iesus ad focum Petri febricitantem. Vbi focus, ibi & vxor, ibi & coniugium. Quid autem Philippus, nõne quatuor habebat filias? vbi verò quatuor filiarum, illic & vxor & matrimonium. Quid igitur Christus? à virgine quidem natus est, verum ad nuptias accessit, ac donum attulit. Non habent (inquit) vinum, & aquam veritatis in vinũ: virginitate nuptias honorans, dono id quod fiebat commendans: vt ne abomineris nuptias, sed oderis scortationem meo periculo: nam ego spondeo tibi salutem, etiam si vxorem habueris. Prospice tibi ipsi, mulier si proba fuerit, adiutrix tibi est. Quid igitur si nõ fuerit commoda? Fac illam commodam. An non fuerunt vxores bonæ simul ac malæ? ne haberes excusationem. Qualis erat illa Iob? Sed Sara erat bona. Ostendam tibi mulierem, & malam & improbam, neque tamen nocuit viro: vxor Iob praua erat, & improba suavit illi vt blasphemias proferret. Quid igitur? Labefactauit turrim? deiecit adamãtem? superauit petram? depulit militem? comminuit scapham? eradicauit arborẽ? Nihil horum, sed illa impellebat, & arbor reddebatur stabilior: illa fluctus excitabat, & nauis nõ submergebatur, sed secundo nauigabat vento: fructus eius decerpebatur, & arbor commota non est: folia deciderunt, & radix mansit immota. Hæc loquor, ne quis excuset vxoris improbitatem. Mala est, corrige eam. Sed ais, è paradiso me expulit: verum eadem te in cælos induxit. Eadem quidem natura, mens tamen diuersa. Sed illa Iob erat mala, verum Susanna bona: sed illa Aegyptia erat impudica, verum Sara erat modesta. Vidisti illam, vide & hanc: quandoquidem etiam inter viros, hi quidem mali sunt, illi verò boni. Bonus erat Ioseph, seniores autem impudici: vidisti omnibus in rebus vitium ac virtutem, nõ natura diiudicari, sed animo distingui. Hæc ille. Nec solum nuptiæ sunt licitæ ad vitandam fornicationem, nam hic nuptiarum finis est secundarius, sed etiam ad procreandam prolem, quam parentes debent educare in cultu & honore vnus dei, & hic filius est primarius. Adferam in publicum, quæ de nuptiarum commendatione scripsit Augustinus, in primis libro secundo retractationum, capite quinquagesimo tertio, dicit aduersus Pelagianos qui ei imposuerant quod nuptias dānasset, se scripsisse duos libros de nuptijs & concupiscentia, in quibus nuptiarum bonitatem defendit, ne putaretur earum esse vitium concu-
hij.

2. Mach. 7.

Matth. 8.
Acto. 1.1.
Ioan. 2.

Augustinus

1. Corint. 7.

Gene. 1.

1. Timot. 5.

Roma. 7.

piscencia carnis, & lex in membris, repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene
 utitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. Siquidem libro primo, capite ter-
 tio, asserit pudicitiam coniugalem esse donum dei, & id ex beatissimo Paulo probat
 dicente ad Corinthios: Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnu-
 quisque proprium donum habet à deo, alius quidem sic, alius verò sic. Ecce & hoc
 donum esse dixit à deo, et si inferius quàm illa continentia in qua omnes volebat
 esse sicut seipsum, tamen donum à deo. Vnde intelligimus cum hæc præcipiuntur
 ut fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis oportere ad hæc accipiēda & habē-
 da etiam propriam voluntatem. Cum verò dei dona esse monstrantur, à quo pe-
 tenda sint, dicitur, si non habentur: & cui sint agendæ gratiæ, si habentur: nostrasq;
 voluntates ad hæc expetenda, sumēda, retinenda, parum valere, nisi diuinitus adiu-
 uentur. Quid ergo dicimus quando & in quibusdā impijs inuenitur pudicitia con-
 iugalis: vtrum eo peccare dicendi sunt, quòd dono dei male vtantur, non id refe-
 rentes ad cultum eius à quo acceperunt: & deinde concludit: Absit ergo pudicum
 veraciter dici, qui non propter deum verum, fidem connubij seruat vxori. Et capi-
 te quarto, idem pertractādo negotium, dicit: Copulatio itaque maris & feminae ge-
 nerandi causa, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono male vtitur, qui bestia-
 liter vtitur, vt sit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.
 Et capite quinto reprehendit illos qui damnant nuptias, profecto (inquit) errant
 qui cum vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur: quasi morbus iste
 de connubio sit, non de peccato. Nonne illi coniuges primi quorum nuptias bene-
 dixit deus, dicens: Crescite & multiplicamini, nudi erant & non confundebantur?
 Cur ergo ex illis membris cōfusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens mo-
 tus: quem nisi homines peccassent, proculdubio nuptiæ non haberent. Tum etiam
 libro secundo, de peccato originali contra Pelagium & Cælestium, capite trigesimotertio,
 ex illo loco: Nullus est mūdus à forde peccati, nec infans, cuius est vnus
 dici vita super terram, asserit inimicos matrimonij & honesti coniugij sic argu-
 mentari & colligere, Ergo malum sunt nuptiæ, & nō est opus dei, homo quem ge-
 nerant nuptiæ. quasi nuptiarum bonum, sit morbus concupiscentiæ, in quo vxores
 diligunt, qui ignorant deum, quod Apostolus prohibet: ac non potius pudicitia cō-
 iugalis, qua in bonos vsus ordinatæ filios procreandi redigitur libido carnalis: aut
 verò possit esse homo nisi opus dei, non solum qui de coniugio, verumetiam qui
 de fornicatione, vel de adulterio procreatur. Sed in hac quaestione, vbi quaeritur,
 non cui rei creator, sed cui saluator sit necessarius, nō intuendum est quid boni sit
 in procreatione naturæ, sed quid in peccato mali: quo certum est vitiatam esse na-
 turam, simul autē vtrunque propagatur, & natura & naturæ vitium: quorū vnus
 est bonum, & alterum malum: illud de conditoris largitate sumitur, hoc de origi-
 nis damnatione attrahitur: illi est causa bona voluntas dei summi, huic mala vo-
 luntas hominis primi: illud indicat deum creaturæ institutorem, hoc indicat deum
 inobediētiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum fa-
 ctor est hominis, propter hoc sanādam factus est homo. Et capite trigesimoquar-
 to, dicit: Bonum ergo sunt nuptiæ in omnibus, quæ sunt propria nuptiarum. Hæc
 autem sunt tria: Generandi ordinatio, Fides pudicitia, Connubij sacramētum. Pro-
 pter ordinationem generandi scriptum est: Volo iuniores nubere, filios procreare,
 matres familias esse. Propter fidem pudicitia, vxor nō habet potestatem sui corporis,
 sed vir: similiter & vir nō habet potestatem sui corporis, sed mulier. Propter cōnu-
 bij sacramētum, quod deus coniunxit, homo non separet. Propter hæc omnia, hono-
 rabiles nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus. in quantum enim nuptiæ bonæ
 sunt, in tantū faciunt plurimum boni, etiam de libidinis malo: quoniam libidine non
 bene vtitur libido, sed ratio: libido autē est in illa, quam vocat apostolus repugnā-
 tem legi mētis, inobediētium lege membrorum. Ratio verò bene vtens libidine,
 ipsa est in lege nuptiarum. Nam si nullum de malo bonum fieri posset, nec deus ex

adulterino concubitu hominem conderet. Sicut ergo adulterij damnabile malum,
 quando & inde homo nascitur, non imputatur deo, qui certe in opere hominum
 malo, facit ipse opus bonum: ita quicquid est pudendum in membrorum illa ino-
 bedientia, de qua erubuerit, qui post peccatum folijs ficulneis eadem membra te-
 xerunt, non nuptijs imputatur, propter quas concubitus coniugalis non solum est
 licitus, verumetiam utilis & honestus. Sed imputatur peccato inobediētiæ, cuius
 hæc poena est cōsecuta, vt homo inobediens deo, sua quoq; sibi inobediētia mem-
 bra sentiret, de quibus erubescens quòd non ad arbitrium voluntatis eius, sed ad
 libidinis incentiuum, velut arbitrio proprio mouerentur, quæ pudenda iudicauit,
 operiēda curauit. Non enim confundi debuit homo de opere dei, aut villo modo
 fuerat creato erubescenda, quæ instituēda visā sunt creatori. Itaque nec deo, nec
 homini, illa simplex nuditas displicebat, quando nihil erat pudendū, quia nihil præ-
 cesserat puniendum. Et capite trigesimoquinto, exprimit nuptias fuisse etiam ho-
 norabiles maxime non præcedente peccato: Essent (inquit) proculdubio nuptiæ e-
 tiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam causam viro adiutorium, non
 alius vir, sed femina facta est. Et illa dei verba, Crescite & multiplicamini, non est
 damnandorum prædictio peccatorum, sed fecundatarum benedictio nuptiarum.
 His enim deus ineffabilibus suis verbis, id est, diuinis rationibus, in suæ sapientiæ,
 per quam facta sunt omnia, veritate viuētib; vim seminis indidit primis homi-
 nibus. Si autem peccato nō fuisset dehonestata natura, absit vt opinemur tales fu-
 turas fuisse nuptias in paradiso, vt in eis ad prolem feminandam non natura volū-
 tatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, sed
 æstu libidinis membra genitalia mouerentur: nec sicut nunc sit, virginitatis inte-
 gritas ad concipiendos fœtus, vi turbidi vitaretur ardoris, sed obsequeretur impe-
 rio tranquillissimæ charitatis. Et eo modo non esset dolor & cruor virginis concum-
 bentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parientis. Hæc ideo non credun-
 tur, quia in ista mortalitatis cōditione in experta sunt. In deterius quippe vitio mu-
 tata natura, non inuenit primæ illius puritatis exemplum. Sed fidelibus loquimur,
 qui nouerunt credere diuinis eloquijs, etiā nullis adhibitis ex parte veritatis exem-
 plis. Ad hæc, capite trigesimo octauo ostēdit aduersus aliquorum deliria, nuptialem
 congressum per seipsum omnino, & non in cōparatione fornicationis, esse bonum:
 Nuptialis (vt ait) concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa
 procreandorum fieri filiorum, per seipsum profus non in cōparatione fornicati-
 onis est bonus: qui tamen propter corpus mortis quod nondum est resurrectio-
 ne renouatum, sine quodam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non
 potest fieri, tamen ipse concubitus, non est peccatum, vbi ratio libidine vtitur ad
 bonum, non superatur ad malum. Idem libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, ca-
 pite sexagesimotertio, ostēdit duabus de causis nuptias esse bonas: causa filio-
 rum, & compescendæ fornicationis obtentu: prima secundæ præferenda est. & ca-
 pite sexagesimo septimo, ita scribit aduersus Hierachitas & Manichæos, Malas ve-
 rò dicere nuptias, vel fornicationi comparandas, aut stupro: cibos quoque credere
 malos, vel malitias causare percipiētibus, non est Christianorum, sed proprie Hie-
 rachitarum & Manichæorum. Et libro vno de fide, Ad Petrum diaconum, capite 3.
 asserit deū in primis hominibus instituisse coniugium, & benedixisse, propter quod
 apostolus ait: Honorabile connubiū in omnibus, & thorus immaculatus: Ideoq; ser-
 uī dei in eo q̄ coniugia non habent, non nuptiarum bonum, crimē esse existimant;
 sed continentiam iugem bonis nuptijs meliorem esse non dubitant. Isto quàm ma-
 xime tempore, quando dicitur de cōtinentiā: Qui potest capere capiat. De nuptijs
 verò dicitur: Qui se non continet, nubat. in vna enim ratione virtus exoritur, in
 altera infirmitas remedio subleuatur. Idem scribit capite quadagesimosecundo.
 Et libro nono de Genesi ad literam capite septimo, dicit: Neque enim quia incon-
 tinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est
 h. iij.

Matth. 19.

1. Corin. 7.

bonum, imò verò non propter illud malum culpabile, est hoc bonum: sed propter hoc bonum, veniale est illud malum: quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quòd bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquã potest. Hoc autem tripartitum est: fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur: in prole, vt amãter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas. Et libro vno de bono coniugali, capite vigesimoquarto, declarat in quibus bonum nuptiarum consistit, dicens: Bonum igitur nuptiarum per omnes gètes atque omnes homines, in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nephas est etiam repudio intercedente, alteri nubere, dum vir eius viuít, nec saltem ipsa causa pariendi. Quæ cû sola sit, qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanete. Generationis itaque causa fieri nuptias Apostolus ita testis est: Volo (inquit) iuniores nubere. Et quasi ei diceretur. Vt quid? continuo subiicit, filios procreare, matres familias esse. Ad fidem autem castitatis illud pertinet. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Ad sacramenti sanctitatem illud, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt: proles, fides, sacramentum. Item Ireneus libro primo aduersus hæreses Valentini & similia, capite trigésimo, reprehendit Saturninum, & Marcionem & qui eis adhæserunt, quòd damnauerint nuptias, frustrantes antiquam plasimationem dei, & oblique accusantes eum, qui & masculum & fœminam, ad generationem hominum fecit. Præterea Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, probat ex illis Pauli verbis, Vnusquisque proprium donum habet ex deo, alius quidem sic, alius autem sic, nuptias esse donum dei, minus tamen dono virginitatis. Quoniã (inquit) in Ecclesia diuersa sunt dona, concedo & nuptias, ne videar damnare naturam. Simulque considera, quòd aliud donum virginitatis sit, aliud nuptiarum. Si enim eadem esset merces nuptiarum & virginum, nunquam dixisset post præceptum continentiæ, sed vnusquisque proprium donum habet ex deo, alius quidem sic, alius autem sic: vbi proprietates singulorum est, ibi altrínsecus diuersitas. Concedo & nuptias esse dei donum, sed inter donum & donum, magna diuersitas est. Et in apologia pro libris aduersus Iouinianum ostendit planè aduersus suum inimicum & calumniatorem, se nunquam damnasse nuptias: Virginitati (inquit) posset officere, si nuptias post virginitatem & viduitatis castimoniam, non in gradu tertio poneremus. Nunc autem cum hæreticorum sit damnare coniugia, & dei spernere conditionem, quicquid de laude dixerint nuptiarum, libenter audimus. Ecclesia enim nõ damnat matrimonia, sed subiicit: nec abiicit, sed dispensat, sciens in domo magna non solum esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & alia esse in honorem, alia in contumeliam. Et quicumque se mundauerit, cum futurum esse vas honorabile & necessarium, in omne opus bonum præparatum. Quicquid inquam de laude dixerint nuptiarum, libenter audimus. Laudari nuptias, libenter audimus, & nuptias condemnamus? Ecclesia matrimonia nõ damnat, sed subiicit, Velitis, nolitis, maritus subiicitur virginitati & viduitati. Ecclesia nuptias, sed nuptias in suo opere permanentes, subiicit, non damnat: nec abiicit, sed dispensat: in potestate vestra est, si velitis secundum pudicitie gradum scandere. Et in 5. caput Epistolæ Pauli ad Ephe-

1. Timot. 5.

1. Corint. 7.

Ireneus.

Hieronymus

1. Corint. 7.

2. Timot. 2.

fos dicit hæreticos putasse omnes omnino nuptias repudiandas esse, & hoc vel maximè vtuntur testimonio: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata: quibus tamè breuiter respondet, passiones hic & immunditiam & luxuriam ab apostolo inter maritum & vxorem vetari, non sanctam coniunctionem. alioquin si coniugium omnino prohibebat, quid necesse fuit dicere, vxores vestras; cû potuerit dicere: Viri diligite mulieres vel vxores vestras enim proprie matrimonium sonat: Et rursum in sequentibus, Et viri debent diligere vxores suas, sicut sua corpora. & adhuc manifestius, Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquã suam carnem odit, sed nutrit & fouet eam, quia secundum edictum legis antiquæ, & instaurationem Euangelij, maritus & vxor vna caro efficiuntur. Liberorum ergo vt diximus, in matrimonio opera concessa sunt: voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnata. Hoc legens omnis vir & vxor intelligant sibi post conceptum, magis orationi quàm connubio feruendum. Et quod in animalibus & bestijs ipso naturæ iure præscriptum est, vt prægnantes ad partum vsque non coeant: hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, vt merces esset ex abstinencia voluptatum. Et enarrando illum Malachiæ locum: Vos autem recessistis de via, dicit illos declinare ad dextram, qui condénant nuptias. Insuper Ambrosius libro primo de virginibus, eiusdem est sententiæ: siquidem exponendo quod dicit Paulus ad Corinthios, Qui matrimonio iungit virginem suã, bene facit: & qui non iungit, melius facit: & in hunc modum scribit, Illa non peccat si nubat, hæc si non nubat, æterna est: ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis: illa nõ reprehenditur, ista laudatur. Conferamus si placet bona mulierum cum vltimis virginum, iactet licet fœcundo se mulier nobilis partu, quo plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat. Qualia sunt vota quæ flentur? Concipit & grauescit. Prius vtique impedimentum fœcunditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit & ægrotat. Quàm dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quàm voluptati? Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenscam nutriendi molestias, insituenti, & copulandi? Felicitum sunt istæ miseræ: habet mater hæredes, sed auget dolores. Nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant. Vide mi soror quàm graue sit pati, quod non oportet audiri. Et hæc in præfenti seculo, venient autem dies quãdo dicant, Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt: filia enim huius seculi generantur, & generant: filia autem regni abstinere à voluptate viri, & à voluptate carnis, vt sit sancta corpore & spiritu. Sed dicet (inquit) aliquis, Ergo dissuades nuptias? Ego verò suadeo, & eos damno, qui dissuadere conserunt, vt pote qui Saræ ac Rebeckæ, & Rachel, cæterarumque veterum coniugia fœminarum pro documentis singularium virtutum recensere soleam. Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductam per successio-num seriem, generis societatem damnat humani. Nam quemadmodum duratura in seculum ætas succedere posset ætati, nisi gratiam nuptiarum procreandæ studium sobolis incitaret? Aut quomodo prædicari potest quòd immaculatus Isaac ad altaria dei victima paternæ pietatis accessit, quòd Israel humano situs in corpore deum vidit, & religiosum populo dedit nomen, quorum originem damnat? Vnum sanè licet sacrilegi homines habent, quod in his etiam à sapientissimis probetur: qui coniugia damnando profitentur, ipsi non debuissent nasci. Non vtique dissuadeo nuptias, si fructus sacre virginitatis numero. Paucarum quippe hoc munus est, illud omnium. Nec potest esse virginitas, nisi habeat vnde nascatur. Bona cum bonis comparo, quo facilius quid præstet, eluceat. Neque meam sententiam afferro, sed eam repeto, quàm edidit spiritus sanctus per prophetam: Melior est (in-

Ephef. 5.

Ephef. 5.

Malach. 2.

Ambrosius.

Tertullian⁹ quit)sterilitas cum virtute. Item, Tertullianus libro primo, ad vxorem, dicit nunquam se legisse, in sacris scripturis prohibitas esse nuptias, cuius verba sunt hæc: Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Quia ratione vtriusque pronuntiationis inspecta, facile dinoscitur, necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. ¶ Nec solum primæ nuptiæ sunt licitæ, verumetiam & secundæ, ne quis falso putet quæ adduximus solum probare, primas nuptias esse licitas. Et ex doctrina pauli nitentur probare secundas nuptias esse licitas. Mulier (inquit) alligata est legi, quanto tempore vir eius viuuit: quod si dormierit vir eius, liberata est: cui autem vult, nubat, tantum in domino. Intueris ne Paulum, nec prohibere secundas nuptias, nec dissuadere: permittit viro cuius prima vxor defuncta est, ducere secundam, permittit etiam & vxori cuius primus maritus decessit è vita, nubere secundo, modo sit fidelis: & est quod dicit, in domino: scilicet in cultu & religione vnus & eiusdem dei, quem suspiciunt & adorant vir & vxor: optimum tamen dat consilium, vt non rursus nubat, sed castitatem vidualem sancte & religiose conseruet: & quæ prius tantopere studuerat viro placere, nunc det operam vt refrenata libidine, & extincto incontinentiæ incendio, deo optimo & maximo munde seruiat & ei placeat: Beatior (inquit) erit si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum dei habeam. Tum etiam, Beatus Chrysofostomus homilia decimanona, in primam Pauli ad Corinthios Epistolam, dicit Paulum secundas permittere nuptias. Beatus etiam Ambrosius enarrans illa Pauli verba, in eandem descendit sententiam: Cum dicit (inquit) nubat, lege loquitur naturali, quanquam à deo primæ nuptiæ sint, secundæ verò permittæ sunt. Denique primæ nuptiæ sub benedictione dei celebrantur sublimiter, secundæ autem & in præsentia carent gloria, concessæ sunt autem propter incontinentiam, & quia solent viduatum iuniores incurere, ac per hoc concedit secundas. Sed quia melius est, vt se contineat, vt dignior sit in futuro, consilium dat spiritali ratione præcipuum, vt se contineat. Et libro vno de viduis, dicit: Neque verò si qua in secundas nuptias inciderit (quas vtiq; apostolica præcepta non damnât) quasi fructu pudoris amisso, si rursus soluta fuerit viro, ab affectu viduitatis arcetur, habebit illa quidem vel seræ meritum castitatis, sed probatior erit quæ alterius non fuerit experta coniugium: in illa enim eminet studium castitatis, huic aut senectus, aut pudor modum videtur fecisse nubendi. Nec ab hac opinione digreditur Augustinus libro vno, de fide ad Petrum Diaconum, capite tertio, dicens: Quia semper ægritudini consulendum est, propterea si cui primo contigerit priuari coniugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si cas caste seruauerit, id est si vnus & vna legitime duntaxat coniuncti, fidem seruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa viro præter maritum vllatenus misceatur: in talibus etsi fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. Sed hæc illorum sunt, qui nullam vouerunt continentiam deo. Et capite quadragesimo secundo, dicit secundas & tertias nuptias esse concessas pro eorum infirmitate qui se continere non possunt. Et libro vno de bono viduitatis, capite quarto, excutiendo Pauli verba de secundis nuptiis, iam à nobis citata, dicit secundas nuptias non damnari, sed inferius honorari. Paulus siquidem existimat illam vxorem fidelem quæ rursus nubit, esse beatam, beatiorum vero si in sua viduitate permanserit. Beata erat Ruth, sed Anna beatior, & sicut bonum sanctæ virginis non damnat vnas nuptias, ita nec viduitas cuiusquam secundas. Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Nouatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus non sapientibus etiam Tertullianus inflauit, dum secundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit.

¶ Decertabit aliquis probando nec primas nuptias esse licitas nec secundas. Putat Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, finem nuptiarum esse mortem, fructum vero sanctificationis, qui vel ad virginitatem, vel ad continentiam pertinet, vita pensari æterna. Et in epistola ad Gerontiam viduam de monogamia, dicit eos non posse habere pudicitia libertatem, qui seruiunt dominatui nuptiarum. Et ibidem exponens illud Pauli verbum, Melius est nubere quam vri: existimat nubere quodammodo non esse bonum, quia præfertur malo. Et libro primo aduersus Iouinianum, eandem Pauli sententiam excutiendo, dicit nuptias non esse per se bonas: Tolle (inquit) ardorem libidinis, & non dicet, melius est nubere. Melius enim semper ad comparisonem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni, velut si dicit: Melius est vnum oculum habere, quam nullum. Melius est enim vno inniti pede, & alteram partem corporis baculo sustentare, quam fractis cruribus repere. Et paulo post introducendo Paulum loquentem, dicit: Vbi de continentia loqueris & virginitate: Bonum est (ais) homini mulierem non tangere, & bonum est eis si sic permanserint vt ego, & puto hoc bonum eis esse propter instantem necessitatem, & quia bonum est homini sic esse: vbi ad nuptias venis, non dicis bonum est nubere, quia non potes iungere quam vri, sed dicis: melius est nubere quam vri. Si per se nuptiæ sunt bonæ, noli illas incendio comparare, sed dic simpliciter, bonum est nubere. Eiusdem est sententiæ Tertullianus lib. i. ad vxorem. Videtur & damnare secunda coniugia, enarrando in Matthæum verba hæc: Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculinum & foeminam fecit eos? Dicendo (inquit) masculinum & foeminam, ostendit Christus secunda vitanda coniugia. Non enim ait, masculinum & foeminas, quod ex priorum repudio quærebatur: sed masculinum & foeminam, vt vnus coniugis confortia necerentur. Et in Apologia pro libris aduersus Iouinianum, dicit Christum semel iuisse ad nuptias quæ factæ sunt in Cana Galilææ, vt doceret semel esse nubendum. Diuus etiam Chrysofostomus in quadam homilia de Inuentione sanctæ crucis, confert secundas nuptias secundum rei veritatem fornicationi, cuius verba referam: Apostoli (inquit) permiserunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum: nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est, secundum veritatis autem rationem, vere fornicatio est. Et in secundis in Matthæum commentariis, qui Chrysofostomi nomine circumferuntur, ijs ad ditum est, sed dum permittente deo publice & licenter committitur, sit honesta fornicatio. ¶ Diluendæ sunt rationes ex Hieronymo & Chrysofostomo adductæ, verius illorum testimonia. Non ex eo finis nuptiarum, mors censetur, quod reiiciendæ sint nuptiæ, sed quia anxia & immodica sollicitudo in coniugali thoro hominem enecat & à contemplandi studio auocet. Et etiam propter tribulationem carnis, videtur nuptiarum finis esse calamitas & hominis interitus, quandoquidem dicit Paulus: Etsi nupserit virgo non peccauit, tribulationem tamen carnis habebit huiusmodi. Etiam difficile est in coniugali congressu ab ardore libidinis sibi temperare. Nec immerito dicit Paulus: Bonum est homini mulierem non tangere, quia (vt dicit Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum) in tactu est periculum, quasi qui illam tetigerit non euadat, quæ virorum pretiosas animas rapit, & ignem in sinu gerit quo exuraris. Occurrit & mihi alia ratio, quare nuptiarum finis videtur esse mors: Quia vir & vxor genitis liberis, anxii torquentur curis, ardent & immodica sollicitudine congerendarum diuitiarum, vt suos alant liberos, & familiam nutriant. Mire etiam studet vxor placere viro, & plerunque à sancto religionis studio distrahitur. Nec ex eo scribit Hieronymus eos qui dominatui nuptiarum seruiunt, non posse pudicitia libertatem habere, quod nullo modo possint tueri libertatem pudicitia: quandoquidem si moderata libidine vtantur, nec tam geniali thalamo delectentur, quam quod ex mutuo illo congressu eduxerint liberos ad laudem dei, poterunt pudicitia libertatem retinere. sed id à Hieronymo dictum est, quia seruietes nuptiis, difficile tueri possunt pudicitia libertatem: & longe minus quam virgines & vere viduæ, quæ

sedatis ipsius carnis fluctibus, deo se consecrarunt. etiā Hieronymi verba non præ-
tendunt eos quorum ratio libidini in congressu coniugali imperat, non posse pudici-
tiae libertatem habere: sed cum dominatui nuptiarum seruiunt, vt non tam ratio
imperet quàm nuptiæ. Nec vult ille dicere, nuptias nullo modo esse bonas, eo quod
præferuntur malo: sed nubere, non videtur simpliciter esse bonum, cum præfertur
fornicationi aut ei confertur, quamuis sit bonum & licitum. Sunt tamen nonnul-
li qui Hieronymi sententiam non recipiunt, quod dixerit nuptias non esse simpli-
citer & per se bonas: eo quod seclusa causa deuitandæ fornicationis vbi quis subi-
gavit incontinentiæ stimulos, adhuc (vt diximus ex doctrina Augustini) nuptiæ es-
sent bonæ & licitæ, & earum finis optimus, scilicet proles. Et in illis reperirentur hæc
tria: Fides, Proles, & Sacramentum. Sed Hieronymus vt conijcio, vult innuere nu-
ptias non esse per se bonas cum incendio comparantur, & finem secundarium ac
remotum attendendo, scilicet ad effugiendam fornicationem. Deinde cum dicit
Christum his verbis, Masculum & feminam fecit eos, ostendisse secunda coniugia
esse vitanda, minime vult lectorem illis verbis concipere abijciendâ prorsus & con-
temnendam digamiam: sed quod nobis consuluerit Christus vt à secundis nuptijs
nobis contineremus. Quod & consulit Paulus, dicens: Beator erit si sic permanse-
rit. Et ista docuit Christus cum semel interfuit nuptijs in Cana Galilææ, quæ dicuntur
fuisse Ioannis Euangelistæ, quem à nuptijs nondum consummatis, ad virginitatem
& perpetuum calibatum reuocauit, semel esse nubendum: ne quis illecebrosa car-
nis têtigine, & molestijs diuexetur, sed post primas nuptias in castitate viduali per-
maneant: licet non sit ei prohibitum secundas inire nuptias, cum ob fragilitatē con-
tinere non possit, quod lepide & scite docet Hieronymus in epistola ad Gerutiam,
de monogamia, dicens: Vult Apostolus omnes esse sicut seipsum, & ea cogitare quæ
dei sunt, & solutos nequaquam vltra alligari. Sed si labentes per incontinentiam
ad barathrum stupri viderit peruenire, digamiam porrigit manum, vt cum vna ma-
gis quàm cum pluribus volentur. Quod nequaquam vt amarè dictum, & contra
Apostoli regulam secundus nuptiator exaudiat. Duæ enim sunt Apostoli volunta-
tes: vna quæ præcepit, Dico autem in nuptis & viduis, bonum est illis si sic perman-
serint, sicut ego. Altera quæ indulget, Si autem non se continent, nubant. Melius est
enim nubere quàm vri. Primum quid velit, deinde quid cogatur velle, demonstrat.
vult nos permanere post nuptias sicut seipsum, & proposita beatitudinis Aposto-
licum ponit exemplum. sin autem nos viderit nolle quod ipse vult, incontinentiæ
nostræ tribuit indulgentiam. Nunc occurrendum est auctoritati Chrysostomi quæ
videtur innuere, secundas nuptias esse fornicationem secundum rei veritatem. Et
primum referam quid de hac auctoritate sentiant nonnulli, dicentes Chrysosto-
mum de illo locutum qui viuente prima, secundam ducit: sed mutila, & detorta est
hæc interpretatio. Notissimum est enim Chrysostomum nunquam id seminaisse.
Nā dicit apostolus secundas concessisse nuptias, quæ non dicuntur secundæ, nisi pri-
mæ extinctæ fuerint, & desierit vinculum primi matrimonij. quod si Socrates vi-
uente sua prima vxore, ducat secundam, non desijt primi matrimonij vinculum,
neque adhuc solutum est primum coniugium: quare absurde dicuntur secundæ nu-
ptiæ, si primæ non fuerint diremptæ. Dico igitur Chrysostomum intellexisse secun-
das nuptias esse fornicationem non quidem simpliciter, cum sit verum matrimo-
nium: sed quantum ad causam, scilicet concupiscentiâ, quæ solet prouocare homi-
nem ad secundas nuptias, & plerunque fornicationem incitat. An diuinis Chry-
sostomum id à nobis similitudinis forma intelligi voluisse? quod quemadmodum
in scorto fornix diuidit suam carnem in plures, ita quodammodo quæ secundo nu-
psit diuisit & partita est suam carnem in plures, respectu primi & secundi viri: non
quod in secundo coniugij fœdere dissecet suam carnem in plures, & sui corporis co-
piam pluribus faciat: nam vna vni iungitur: sed quod considerando duo coniugia
diuiserit carnem suam in plures, licet nec in primo coniugio fuerit hæc diuisio nec

in secundo: idcirco dicunt nonnulli viri doctissimi, secundum matrimonium primo
comparatum, non esse simpliciter perfectum sacramentum: quia primum omni-
no fuit vnus ad vnum, repræsentans coniunctionem Christi cum Ecclesia: non au-
tem absolute secundum, eo quod vxor iterato matrimonio, censetur pluribus nu-
pisse. tamen secundum coniugium in se consideratū, est verum matrimonium &
verum sacramentum, repræsentans cōiunctionem Christi & Ecclesiæ. Nam fœdus
illud est vnus vxoris, vniūsq; viri copulatio.

CAPVT X.



Non licere vesci carnibus, error est Tatianorum & Eucratitarum.] Ta-
tiani (auctore Augustino, libro vno de Hæresibus, Ad quod vult deū) Augustinus
à Tatio quodā instituti sunt, qui & Eucratitæ appellati sunt, ij non ve-
scuntur carnibus, sed eas omnes abominantur. Hanc autem absurdissi-
mam & pestilentissimam Assertionem oppugnabimus, cum ex vete-
ris testamēti, tum noui scripturis. Dicit dominus ad Moysen, quæ filijs Israel suo no-
mine debebat indicare: Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per fa-
milias & domos suas, sin autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescendū
agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui eius iuxta numerum a-
nimarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Hæc sacra scriptura manifeste do-
cet dominum præcepisse filijs Israel, vt comederent agnum: quod si carniū esus
esset immundus, & illicitus, nullo pacto à domino deo præciperetur. Præterea deus
præscribens leges eorum, quæ comedere poterant filij Israel, per Moysen loquitur,
dicens: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ, o-
mne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis. Et eandem
quoque sententiam in Deuteronomio replicat, dicens: Hoc est animal quod come-
dere debetis, bouem & ouem, capram & ceruum, capream, bubalum, tragelaphum,
pygargum, orygem, camelopardalum. Omne animal quod in duas partes findit vn-
gulam & ruminat, comedetis. Sed quoniam impij Manichæi vetus testamētum di-
lacerant & rejciunt, perperam dicentes illud à quodam deo malo esse factum; ideo
noui testamēti scripturis eandem subuertemus opinionem. Dicit Paulus ad Roma-
nos: Scio & confido in domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui exi-
stimat quid commune esse, illi cōmune est. Commune hic vocat Apostolus, cibum
immundum, & diuina lege prohibitum. Sicut dicit Petrus apostolus: Commune &
immundum nunquam manducaui. Deinde subnectit Paulus: Omnia quidem munda
sunt, sed malum est homini qui per offendiculum māducat. Hoc autē dicit Apo-
stolus, quia ad vitandum proximi scandalum, debet homo à carnibus abstinere. si-
cut alibi dicit, Si esca scandalizet fratrem meum, non māducabo carnem in æter-
num, ne fratrem meum scandalizem. Et in priori ad Romanos loco, ex quo vim ra-
tiocinandi desumere volumus, dicit: Qui autem discernit, si māducauerit, damna-
tus est, quia non ex fide. Tatianus ergo, & Manichæus, & Priscillianistæ, & Cathari
damnati sunt iuxta Pauli sententiam, quia manducantes discernunt cibos, putan-
tes aliquibus non esse vescendum. Origenes enarrans illum Pauli locum: Cōfido in
domino Iesu, quia nihil commune est per seipsum, dicit: Nihil enim in creaturis de
natura sui immundum est. Omnia nanque à bono deo creata bona esse constat &
munda, sed ei (inquit) qui existimat aliquid esse commune, ipsi commune est, hoc
est qui intentione cordis immundum aliquid cogitat, & obseruantiam diuersitatis
admittit, sicut & in consequentibus. qui autem discernit, si manducauerit damna-
tus est, quia non est ex fide. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Nec ta-
men in his distinctionem legis excludit, vt absolute diceret nihil esse commune aut
immundum eorum quæ lex definiuit immunda. Præmisit enim causas cur per se-
metipsum nihil cōmune dicatur: Scio (inquit) & confido in domino. In domino er-
go Iesu nihil commune per semetipsum, hoc est natura sui dicitur, sed illis (inquit)
qui existimant & qui putant aliquid esse commune, ipsis commune est. Et ne mire-

Augustinus

Exo. 12.

Leuit. 11.
Deuter. 14.

Roma. 14.

Acto. 19.

1. Corint. 9.

Origenes.

Roma. 14.

ris quod cogitatio mentis, cibum qui natura sui communis vel pollutus non est, faciat pollutum, cum e contrario cibum vere pollutum (vere enim pollutus est qui idolis immolatur) simplicitas mentis, & in cogitatione nulla scrupulositas iniecta, omni suspitione contaminationis absoluat. Adde quod apertius multo inuehitur Paulus in prima ad Timotheum epistola, in illos qui damnant & reiiciunt cibos, quos tamen deberet cum gratiarum actione fumere: Spiritus (inquit) manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, & cauteriatam habentes suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibus, quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus & his qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum dei & orationem. Illi sunt pseudoapostoli & hypocritæ vafri, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes. Illam Pauli philosophiam docte & abunde disserit Chrysostrus, homil. 12. in primam Pauli ad Timotheum epistolam. vbi ita loquitur: De Manichæis & Eucratistis, & Marcionistis, omnique illorum officina hic loquitur, quod scilicet recedent quidam à fide: Vides ut malorum omnium sit causa à fide discedere? quid sibi vult manifeste plane, aperte, indubitato. Nec (inquit) igitur mireris, si modo quidam à fide discedentes, adhuc Iudaica superstitione detinentur. Tempus erit cum hi qui fidei participes sunt, istud maiore cum execratione facient, cum non modo ad cibos vsque perniciosum consilium inferent, verum nuptias quoque & huiusmodi cuncta damnabunt. Non de Iudæis hæc dicit, quo enim pacto locum haberet, quod sequitur: In nouissimis temporibus? & illud item, Recedent quidam à fide? Verum de Manichæis ac de huiusmodi erroris ducibus ea profectur. Spiritus autem erroris merito ipsos appellauit, quippe eiusmodi spiritibus afflati, ista locuti sunt. Quid est autem in hypocrisis falsa loquentium? Nempe ipsa quæ mentiuntur, non per ignorantiam, neque nescij, sed simulando loquuntur, cum certe veritatem non ignorent: verum cauteriata conscientia, hoc est vita flagitiosa sint. Cur autem solos istos hæreticos fore prædixit? cum Christus de alijs quoque prædixerat, dicens: Necessè est ut veniant scandala, rursumque futura zizania prænuntiauit. Tu velim Pauli prædictionem admireris, quippe ante tempora, quibus ista futura erant, ipsum indicat tempus. Noli igitur mirari (inquit) si modo quando initium accepit fides, ista quidam clam inferre conantur perdita dogmata, quandoquidem longo post tempore, cum firmissimis illa radicibus infixæ fuerit, plerique à fide recessuri sunt: Prohibentium (inquit) nubere, abstinere à cibus. Quid oro? num alias quoque hæreses tacuit? & ipsas profecto signauit, dicens: Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Neque enim iam tunc ista voluit humanis inserere animis, sed id tantum aperuit, quod iam initium coeperat, abstinere à cibus: Quos deus (inquit) creauit ad sumendum fidelibus, & agnoscentibus veritatem, infidelibus vero, necdum infideles erant, quando per leges sibi horum usus interdiceretur. Quid ergo? nonne deliciae prohibitae sunt? & nimis id quidem. Cur id si ad sumendum condita sunt? Quia & panem creauit deus, & tamen usus prohibetur immodicus: & vinum creauit itidem, atque eo immoderate vti prohibuit. non itaque delicias tanquam immundum aliquid cauere iubet, sed ut quæ si deferatur modus, vigorem animi soluant: Quia omnis creatura dei (inquit) bona est, nihilque reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Si creatura dei bona est, omnia enim bona valde, eo quod creaturam dei dixit, edulia cuncta signauit, iamque tunc hæresim iugulauit eorum, qui materiam ingenitam introducunt, atque ex illa facta esse hæc dicunt. Si igitur bona est, quid est quod ait: Sanctificatur per verbum dei & orationem? Non quia immundum est, ideo sanctificatur. Absit. Verum hoc in loco illos alloquitur qui communia quadam ex ipsis esse arbitrantur. Duo igitur capita ponit: vnum quidem, quod creatura nulla communis est: secundo, quod etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi crucis imprime, gra-

1. Timot. 4.

2. Timo. 3.
Chrysostr.

tias age, deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscellit. Num verò inquietus, & quod idolis immolatum fuerit, eadem possumus ratione mundare? Licet siquidem nescias idolothytum esse, sin vero sciens ac prudens illud percipias, immundus iam eris, non ideo quia idolothytum est, sed quod cum tibi imperatum sit, non communicare dæmonijs, per id communicasse cōuinceris. Itaque neque illud natura huiusmodi est, verum ex sententia tua, atque inobedientia immundum fit. Num suilla caro immunda est? non, si cum gratiarum actione percipitur, crucisque signaculo, ne aliud quicquam immundum est. Sola quippe volūtas erit immunda, quæ gratias non exhibet deo. Hæc ille. His cohærent quæ in Actis apostolorum scribit Lucas de visione Petri: Et cum esuriret Petrus, voluit gustare. Parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut lintheum magnum quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus: Absit domine, quia nunquam manducaui omne commune aut immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod deus purificauit, tu ne commune dixeris: hoc autem factum est per ter. Et statim receptum est vas in cælum. Hæc ibi. Et quis nescit Christum comedisse cum suis discipulis agnum paschalem? quod si carnes essent immundæ & illicitæ, Christus virtutum omnium exemplum, nunquam comedisset. Ad hæc, dicit Augustinus libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 67. Credere cibos esse malos, vel malitias causare percipientibus, non est Christianorum, sed proprie Hierachitarum & Manichæorum. Quod si cibi non sint mali, cum in vniuersum loquatur Augustinus, neque carniū esus erit malus. Et libro vno de Fide, ad Petrum Diaconum, capite 42. dicit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam dei bonam esse, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: & dei seruos qui à carnibus aut vino abstinent, non tanquam immunda quæ à deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo & potu pro sola castigatione corporis abstinere. Dic quæso, quid hisce verbis apertius dici possit? non enim (inquit) respuendæ sunt carnes tanquam immundæ, sed ab ipsis aliquando abstinere pro castigatione corporis, bonum est. Et libro secundo de Moribus Manichæorum, capite 14. idem suadet ex illo Pauli loco, Omnia sunt munda, sed malum est ei qui per offendiculum manducat. Et prorsus (inquit) credo vos istis epulis inquinari, eo ipso quo immunda esse arbitramini. ait enim: Credo & confido in domino Iesu, quia nihil commune per se ipsum, sed ei qui existimat aliquid commune esse, illi commune est. Cui autem dubium est, commune illum immundum & inquinatum vocasse? sed stultum est vobiscum agere de scripturis, cum & ratione pollicendo decipiatis, & eos libros in quibus magna est religionis autoritas, falsis capitibus immixtis corruptos esse dicatis. Ratione igitur mihi persuadete, quomodo vescentem carnes coinquinant, si sine vlla offensione, sine vlla infirma opinione, sine vlla libidine sumatur. Tum etiam libro vno contra Adimantum Manichæi discipulum, capite 14. dicit: De carne autem non manducanda, & non bibendo vino, quod ait Apostolus, non quia illa immunda arbitratus est, hoc præcepit, sicut isti existimant, & errantes in errorem præcipitant, quibus talia persuaserunt: sed cum ipse posuerit causam, cur hoc dixerit, non est nobis hæc interpretanda vel exponenda sententia. Sufficit enim ipsum de Apostoli epistola totum locum huic sermone contexere, ut & causa manifestius appareat, cur hoc Apostolus dixerit, & istorum fraus qui particulas quasdam de scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes quæ supra & infra scripta sunt, ex quibus voluntas & intentio scriptoris possit intelligi, & postquam caput 14. ad Romanos protulit, ex quo huiusce rei intelligentia pender, inquit: Nunquid eget cuiusquam interpretatione? ut intelligatur cur hoc Apostolus dixerit, & quanta illi malitia de scripturis certa quæque diserpunt, quibus circūueniant imperitos? Nam & munda esse omnia dixit Apostolus secundum fidem, & ei esse immunda qui putat

Acto. 10.

Augustinus

Roma. 14.

Ibidem

immunda, & tunc esse ab eis temperandum, cum per offensionem accipiuntur, id est cum aliquis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam: & ideo eum qui manducat potest arbitrari in honorem idolorum id facere, & ex eo grauius offendi, cum ipsa immolatitia caro, si ex fide a nesciente accipiatur, neminem maculet. Vnde alio loco idem Apostolus interrogare vetat, cum quid de macello emitur, vel ab aliquo in fidei quisquam vocatus in mensa eius exhiberi sibi carnes videt, quas isti immundas arbitrantur, non propter immolationem, sed quia carnes sunt, cum Apostolus clamet omnia munda esse, & omnem creaturam dei bonam esse, & omnia sanctificari per verbum & orationem: & tamen temperandum ab eis, si quis forte infirmus offenditur. Et libro 14. de Ciuitate dei, capite 5. dicit: Non est opus in peccatis vitis que nostris ad creaturam iniuriam carnis accusare naturam, quae in genere atque ordine suo bona est, sed deserto creatore bono, viuere secundum creatum bonum, non est bonum. Idem dicit libro vno de Continentia, capite nono. Praeterea Hieronymus exponens quod dicit dominus apud Malachiam prophetam: Vos autem recessistis de via: dicit illos declinare ad dextram, qui abstinent a cibis quos deus creauit ad vtendum. Et in illud Esaiæ locum, Excute de puluere: dicit excutiendo illud Pauli verbum: Qui in carne sunt, placere deo non possunt. Non quo carnis natura damnetur, cuius conditor deus est, in qua plurimi placuerunt deo, regnantque cum Christo: sed quo opera carnis damnentur. De quibus idem Apostolus loquitur: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Et in epistola ad Saluinam, de Viduitate seruanda, dicit: Procul sint a conuiujs tuis phasides aues, crassi turtures, attagen ionicus, & omnes aues quibus amplissima patrimonía auolant. Nec ideo te carnis vesci non putes, si suum, leporem, atque ceruorū, & quadrupedum animantium esculentias reprobas. Non enim haec pedum numero, sed suauitate gustus iudicantur. Scimus ab Apostolo dictum, Omnis creatura dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed idem loquitur: Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Et in alio loco: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Omnis creatura dei bona est. Audiant haec mulieres que sollicitae sunt quomodo placeant viris. Comedant carnes quae carni seruiunt, quarum feruor despumat in coitum, quae maritis alligatae, generationi ac liberis dant operam. Quarum vteri portant foetus, earum & intestina carnis impleantur. Tu vero quae in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quae litam purpuris & cerussa faciem, super feretrum eius lachrymis diluisti, quae pullam tunicam, nigrosque calceolos, candida vestis, & aurati focci depositione sumpsisti, nihil habes necesse aliud nisi perseuerare in ieiunio. Pallor & sordes gemmae tuae sint, plumarum mollities iuuenilia membra non foueat. Balnearum calor nouum adolescentulae sanguinem non incendat. Et libro primo aduersus Iouinianum, conferens esum carniū post diluuium, permissioni repudij, ostendit propter periculum scandali & pleraque alia mala, quae ex immodicis carniū illecebris & voluptatibus contingere possunt, abstinentiū esse a carnibus: Ab exordio (inquit) conditionis humanae, nec carnis vescibamur, nec dabamus repudium, nec praepudia nobis eripiebantur in signum. hoc cursu vsque ad diluuiū peruenimus. Post diluuiū autē cum dilatione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestae sunt ad vescendum, & repudia concessa duritiae, & cultellus circūcisionis appositus, quasi dei manus plus in nobis creauerit quam necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum & reuoluit ad a, & extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circuncidimur, nec comedimus carnes, dicit te Apostolo: Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere. Et vinum enim cum carnis post diluuiū dedicatum est. Haec ille. Cum dicit nullum potuisse implere legem veterem, intellige ex se solo, & quantum ad ceremonialia & iudicialia praepcepta, quorum multitudo onerabat Iudaeos, & oneratos premebat: non quod nullo modo potuerin Iudaei illa facere, sed quod illis erat admodum difficile adire.

Malach. 2.
Hieronymus
Esaiæ 52.

Roma. 8.
Roman. 7.

Roma. 14.

Ephes. 5.

plere. Expone syncerius illa Hieronymi verba, & tibi cedā. Nec existimo esum carniū omnino conferendum esse post diluuiū repudio concessio, quia ad duritiam cordis permittebatur repudium, non autē sic esus carniū, modo absque villo murmure, & cum gratiarum actione sumatur. Insuper accedit ad profigandam hanc haeresim Ecclesiae definitio. Concilium nanque Braccarense primum, capite 14. suo Decretorum sic definit: Si quis immundos putat cibos carniū, quas deus in vsu hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quia immunditiam putauerit, ita abstineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnis pergustet, sicut Manichaeus & Priscillianus docuerunt, anathema sit. ¶ At dices, In concilio ab apostolis Hierosolymae celebrato, cum de hac re fieret disputatio, sic lata est sententia: Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, vt abstineteis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodiētes vos, bene agetis. Verum haec non ostendunt non licere vesci carnis. Sed illa ab apostolis tunc prohibita sunt, & non quia ex se mala, aut quia lege diuina interdicta, vt dicit Alphonsus a Castro libro 4. aduersus haereses: sed prohibita sunt propter Ethnicos, qui de nouo couertebantur ad fidem. Iudaei enim maxime horrebant comedere immolata simulachrorum siue idolothya & suffocatum. Apostoli autem timentes ne Iudaei conuersi occasione cibi quem horrebant, separarentur a communione fidelium, praeeperunt fidelibus, vt ab illis cibis abstinerent, ne occasione cibi perderent fratres, quos forte ad dominū possent conuere a talibus cibis abstinendo. hoc autem ita esse facile conuincimus. Nam inter cibos illic annumeratos sunt immolata simulachrorum, de quibus Apostolus dicit esse licitū comedere, modo non sit conscientia idoli, id est dummodo hoc propter idoli reuerentiam non faciat, credens forte aliquid esse numinis in idolo. Sic enim ait in prima ad Corinthios epistola: De escis autē quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est deus nisi vnus. Nam si sunt qui dii dicantur, siue in caelo siue in terra (siquidem sunt dii multi & domini multi) nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum: sed non in omnibus scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polloitur. Esca autem nos non comendat deo, neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autē ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.

CAPVT XI.



Non licet quibuslibet cibis quolibet die indiscriminatim vesci. Iouinianus eodē dementiae, & infani erroris deuenit: vt teste Augustino libro vno de Haeresibus, Ad quod vult deum, capite 82. ab aliquibus cibis abstinentiam damnauerit. Hoc vitioso & putri fermento foedati sunt Valenses, Ecclesiasticarum sanctionum hostes infestissimi, qui tempore quadragesimae, carnes & oua & caetera ab Ecclesia vetita, comedebant. Hanc quoque haeresim amplexati sunt Lutherani, eamque nostris calamitosis & miseris temporibus fouent, qui omni feria sexta & sabbato, & diebus quadragesimae non abhorrent ab esu carniū. Horum omnium iam damnatam haeresim pro viribus refellemus. Et primum pro certo huius rei typo, quod abstinentiū sit a certis cibis, quibusdam praescriptis diebus: quod denique probandus sit ciborum delectus, vetus sumemus testamentum. Primis parētibus indicta est lex de ciborum delectu, quod scilicet omni fructu paradisi vescerentur, praeterquam fructu arboris scientiae boni & mali, & hoc praepcepto interdictus est vsus pomorū ligni vetiti. Est igitur huiusmodi lex rationabilis, vt quae exemplo diuinā auctoritatis innitatur. Etiam ante diluuiū abstinēbant homines a carnibus & piscibus, transacto autem diluuiū, carnes in cibum indultae sunt: cum hac tamen moderatione: quod carnem cum sanguine non comederent, vbi restrictionis lex indulgentiori illi concessio est adhibita. Quid

Matth. 19.

Concilium
Braccarense

Acto. 15.

1. Corint. 8.

Nume. 6.

igitur vetat quominus Ecclesia pro vtilitate Christianorum sanciat legem de ciborum delectu: Et in libro Numerorum talis describitur lex Nazaræorū: Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint domino cōsecrare, à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibēt: vvas recentes siccatq; non comedent cunctis diebus quibus ex voto domino consecrantur, quicquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsq; ad acinū, non comedent. Forsitā respondebit aduersarius, licitam fuisse in veteri testamēto talem ciborum abstinentiam, quia abstinentes ab huiusmodi cibis, deo præstabant obedientiam qui præceperat sibi voto cōsecratis, vt à talibus escis continerent. In lege autem euangelica non est obseruanda talis ciborum differentia, cum Christus ciborum omnium esum concesserit. sed hanc reiciemus solutionem: Non minus fuit licitus in veteri lege bouis & ouis esus, quàm in lege euangelica. Sicut enim omnes cibi nunc sunt permittiti: ita & tunc bos & ouis & capra, & alia animalia quæ ruminant, & vngulam habent diuisam, erant cōcessa. Sed non obstante tali ciborum indulgentia, tunc in veteri lege ante promulgationem Euangelij, quis licite ab illis cibis abstinebat: igitur & nunc. Minorem suadeo, Ioannes Baptista Christi præcircumspectissimus, cum adhuc sub lege antiqua viueret, ab illis abstinebat cibis, cuius esca erāt locustæ & mel syluestre, nec increpandus est, quod à carnibus abstinerit. Adde q̄ Ecclesia non minori autoritate præcellit, quàm apostoli præcelluerint: sed apostoli olim Hierosolymis cōgregati, prospicientes tranquillæ conuersationi eorum qui ex Iudæis & Gentibus conuertebantur, de quibusdam escis hoc tulerunt edictum: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato: ergo Ecclesia certissima Christianorum regula, potest decernere & pro causa rationabili statuere vt Christiani certis diebus, vt in vigilijs sanctorum, & in tota quadragesima à carnibus, & ab ouis abstineant. Et prudenter id præscribit, ne hominum libido carnibus accensa, in coitū illicitum despumet. Ad hæc Philo, vir siquidem suo tempore & apostolicus & sapientissimus, de Christianorum vita loquens, dicit vt eum citat Eusebius secundo libro Ecclesiasticæ historiæ, capite 17. Atque in ipsis diebus in terra recumbētes (sicut antiqui moris fuisse dicitur) vinum quidem nemo omnino ne gustu quidem contingat, sed nec quamlibet carnem, tātum autem aqua sit eis poculum, & panis cum sale vel hyssoपो cibus. Item Augustinus hac in re nobis fauet libro 2. de Moribus Manichæorum, capite 14. ostendens tribus de causis abstinentium esse à certis ciborum generibus, & ad id comprobandum adducit dictum Pauli: Bonum est fratres non manducare carnem, neque bibere vinum: Quasi (inquit) quisquam nostrum id bonum neget, sed aut eo sine secundum quem dicitur, Et carnis curam ne feceritis in concupiscentijs, aut eis quos rursus idem Paulus ostendit, id est, aut refrenandæ gula gratia, quæ his rebus solet rabidius immoderatiūsq; raptari, aut ne frater offendatur, aut ab infirmis idolo communicetur. Eo enim tempore quo hæc scribebat Apostolus, multa immolatoria caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam libabatur dijs Gentium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his vnalibus utebantur, penitus à carnibus se & vino cohibere maluerūt, quàm vel nescientes incidere in eam quam putabāt cum idolis cōmunicationem. Et in epistola ad Ianuariū de Ritibus Ecclesiæ, dicit proferendo illud Pauli: Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens & cōscientia, asserit Paulum voluisse vt refrenandæ carnalis concupiscentiæ causa à quibuslibet cibis nobis temperaremus. Cur igitur Ecclesia salutis hominum appetentissima, non poterit ad sedandas concupiscentiæ carnalis passiones, nobis præcipere vt à carnibus abstineamus? Nunquid præceptum illud Ecclesiæ sanctum & honestum moribus officit? nunquid scrutiat hominē & omnino extrenuat? Et multo apertius Ecclesiasticum huiusce rei institutum explicat libro vno de Ecclesiasticis dogmati-

Leuit. 11.

Deuter. 12.

Acto. 15.

Philo

Augustinus

Roma. 14.

Roma. 13.

Titum 1.

tibus, cap. 66. vbi ita scribit, Bonum est cibum cum gratiarum actione sumere, & quicquid deus præcepit, edendū est. Abstineri autē ab aliquibus non quasi à malis, sed quasi non necessarijs non est malū. Moderari verò eorū vsū pro necessitate & tēpore, proprie Christianorū est. Capite etiam 68. dicit non esse Christiani, sed Iouiniani, nil credere meriti accrescere abstinentibus à vino vel carnibus. Audiāt Lutherani quid hoc sibi velit, moderari eorum vsū pro necessitate & tempore Christianorū est, deniq; quod non sit malū abstineri ab aliquibus cibis, nisi omnino velint ecclesiasticas sanctiones deludere & contēptui habere. Tum etiam lib. 31. cōtra Faustum Manichæū, cap. 5. laudat carnis abstinentiā pro certo tempore, à qua primi parētes abstinerunt, & quidē edomandi corporis causa, & potissimum per quadragesimā. Præterea Toletanū concilium de Abstinentia ab esu carniū in quadragesimā, cap. 9. sic definit: Et etiam quicunq; quadragesimæ dies quæ anni totius decimæ putantur, quæ & in oblatione ieiunij domino consecrantur, quibus etiā saluberrime conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mūdi partibus, ad hanc homo religionē crediturus adducitur, & quatuor elementis formatur, & propter transgressionē Decalogi quatuordecies cōuenienter affligitur, illi qui temerarie hæc omnia contēnunt, nec voracitatis ingluuiem frenāt: & quod peius est, Paschalia festa illicitorū esum, perceptione prophanāt, quibus ex hoc adeo acerrime interdicitur vt quisquis sine inuitabili necessitate atq; fragilitate & euidentē languore seu etiā impossibilitate ætatis diebus quadragesimæ esum carniū præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis dominicæ, verū etiam alienus ab eiusdē diei sancta cōmunionē, & hoc illi cumuletur ad pœnā, vt ipsius anni tempore ab omni esu carniū abstineat gulā, quia à sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinā. Ostēdit & Thelephorus summus pōtifficis decretū, quod est in libro Decret. dist. 4. cap. Statuimus, fideles ex Ecclesiastico instituto astringi ad certū ciborū delectum aliquot anni temporibus: Has (inquit) septē hebdomadas (sex scilicet quadragesimæ, & septimā quinquagesimæ) omnes clerici à carne & delicijs ieiunēt, & hymnis & vigilijs atq; orationibus inhære, die noctūq; studeāt. Hæc ibi. Verū tamen quod de septima hebdomada tora, ieiuniorū quadragesimæ adijciēda, hic proponitur, non est in vniuersum nunc vtentium moribus approbatū, quod autē subiicitur de abstinentia à carnibus in quadragesimā, non solū clericos verum etiā & laicos vinculo obligatorio cōstringit. Item dist. 4. cap. Deniq; dicit beatus Gregorius scribēs ad Augustinū Anglorum episcopū: Par est autem, vt nos qui his diebus (quadragesimæ scilicet) à carnibus abstinemus, ab omnibus quoq; quæ semētina trahunt originē carnis, ieiunemus. à lacte videlicet, caseo, & ouis. Item dicit Leo papa quartus, vt scribitur de Cōsecrat. dist. 3. cap. de Esu carniū. De esu carniū apud nos vetustissima & non improbanda traditio semper est tenēda, vt à coenæ termino, quæ fit in principio noctis quartæ feriæ, quæ lucescit in quarta feria vsq; in diluculū quintæ feriæ, & similiter à coena noctis sextæ feriæ quæ lucescit in sexta feria, non imperite ieiunatio vsq; ad sabbati lucē quantū de diei parte aliquis ieiunare maluerit vel debuerit, protēdatur, vbi nomine ieiunationis abstinentia à carnibus tantū intelligi debet. Amplius testatur Canon ex cōcilio Aurelianensī depromptus: in tribus diebus rogationū continuo præcedētibus solennitate ascensionis dominicæ, etiā ex sanctione Ecclesiastica abstinentiū esse à carnibus, & præscripta illa sententia explicatur de Cōsec. distinct. 3. cap. Rogationes. Hoc verborum cōtextu, Rogationes id est Litaniae, ante Ascensionē domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium, in dominicæ Ascensionis solennitate soluatur, per quod tridui, serui & ancillæ ab opere relaxētur, quo magis plebs vniuersa cōueniat, quo triduo omnes abstineant, & etiā quadragesimalibus cibis vtantur. ¶ At obijciūt aduersarij, Cum Christus suos misit discipulos ad diuulgandum Euangelium, dixit illis: In quantumque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius

Concilium
ToletanumThelephorus
summus papa.

Gregorius.

Leo papa.

Concilij Au
relianensī de
cretum

Luca 10. pacis, requiescet super illū pax vestra: si autem, ad vos reuertetur. In eadē autem domo manete, edentes & bibētes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua: nullo modo illic loquitur de ciborū delectu, sed vult saluator noster vt apostoli & apostolici viri fruantur indiscriminatim cibus, quos ipsis hospites suppeditant & offerunt. Huic respondeo obiectioni, Solū Christus illis verbis præcipiebat prædicatores Euangelij debere esse cōtētos cibo & potu oblato ab ijs apud quos diuersantur, neque ipsos debere lautiores, & deliciares exquirere epulas ab ijs quibus prædicant, quæ offerantur: quod ex Theophilo locū illum enarrantē suadere possum, qui ita ait: Quāuis modica existant, & vilia cibaria scilicet oblata, nihil amplius inquirentes: quæ sententia delectui ciborū non aduersatur. Etiam cum Christus instituit illam viuēdi formā ijs qui apostolica legatione fungebantur, nondum erant instituta illæ sanctiones ecclesiasticæ ad ciborum delectum pertinentes, sicut postea latae sunt ad refrenandam carnē, & ad syncerius deo inseruiendū, quare tunc non obstringebant fideles, nunc verò arctē astringūt. Et hanc sequitur interpretatiōe Clichoueus in opere Veritatum, cap. 8. Aliter responderi potest ijs quæ ex Lucæ Euāgelio adduximus, illa Christi verba non esse omnibus Christianis accommodanda, sed dūtaxat apostolis, nec etiā illis pro toto tēpore futuro sunt dicta, sed pro illo dūtaxat tēpore quo ad illud iter mittebātur, quibus tunc dicebatur, In viam gentiū ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorū ne intraueritis. postea dicitur: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euāgelium omni creaturæ. Et huic adhæret expositiō Alphōsus à Castro, lib. 4. aduersus hæreses. ¶ Acrius insultat: Dicebat Christus suis discipulis: Non quod intrat in os coinquinat hominē, sed quod exit de ore, illud coinquinat hominē. nō igitur carnes quibus vescuntur Christiani feria sexta, aut tēpore quadragesimæ, eos contaminant. Huiusce obiectionis dilutio, Carnium esus secundū suam substantiam & naturā, non labefactat neque polluit hominem, sed deprauata & plusquam arrogans sumētis voluntas, contra ecclesiasticā sanctionem vehemēter coinquinat hominē, & vbi præsertim effrenis concupiscētia pellicit animū ad transgredienda ecclesiastici instituti præcepta. ¶ Rurū congrēdiūtur: Dicit Paulus, Non est regnū dei esca & potus. Idem, Esca nos non commēdat deo. Et aliubi: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorū. Et iterum, Damnat Paulus pestiferā quorundam doctrinā, asserētium esse abstinendum à cibus quos deus creauit ad percipiendū cum gratiarū actione fidelibus & ijs qui cognouerūt veritatē, quia omnis creatura dei bona est, & nihil reiiciendū quod cum gratiarū actione percipitur. Et ad Titum dicit: Omnia mūda mundis, coinquinatis autē & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & cōscientia. His singulatim testimonijs responsio adhibetur, Fatemur in esca & potu (si secundū sui substantiam & natūā conditionē perpendantur) non esse regnū dei considerādum, neque vllis cibus metimur sanctorū felicitatem, sed obedientia, quæ circa vsū cibi & potus exhibetur deo & Ecclesiæ, nos ad regnū dei prouehit, inobediētia verò præceptorū dei & Ecclesiæ præuaricatrix, nos demergit ad inferos. Quod autem dicit Paulus ad Colossenses, quod nemo in cibo aut potu iudicādus est, intelligi debet de ritib⁹ & ceremonijs legis Mosaicæ, ad quas obseruandas Colossenses minime astringebantur. Sed quod ex prima ad Timotheum epistola adductum est, contra Tatianos, & Eucratitas, & Manichæos, vt in præcedēti capite ostēsum est, pugnat: qui temere asseuerabāt à carnibus abstinendum esse, quod suapte natura malæ essent, & à malo principio productæ. Aliter autē Ecclesia docet à carnibus esse certo tēpore præfinitisq; diebus abstinendum esse, scilicet ad ipsam carnis castigationē, aut si castigata fuerit, & non amplius ad la sciuiam & vitia petulascat, liberius & expeditius mens hominis ad syncerā dei contemplatiōē feratur. Omnia etiā sunt munda mūdis modo tempore debito sumpta sunt, & secundum eam legem & honestam viuendi regulam, qua sumi

Matth. 10.

Marc. 16.

Matth. 15.

Roma. 14.

1. Corint. 8.

Coloss. 2.

1. Timo. 4.

Titum 1.

debent. Si autem vetito tempore & contra Ecclesiastica sancita per contemptum & inobedientiam sumantur, immūda censentur quantum ad effectum, quoniam ex illa sumptione fumentis conscientia redditur immunda.

CAPVT XII.



Non est superstitiosum sed laudabile, accendere cereos & luminaria in honorem sanctorum.] Hanc ex Hieronymo aduersus Vigilantium Assertionem deprompsimus, qui ex receptissimo Ecclesiæ ritu eludit & oppugnat absurdissimum Vigilantij errorem, ecclesiasticum huiusmodi institutū subsannantis, Nunquid (inquit cachinnado) accenduntur cerei ad fugandas tenebras? & cuiusnam sunt vsui lampades accensæ? Huic viro mordacissimo respondet Hieronymus existimans Christianos accendere luminaria in honorem sanctorum & martyrum, tamen si ijsce obsequijs, & pijs officijs non indigeant. Et non vulgari similitudine ad id suadendum vitur: Causabantur (inquit) quondam & apostoli quod periret vnguentum, sed domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat vnguento, nec martyres lumine ce reorum: & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, deuotiōque mentis eius recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicēte Apostolo: Vnusquisque in suo sensu abundat. idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor omnes nos qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse, nō enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc deū colere non debemus, ne simili eum videamur, cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco derestandū est: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absq; martyrum reliquijs per totas Orientis Ecclesias quando legendū est Euāgelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non vtiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Vnde & virgines illæ euāgelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad apostolos dicitur, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus vestris. Et de Ioanne Baptista, ille erat lucerna ardens & lucēs. vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbū tuum domine, & lumen semitis meis. Malefacit ergo Romanus pontifex, qui super mortuorū hominū Petri & Pauli secundum nos oīa venerāda, secundum te vilem puluisculum offert domino sacrificia, & tumulos eorū, Christi arbitratu altaria? Et non solum vnius vrbis, sed totius orbis errant episcopi, qui cauponem Vigilantium contēnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus puluis viliissimus, & fauilla nescio quæ iacet linteamine cōuoluta, vt polluta omnia polluat, & quasi sepulchra pharisaica foris dealbata sint, cum intus immundo cinere iuxta te, immunda omnia oleant atque fordeant. Et post hæc de barathro pectoris tui cenosam spurcitiā euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ martyrum, & circunvolant eos, semperq; præsentēs sunt, ne forte si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint? O portentum in terras vltimas deportandum! rides de reliquijs martyrum, & cum autore huius hæreseos, Eunomio, Ecclesijs Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores eius basilicas apostolorum & martyrum non ingrediūtur, vt scilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quàm Euangelia, & in ipso credunt esse lumen veritatis, sicut aliæ hæreses Paracletum in Montanum venisse contendunt, & Manichæum ipsum dicunt esse Paracletum. Hæc ille. Nescio quale fuerit Erasmo in scholijs illius epistolæ iudicium, qui perperam interpretatus est mentē Hieronymi: Videtur (inquit) Hieronymus in hac esse opinione, vt putet superstitiosum, accendere cereos in honorem sanctorū luci, nec accendēdos nisi in solatium noctis: cum hodie præcipuus cultus sacrorū sit in cereis. Verūm apparet hanc cōsuetudinem eo seculo magis

Hieronym⁹

Matth. 26.

Roma. 14.

Matth. 25.

Lucæ 12.

Ioan. 5.

Psal. 118.

Erasmus.

toleratam fuisse, quàm comprobata, & multa commutat ætas. Hanc autem detortam interpretationem paucis refellemus, & saluberrima Antidoto venenatam Antidotum non tam curabimus, quàm reijciemus. Legant viri emunctæ naribus & acri iudicio quæ illic scribit Hieronymus, & planè cognoscent si nam velit dicere superstitiosum esse accendere cereos luci in honorem sanctorum. Primo laudat feruentissimam Christianorum deuotionem & sancta eorum officia, cum accendunt cereos in honorem martyrii. Deinde subnectit: Quicumque accendunt cereos, secundum suam fidem habent mercedem. Sed quis tam retuso est ingenio vt credat superstitionem, temporaneam aut æternam à deo promereri mercedem? Ad hæc, laudat Hieronymus, & laudado approbat honestissimam orientalis Ecclesiæ consuetudinem, quæ iubet cum legitur Euangelium, accendi luminaria etiam sole rutilante, & non in solatium noctis, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Nec potest nobis aduersari quod ex eodem Hieronymo in eadem epistola obijceret Erasmus parum huic Ecclesiasticæ institutioni tribuens. Cereos (inquit Hieronymus) non clara luce accedimus, verum est eo modo quo calumniatur Vigilantius & solum ad depellendas tenebras, nec etiam propter se accenduntur cerei, & cum sacra noctu celebrantur officia, accendimus cereos, vt noctis tenebras hoc solatio temperemus: nec solum hoc sine (quod tamen comminiscitur Erasmus Hieronymum id dixisse) accenduntur cerei, sed vt facris istis ceremonijs & exteriori cultu aperiamus fidem & deuotionem, quam erga sanctos officiose gerimus. Hæc etiam signum lætitiæ produnt. Nec verum est quod dicit Erasmus, quod scilicet hodie præcipuus cultus sacrorum sit in cereis, sed est in cultu vnus dei, & in veneratione sanctorum, ac receptione sacramentorum. Nec puto vulgus etiam imperitissimum ea laborare superstitione ac vana religione, & ea denique mentis insaniam agitari, vt credat syncerum diuinæ religionis cultum potissimum à ceremonijs pendere: sed satis decertatū est. Præterea dicit Augustinus libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 73. Sanctorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi mēbra syncerissime honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijsimo & deuotione fidelissima adendas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantius creditur. Hæc ille. Nec solum martyrum reliquias sancto & pu dico ore osculamur, sed & benedictis cereis & candelis honoramus ac colimus: vt etiam pro nobis martyres, quibus tantus honor exhibetur, deum exorent.

CAPVT XIII.

Non licet episcopalis honoris primatum appetere.] Hanc eruimus veritatem ex Augustino & Chrysofomo. Siquidem Augustinus exponens libro 19. de Ciuitate dei, capite 19. quod scribit Paulus ad Timotheum, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, dicit: In actione non amandus est honor in hac vita siue potētia, quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si recte atq; vtiliter fit, id est vt valeat ad eam salutem subditorū quæ secundum deum est. Propter quod ait Apostolus, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atq; inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit: curam eorum scilicet gerens. *ἐπι* quippe super, *σκοπος* verò intētio est: ergo *ἐπισκοπος*, si velimus Latine superintēdere possumus dicere, vt intelligat se non esse episcopū, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaq; à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò superior siue quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atq; administraretur vt decet, tamen indeceter appetitur. Quamobrē otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustū suscipit necessitas charitatis. Quam sar

Augustinus

1. Timot. 3.
Augustinus

cinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatē. Sed nec sic omni modo veritatis delectatio deferenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimatur ista necessitas. Hæc ille. Intrueris Paulum dixisse, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: non autem episcopalis honoris primatū. Nam præfectura & episcopalis honoris primatus nō caret fastu & ambitione. Plurimi sunt qui non tam experit episcopatum, quàm episcopalis dignitatis primatū. Nec dicendi sunt episcopi, nisi suo gregi summa cum diligentia incumbant & superintendant. quod si primarium illum honorem, primasq; dignitatis partes nummis sibi vendicent, potius dicendi sunt Ecclesiæ lupi quàm Episcopi, nequaquam à Scribarum & Phariseorum moribus degenerates, qui amabant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Ad hæc, Chrysofomus edisserens eundē Pauli locum, dicit: Non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est. Si quis hunc idcirco appetit, non principatus ac dominationis fastu, verū cura regiminis, & charitatis affectu non improbo, inquit: bonum quippe desiderat opus. Quippe & Moses eam rem appetisse cognoscitur, verum ille huiusmodi potentiam, ambitumq; dominandi nequaquam quæsiuit: sed eam rem ita cupiuit, vt illi diceretur: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Si quis igitur ita desiderat, desiderat bene. Episcopatus enim ex eo dicitur quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur. Et homilia 3. in Acta apostolorum, enarrando orationem apostolorum, de illo qui in locum Iudæ erat sufficiendus, Tu domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius & apostolatus, ostendit illos esse notandos qui principatum episcopatus affectant. Hos (inquit) & nos imitemur. Non iam omnibus loquor, sed his tantum qui principatum affectant. Si credis dei esse electionem, ne indigneris: illi enim indignaris, & aduersus illum irritaris, illius enim est electio: quod si ipse elegit, tu verò audes huic indignari, idem facis quod Cain. Oportet enim probare quod deo placuit. At ille quoniam prælata est victima fratris, incensus est, indignatus est, cum oporteret compungi. Ego verò non hoc dico, sed quod deus nouit vtiliter dispensare. Fit enim crebro vt tu qui moribus es humanioribus, non sis idoneus. Rursum, est tibi vita inculcata, morēsque liberales, ceterum in Ecclesia non his tantū opus est. Quin & alioqui alius ad aliud est appositus. Non vides quot verba faciat super hac rescriptura diuina? Sed si quando ob aliquam causam res deuenerit ad contentionem, non tanquam ad principatū aut præfecturam fratrum accedamus, sed tanquam ad illorum honorem ac refocillationem. Etenim si nouisses quod episcopus debet omnium onera gestare, quod alijs irascentibus datur venia, ipsi verò nequaquam: quod alijs peccantibus superest excusatio, ipsi verò minime: haudquaquam festinasses ad primatum, haudquaquam accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium iudicijs obiectus, & sapientium & insipientium curis perpetuis obrunditur, tum diurnis, tum nocturnis. Multos habet quibus est inuisus, multos habet inuidentes. Nec enim mihi loquaris de his qui nihil non faciunt ad gratiam, qui dormire cupiunt, velut ad quietem accedunt ad negotium. De his non loquor, sed de his qui vigilant pro animabus vestris, qui subditorum salutem anteponunt suam. Tum etiam libro tertio de Sacerdotio, Iulienus docet summos honores toto studio ab episcoporum animis abijciendos esse. Vnde (inquit) quæso existimas tam multas in Ecclesijs turbas nasci? Equidem non aliunde opinor quàm ex episcoporum antistitumque electionibus, casu potius ac temere quàm diligenter atque accurate factis. Nam caput valentissimum quidem esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, easdemque rite atque ordine componere possit. quum enim per se caput infirmum est, ac fumorum insultus illos morbificos re-

Matth. 23.

Chrysofomus

Exo. 2. &
Acto. 7.

Acto. 1.

Gene. 4.

pellere minime potens, tum sit ut ipsum etiam infirmus in dies reddatur, itemque & reliquum corpus secum perdat: id quod ut ne modo accideret, voluit deus ut nos loco & numero pedestri, quae fors nostra initio tulerat, permaneremus. Multa enim alia sunt Basilii, praeter ea quae iam a nobis dicta sunt, quae sacerdoti praestare oportet, ac quae certe in nobis non agnoscimus, inter quae illud praecipuum, Sacerdotis animum honoris illius desiderio vndeunque vacare, vndeunque liberum esse oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentiore sanè ambitionis suae flammam incendet, ac vi tandem captus, ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu seruire quid, atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniae sumptu tentanda. Nam quod nonnulli caedibus Ecclesias compleuerint, contaminauerintque, quodque iisdem eius honoris gratia depugnantes ciuitates aliquot funditus euerterint dicere hic praetermitto, ne quibusdā videar ea in medium afferre, quae fide maiora sunt. Oportere autem puto tanta cum religione ac cautione ad rem ipsam aspirare, ut illius molem magnitudinemque primum detrectes, deinde adepto honore aliorum iudicia sententiasque non expectes, si quod forte commissum deprehendatur propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin potius illis anteuertere te ipse munere abdicces. Sic enim par est, ut diuinam concilii impetresque misericordiam, qui si tibi honorem illum praeter decorum tanquam mordicus retinere studueris, indignus es qui veniam consequaris, tum verò diuinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo grauiore per te addito. At vero constantiam hanc praestare nullus sustinuerit, tam pestilens, tamque letale est appetentiae istius virus. Neque id dico cum beato Paulo pugnare volens, quinimo ut maxime cum illius verbis consentiam, ea vero cuiusmodi sunt? Si quis episcopi munus appetit, honestum opus desiderat. At ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiae desiderium pestilens esse dixi. Atque hoc ipse desiderium sic toto studio ab animo abijciendum esse censeo, ut ne initio quidem animi ipsum permittas ab illo occupari, ut is rerum omnium libere agendarum potestatem habeat. Nam quem nulla cupiditas trahit, ut sese in eo munere collocatum ostendat, ac tanquam digito ab alijs monstratur, is certe ab eo solio deturbari non formidat. Porro autem qui id non formidat, hic cum ea libertate quae Christianas mentes decet omnia exequi potuerit. dura enim & acerba atque adeo multis referta incommodis illorum est seruitus, qui honoris huiusmodi iacturam reformidant, ob quam saepenumero fit, ut dei optimi offensionem subire cogantur: decet autem affectus nostros tales non esse, sed quemadmodum in praesens videmus generosissimos quosque milites alacriter manum cum hoste conferere, eosdemque si ita res ferat, fortiter occumbere: ita oportere puto animatos esse qui ad ministerij istius functionem se conferunt, videlicet ut vere Christianos viros decet, & consecrari & summoueri, iuxta parati sint, quum intelligant summotionem priuationemque huiusmodi non inferius praemium afferre solere, quam honor ipse afferat. Et exponens in Matthaeum quod dixit Christus decem apostolis subinuentibus filiis Zebedaei, pro quibus mater eorum postulauerat a Christo, ut vnus ad eius dexteram federet, & alter ad sinistram: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: ita loquitur de vitandis a Christiano honoribus, Gentium moris esse ostendit prima quaeque appetere, Tyrannica enim haec passio est, & nunquam eximios etiam viros perturbat, quapropter cum vehementiore castigatione indigent, acrius etiam ipse insurgit, comparatione gentium agrotatem ipsorum animum retinens: ita horum quidem inuidiam, illorum verò arrogantiam succidit, quasi magna voce dicēs: Nolite tanquam contempti commoueri.

Matth. 20.

Nam qui primatum quaerunt, sibipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto in infima detrudere. Non enim externis similia nostra sunt: nam apud gentes qui principes sunt, ipsi dominantur; apud me autem qui vltimus est is summa tenet. Ad haec differendo illud Christi verbum de arrogatia & ambitione Scribarum & Pharisaorum: Diligunt primos in coenis accubitus, dicit: Haec enim etsi minima esse videntur, tamen causa sunt malorum. Nam & ciuitates & Ecclesias saepenumero euerterunt, propterea nec a lachrymis abstinere possum, cum primos istos confessus & salutationes audiam, ac in mentem veniat quot quantaque hinc mala in Ecclesia dei orta sunt, quae modo percenseri tempus non est. Insuper docet Christus in Euangelio Ioannis nos non debere tumidos honores sectari, & auram popularem aucupari, sed ab inanibus gloriae studio abhorreere. Cum enim cognouisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Haec explicans Chrysostomus, dicit Christum ex eo fugisse, ut humanarum dignitatum contemptus nos admoneret. Ut ostenderet nullis secularibus rebus indigere. Qui enim vilia elegerat, matrem, domum, patriam, victum, vestimenta, quid terrena appeteret; caelestia illustra erant, & magna, angeli, stellae, pater, & spiritus testimonium perhibentes, propheta ipsum iam pridem annuntiantes, terrena omnia ei vilia erant, ut hoc pacto clarius eius potestas appareret. Secessit igitur in montem, eruditurus nos, ut secularia contemnentes, neque huius vitae claritudinem admiraremur, sed contempris his omnibus futura optaremus, complecteremur, amaremur. Qui enim humana admiratur, nulli erit in caelis admirationi. Quocirca inquit Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo, ne videatur humano metui & viribus ad persuasionem vti. Quare inquit propheta, Ecce rex tuus venit mansuetus, & sedens super asinam. Regnum suum non huius seculi, sed caeli dicit, propterea inquit, Gloriam ab hominibus non accipio. Asumescamus igitur dilectissimi, huius seculi honorem contemnere, neque eum desideremus, honorati sumus, honore maximo. Amplius ex illo Pauli loco ad Hebraeos, Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a deo, animaduertimus neminem debere suo impulse siue sacerdotium, siue pontificium munus aggredi, sed a deo vocatum, illud accipere. Ostendit praeterea Paulus hoc loco, auctore Theophylacto, tunc temporis Iudaeorum pontifices ad honores auide prosiluisse, & dignitates eiusmodi pecunijs comparasse, & legem penitus corrupisse. Item diuus Ioannes obiurgat Diotremphem quod amauerit primatum gerere in Ecclesia. Denique sanctus Thomas ne lato quidem vngue ab hac sententia discedens, dicit in 2. 2. quaestione 185. articulo primo, Quia episcopalis actus habet annexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praesse appetat, ad hoc quod subditis praesit, nisi manifesta necessitate imminente, sicut Gregorius dicit in Pastoralibus, quod tunc laudabile erat episcopatum quaerere, quando per hunc quenquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire, vnde non facile inueniebatur qui hoc onus assumeret, praesertim cum aliquis charitatis zelo diuinitus ad hoc incitatur: sicut (ut dicit idem Gregorius in eodem opere) Esaias prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium praedicationis appetijt: potest tamen absque praesumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quod bonum opus cadat in desiderium, non autem primatus dignitatis. Annotat in eodem loco tria posse in episcopatu considerari. Vnum quod est praecipuum, scilicet Episcopalis operatio, qua vtilitati proximorum intenditur, secundum illud Ioannis vltimo, Pasce oues meas. Hoc autem est appetendum, quod expressit Paulus dicens: Qui episcopatum, id est munus episcopi & officium desiderat, bonum opus desiderat. Aliud est, altitudo gradus & praesinentia, quia episcopus ceteris praesit. Tertium, honor & sufficientia bonorum temporalium. Appetere autem episcopatum ratione huiusmodi circumstantium bonorum, est illicitum, & ad cupiditatem & ambitionem spectat. Etiam quantum ad celsitudinem gradus i. iij.

Matth. 23.

Ioan. 6.

Ioan. 18.

Zach. 9.

Hebraeos.

Theophyl.

3. Ioan. 1.

Thomas.

Gregorius.

Ioan. 21.

Lyranus.

appetere episcopatum, est presumptuosum, ut iam ex euangelicis literis commo-
strauimus. Astipulatur & huic veritati Lyranus, enarrans locum illum, Qui episco-
patum desiderat, bonum opus desiderat: Non (inquit) desiderandus est propter offi-
cij dignitatem, sed propter annexum laborem, qui est ordinatus ad honorem dei, &
proximi salutem.

CAPVT XIII.

Chrysto.

2. Timot. 2.

Nunquam debemus desistere à cura lapforum, etiam si praeciamus illos
nobis non obtemperaturos. Hæc Chrysostomi est Assertio, Concione
prima de Lazaro, quam pulcherrimis argumentis, & quæ omnium ani-
mos mouent, credibilem reddit: & primo monstrat quâto studio quan-
tâque diligentia debeamus fratrem à peccato reuocare, ne perpetuo dia-
boli retibus intricetur & inuoluatur, deinde quod prætenidimus, concludit: Cum (in-
quit) videris fratrem tuum durum, rigidum, minimèque attetum, dic apud temet-
ipsum: Quid si progressu temporis aliquando valeamus illum flectere? Hoc nimi-
rum & Paulus præcepit, Seruū domini non oportet litigare, sed placidum esse erga
cunctos, erudientem eos qui resistunt veritati, si quando det illis deus poenitentiam
in agnitione veritatis. An non vides parentes, quomodo filiis suis, licet frequenter
desperatis, assidēt, lachrymantes, lamentātes, exosculantes, omnia quæ possunt ad-
monentes ad supremum vsq; halitum? Hoc tu quoq; facito pro fratribus, & tamen
illi non possunt lachrymis ac lamentis, neque morbum depellere, neque mortem
imminentem abigere. Tu vero frequenter poteris animam deploratam, assiduitate,
instantiâque per lamenta reuocare ac suscitare. Dediti consilium, nec peruisisti.
Illachryma, punge frequenter ac suspira paululum, ut tua sollicitudo incutiat il-
li verecundiam, itaque se conuertat ad salutem. Quid ego solus possem efficere?
neque enim quotidie vobis omnibus adesse valeo, neque superit mihi facultas, ut
solus cum tanta disputem multitudine. Cæterum si vos velitis inter vos, alijs alio-
rum partiri curam salutis, ac vestrum quisque vnum suscipere fratrum neglecto-
rum, ilico nobis cresceret ædificatio. Et quid attinet dicere, de ijs qui post multā ac
diutinam admonitionem seipos ad meliorem frugem recipiunt? Etenim cum illi
non teneantur immedicabili morbo, non oportet desistere, neque curam abijcere,
etiam si certum præciamus futurum, ut post multam sollicitudinem, multamque
adhibitam admonitionem nihilo plus simus profecturi. Quod si hæc oratio vobis
videtur incredibilis, ex factis dictisque Christi reddemus eam credibilem. Nam nos
quidem ignari sumus futurorum, vnde nec diiudicare possumus de ijs qui audiunt,
vtrum obtemperaturi sint dictis nostris an secus: Christus autem istarum rerū cer-
tam habens præscientiam, non defatigatus est corrigendis ijs à quibus audiebatur
vsque ad extremum: itaque cum sciret Iudam non esse reuocandum à proditione,
non tamen cessauit, assiduus cōsilijs, monitis, beneficijs, minis, demum omni doctri-
næ specie à proditione retrahere, nec destitit illum dictis ceu freno cohibere. Hoc
autem fecit nos instituens, ut etiam si præciamus futurum, ut fratres non obtem-
perent, tamen quicquid in nostra fuerit facultate præstemus, tanquam parata no-
bis admonitionis nostræ mercede. Vide autem quanta assiduitate, quâtaque sapien-
tia illum cohibuerit: Vnus vestrum me proditurus est. Ac rursus, Non de omnibus
vobis loquor, noui quos elegi. Et vnus ex vobis diabolus est. Sustinuit omnes in an-
gorem inducere, ne vulgaret proditorē, ac manifesta redargutione redderet etiam
impudētiorē. Nam ut intelligas, quod illis etiam angore iniecerint Christi dicta,
licet sibi nullius mali conscijs, audi quomodo quisq; anxius dicit: Num ego sum do-
mine? Neq; verò dictis tatum, verum & factis illum corripuit, videlicet quod cum hu-
manitate suam frequenter ac modis omnibus declarasset, leprosos emūdans, dæmo-
nes abigens, ægrotos sanans, mortuos excitans, dissolutos astringens, breuiter cum
omnibus benefecisset, neminem tamen punijt, semper habens in ore: Non veni ad
vocandum iustos, neque ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Cæterum

Ioan. 13.

Matth. 9.
Ioan. 12.

ne putaret Iudas quod tantum posset benefacere, punire verò nequaquam, & hanc
quoque docuit portionem, videlicet quod punire posset, supplicioque afficere pec-
cantes. Iam & illud vide, quàm sapiēter quàmque modis ipso dignis hoc docuit, ho-
minē punire supplicioque afficere sustinuit neminē. Qui sic: ut discipulus punien-
di facultatem in eo cognosceret. Etenim si quē punisset, declarasset ipsum pugna-
re secum, quippe qui dixerat: Non veni ut iudicem mundum, sed ut seruem mun-
dum. Rursus si neminem punisset, māsisset incorrigibilis discipulus, nisi & factis
didicisset, illi esse puniēdi facultatem. Quid igitur? Ut simul & terreret discipulum
ne per contemptum fieret deterior, nec vllus tamen hominum afflictionem, poe-
nam, aut supplicium pateretur, in ficum arborem Christus hanc suam potestatem
exeruit, dicēs: Ne posthac ex te fructus nascatur, eaq; mox simplici verbo exaruit. Matth. 21.
Hoc pacto factum est pariter ut & nihil noxæ rediret ad vllum hominem, & ipse
suam potētiā declararet, vindicta in arborem impacta. Discipulus autem si hæc
animaduertisset, ingentem ex hac vltione cepisset vtilitatem. Sed deus præcius,
& hoc euenturum, non hoc tantum, verum etiam aliud hoc multo maius effecit,
Cum gladijs & fustibus armati, manus in ipsum pararent iniicere, tum illos omnes
excæcauit. Id enim declarauit, cū diceret: Quem quæritis? Cū enim Iudas frequen-
ter dixisset: Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum? ille volens etiam ip-
sis Iudæis facere fidem quod volens ad mortem iret, nec Iudæ malitia victus, huc
adigi potuerit ipso proditore, cum cæteris omnibus astante: Quem (inquit) quæri-
tis? Ita ne non nouit quē erat proditurus? Sed dominus occæcarat illius oculos, nec
id solum, verū etiam omnes hac voce resupinatos deciecit in terram. Vbi verò nec
ea res illos reddidit humaniores, neq; scelerosum illum à proditione reuocauit, sed
perfeuerabat insanabilis, nec sic quidem alienatus est dominus, quo minus rursus
illi tum beneuolentiam, tum curam impenderet. Sed age considera, quomodo pun-
git, loquens verba, quæ maxime possent animæ impudenti pudorem incutere, imò
quæ vel faxeam mentem queant emollire. Etenim simul atque Iudas irruisset ad
eum osculaturus, quid ait? Iuda, osculo filium hominis prodis? Nec ipsa proditio-
nis species pudorem incussit homini. Hæc autem dicebat taxans ac pungens illum,
pristinæque commonefaciens consuetudinis. Attamen cum Christus tam multa
tum fecisset, tum dixisset, ille tamen nihilo factus est melior, non quod parum ef-
fer potēs qui monebat, sed quod ille vecors. Christus autem cum hæc omnia præ-
sciret, nō desijt tamen ab initio vsque ad finem suam exhibere benignitatem. Sic
igitur & nos, etiā si sciamus omnia, debemus tamen infatigabiliter, ac per omne tē-
pus fratres nostros neglectos componere, etiam si nihil ex admonitione fructus sit
rediturum. Etenim si dominus qui prænouerat huiusmodi futurum euentum, hac
vltus est sollicitudine erga eū, qui nihil fructus laturus erat ex admonitione, qua tan-
dem venia digni fuerimus nos, si cum incertus sit nobis rerum euetus, adeo socor-
des fuerimus circa proximi salutem, post vnam atque alteram admonitionem eos
deserentes? Denique præter hæc omnia quæ dicta sunt, etiam quid in nobis ipsis ac-
cidat consideremus, reputātes quod cum deum nobis quotidie loquentem per pro-
phetas, per apostolos audiamus. Nam audimus quotidie, haud tamē desinit, vel ap-
pellare, vel docere rebelles parūque arrentos. Quin & Paulus clamat dicens, pro
Christo reconciliemini deo. Quod si dicendum aliquid nouum & admirandū, haud
tantundem laudis meretur is qui præscit futurum, ut is qui consilium accipit, ob-
temperet: quantum is qui frequenter loquutus, frequenter adhibita monitione fru-
stratus est, nec sic tamen destitit. Nam priorem illum spes pollicens futurū, ut qui
audit obtemperet, etiam si segnissimus fuerit excitat ad officium admonendi. Con-
trā hic quum assidue moneat, nec audiatur, nec eo tamen desistit, feruidissimæ cu-
iusdam ac verissimæ charitatis argumentum præbet: qui cum nulla simili spe ala-
tur, tamen ob vim amoris erga fratrem non desinit illius agere curam. Verum nō
oportere nos vnquā desistere à cura lapforum, etiam si præciamus illos nobis non

Matth. 21.

Ioan. 18.

Matth. 26.

Lucæ 22.

2. Corint. 5.

obtemperatos, abunde demonstratum est. Hæc ille. Arridet & huic Chrystostomi sententiæ Augustinus, libro vno expositionis epistolæ ad Galatas, hæc Pauli verba enarrans: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocâtes, inuicem inuidentes: Nihil (inquit) sic probat spiritalem virum, quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potius quàm insultationem, potiusque auxilia quàm conuicia meditatur, & quantum facultas tribuitur suscipit. Et ideo dicit: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi. Deinde ne tibi quisque videatur instruere, etiam cum proterue exagitat irridetque peccantē, aut superbe tanquam insanabilem detestatur. In spiritu (inquit) mansuetudinis, intendens te ipsum ne & tu teteris. Nihil enim ad misericordiam sic inclinatur quàm proprii periculi cogitatio, ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni, nec studere certamini. Multi enim homines cum à somno excitantur, litigare volunt: aut rursus dormire, cum litigare prohibentur. Pax igitur & dilectio & cōmunis periculi cogitatio in corde referretur: modus autem sermonis, siue acrius siue blandius proferatur, sicut salus eius quæ corrigis videtur postulare, moderandus est. Nam & alio loco dicit: Seruum autem domini litigare non oportet, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem. Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse à correptione erroris alterius, vide quid adiungat: In modestia (inquit) corripientē diuersa sentiētes. Quomodo in modestia? quomodo corripientem nisi cum leuitatem corde retinemus, & aliquam medicamentum acrimoniam verbo correptionis aspergimus. Nec aliter accipiendum video quod in eadem epistola positū est, Prædica verbum, in ista opportune, importune, argue, hortare, increpa in omni longanimitate & doctrina: importunitas enim opportunitati vtrique contraria est, neque omnino vllū medicamentum sanat, nisi quod opportune adhibueris. Quamquam ergo & sic possit distingui, in ista opportune, vt alius sit sensus: importune argue, deinde cætera cōtextantur, hortare, increpa cum omni longanimitate & doctrina. Vt tunc opportunus sentiaris, cum instas ædificando, cum autem destruis arguendo non cures etiam si importunus videaris, si hoc est talibus importunum: ita duo quæ sequuntur ad duo superiora possunt singillatim referri: hortare, cum opportune instas: increpa, cum importune arguis. Deinde cætera duo similiter, sed conuerso ordine referuntur, cū omni longanimitate ad sustinendas indignationes eorum quos destruis, & doctrina ad instruenda eorum studia quos ædificas. Tamen etiam si illo vltiore modo distinguatur, in ista opportune: quod si hoc modo non proficis, importune, ita intelligendum est, vt tu opportunitatem omnino non deseras, & sic accipias quod dictū est, importune, vt illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum, tu tamen scias hoc illi esse opportunum, & dilectionem curamque sanitatis eius animo teneas mansuetos & modestos & fraternos. multi enim postea cogitantes quæ audierint, & quàm iuste audierint, ipsi se grauius & seuerius arguerunt, & quauis perturbatores à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper expectaremus periclitantem putrescentibus membris quando vti liberet, aut secari. Quod nec ipsi corporis medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur qui ferrū eorum aut ignem non ligatus expertus sit, cum & illi rariores sint qui volentes ligati fuerint. Plures enim resistentes, & mori se malle clamantes, quàm illo curari modo, vix lingua ipsa eorum relicta libera omnibus membris constrinxerunt, neque ad suum, neque ad reluctantis, sed ad ipsius artis arbitrium: quorum tamen vocibus conuiciisque dolentium, nec commouetur curantis animus, neque secantis manus. medicinæ autem cælestis ministris, aut per odiorum trabem cerne re stipulam in oculo fratris volunt, aut tolerabilius mortē videre peccantis, quàm verbum indignantis audire. Quod non ita accidisset, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quàm sanis manibus illi medici aliena mēbra pertractant. Nunquam itaque alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium,

Augustinus
Calat. 5.

Galat. 6.

2. Timo. 2.

1. Timo. 4.

nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam liquido nobis corā deo responderimus dilectione nos facere. Quod si conuicium, vel minē, vel etiam persecutiones eius quem argueris lacerauerint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior, ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum cōsentias, & exhibeas linguam tuā arma iniquitatis peccato ad reddendū malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige & dic quod voles, nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Et edisserendo quod in Euangelio Ioānis scriptum est: Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me, ostendit nos non debere à fraterna correptione quiescere, Fratres (inquit) vnusquisque Christianus in membris Christi Zelo domus dei comedatur. Quis comeditur zelo domus dei? Qui omnia quæ forte ibi videt peruersa, fatagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit, non excutitur de area granum, sustinet paleam, vt intret in horreum, cum palea fuerit separata. Tu autem horreū, si granum es, noli excuti de area ne prius ab auibus colligaris, quàm in horreum congregeris. deinde dicit: Vnumquemque Christianū zelo domus dei comedat, verbi gratia: Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus domus dei comedit te, vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet, prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere: tamē si amicus est, admoneatur leniter: vxor est, seuerissime refrenetur: ancilla est, etiam verberibus compefcatur. fac quicquid potes, pro persona quam portas, & perficis zelus domus tuæ comedit me. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruem deo. Eia non tibi venit in mentem, seruum ille qui abscondit talentum, & noluit erogare? Nunquid enim accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit? Sic ergo audite fratres mei, vt non quiescatis, ego vobis consilium daturus sum, det ille qui intus est: quia etsi per me dederit, ille dat. Nostis quid agatis vnusquisque in domo sua, cum amico suo, cum inquilino, cum cliente suo, cū maiore, cum minore, quomodo aperit ianuā verbo suo, nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo. Et libro 2. de Sermone domini in mote, monet Christianos ne exasperentur & excandescant in eum cuius vitia corrumpere cupiunt: Pie (inquit) cautēque vigilandum est, vt cum aliquem reprehendere vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat, vt siue ad correctionem eius, propter quæ id facimus, siue ad peruersionem valuerit (nam incertus est exitus) nos tamē de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illū ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendū inuitemus. Nec ab hac euariet opinio Hieronymus, enarrans quod iam ex Paulo adduximus: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis. Lenitatis (inquit) spiritum & mansuetudinis, in correptione peccatis, spiritualis adhibeat, ne rigidus, ne iratus & tristis corrigere cupiat errantem, sed prouocet eum, spondens salutem, veniam repromittens, Christi testimonium proferat, quod graui legis & peccatorum onere depressos, ad iugum Matth. 11.

Ioan. 2.
Psal. 68.

Matth. 5.

Hieronymus

Matth. 11.

Ambrosius.

suum suaue, & leue inuitet onus, vt discat, quia humilis sit & mitis & mansuetus corde, & inueniant requiem animabus suis. Idem sentit Ambrosius eundem locum excutiens: Nunc (inquit) hos alloquitur Paulus, qui firmiores erant ne inflatione bonæ viræ eum qui forte à peccato circumuentus fuisset, spernendum putarent, & abijciendum, ideòque consulendum his. Cum mansuetudine enim prouocandi sunt, ad reformandos se, quia si acrius quasi ex autoritate fuerint correpti, non se patientur argui, sed & defendere incipient se, ne turpes videantur, & incipient peiores fieri. Tolle enim hominem à contentione & audacia, & habebis eum subiectum. Humilitas enim etiam superbos solet inclinare. Et vt cū tota animi lenitate fieret, adiecit: Ne & tu teneris, vt vel hac causa nō sperneret peccatorem, sciens & se posse peccare. ¶ At conflictaberis, Correctio ad fratris emendationem destinatur, ergo vbi frater nostra correctione nostrisque monitis non emendatur, ab eius cura desistendum est. Adde quòd vbi timemus ne frater corrigendus, fiat nostra admonitione deterior, desistendum est à correctione, quia ex illa correctione nullum eueniret commodum, sed maximum incommodum & detrimentum. Item corrigere fratrem, est præcepti affirmatiui, quare nō pro quolibet tempore frater delinquens corrigendus est. ¶ Antequā istis respondeamus argumentis, adnotabimus duplicem esse correctionem: Alteram fraternam, quæ est actus charitatis, & hæc ex se ordinatur ad emendationem fratris, & nobis præcipitur, vt huic fini necessaria est: Altera est iudicialia, quæ dicitur esse actus iustitiæ, & hæc bonum commune intenditur, nec solum destinatur ad emendationem fratris, sed etiam ad eiusdem punitionem, vt bonum commune conferuetur illæsum: & hæc correctio solum ad illos spectat, qui publica potestate & auctoritate funguntur, qui non solum debent admonitione corrigere fratrem, verum etiam & punitione: nec propterea debent desistere à correptione quòd sciant eum, in quem volunt animaduertere, futurum duriorum & deteriore, quia sua officia ad scopum boni communis inflectunt. Nam vnus perditissimi hominis punitio, cæteris terrorem incutit, & eos plerumque à flagitijs perpetrands reuocat. Nunc rationes adductas diluamus: Fatemur correctionem fraternam ex se ad emendationem fratris ordinari, & qui omnes sui animi vires intendit & explicat, vt lapsus à scelere reuocet, si adhibita omnimoda diligentia suum fratrem non emendet, nec à luto vitiorum extricet, non propterea censetur frustra conari, nec debet quantum est ex se à cura lapsi desistere, etiam si non sit ei obtemperaturus. nam is qui corrigendus est, agnoscat virum illum probum sedulam & diligentem nauasse operam, vt eius monitis & officijs à peccato respiceret. Etiam peccator si nunquam à viris sincere Christianis admoneretur, vt respicientiam ageret, arbitraretur se omnino contemni. Et licet nunc non obtemperet bene monenti, forsitan tamen posthac à sua demorsus conscientia, & Euangelicam viri boni admonitionem sibi factam fuisse animaduertens, seipsum arguendo, sententiam mutabit, & ex malo in bonum commutata respiciet. Nec solum in ratione correctionis fraternæ spectanda est fratris emendatio, alioqui nunquam conaremur corrigere fratrem nisi simpliciter emendaretur, quod est absurdum, sed quòd nihil eorum omittamus negligenter quæ fratri corrigendo præstare debemus. Et hic est scopus assertionis Chryostomi dicentis quòd quantum ad sincerum animi affectum, & vim amoris erga fratrem, debemus semper quicquid est in nostra facultate præstare, tanquam parata nobis nostræ admonitionis mercede, etiam si is qui corrigendus est minime nobis obtineret, vt præclare docuit exemplo Christi, qui nihil omisit, vt Iudam à prodicione retraheret. ¶ Secundæ rationis solutio, Ingenue fatetur Chryostomus sibi à fraterna correctione temperandum esse, cum frater ruinam spiritalem ex correctione pateret, nec exasperatus increpatione proficeret, sed magis ex correptione scandalum sumeret. Et nonnumquam (vt dicit Augustinus libro vno de Conflictu vi-

riorum & virtutum, capite octauo, si modo opus illud sit Augustini, nec cuius sit refert plurimum) enarrata delinquentium ad tempus silentio tegenda sunt, vt aptiori tempore corrigantur, & hoc cum nō tam possumus prodesse quam obesse. Nec Chryostomi assertio nobis suadet, vt nunquam desistamus à cura lapsorum etiam si ex correctione fierent deteriores, sed quòd non debemus quiescere à cura lapsorum etiam vbi nobis tunc temporis non obtemperarent, aliud siquidem est non obtemperare & desipiscere, & peiorem fieri. ¶ Tertiæ rationis solutio: Non eò tendit mens Chryostomi & ingenium, vt velit innuere nos obstringi pro quouis horarum momento, fratrem in scelus prolapsum corrigere & à vitio reuocare, sed quòd semper zelo charitatis erga fratrem, obseruatis tamen locorum & temporum circumstantijs, quicquid in nostra facultate est, præstemus vt frater emendetur, aut opportune admoneamus, ne semper antiquis vitiorum fordibus volueretur. ¶ Sciscitaberis, Si nam debeamus priuatim aut publice corrigere fratrem? Illa methodus Euangelica, quam Christus pro castigandis Christianis confecit, ostendit nos debere secreto & priuatim corripere fratrem. Si (inquit Saluator noster) peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testimonium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hæc excutiens Hieronymus, dicit: Corripendus est frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et si quidem audierit, lucrificamus animam eius, & per alterius salutem nobis quoque acquiritur salus. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater. Quòd si nec illum audierit, adhibeatur & tertius, vel corrigendi studio, vel conueniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, vt detestationi eum habeant: & qui nō potuit pudore saluari, saluetur opprobrijs. Quando autem dicitur, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quàm hi qui aperte gentiles sunt. Publicani enim vocantur secundum Tropologiam, qui seculi sectantur lucra, & exigunt vectigalia, per negotiationes & fraudes, ac furta sceleratæque periuria. Eundem Euangelicum fratrem castigacionis progressum enarrans Chryostomus, ita loquitur: Non dicit Christus accusa, increpa, poenas petito: sed argue, inquit. Nam cum ille partim ira, partim rubore quasi vino sopitus non videat, opus est vt tu qui recte vales, ad ægrotum proficiscaris, & priuato quodam iudicio constituto, remedium facilius inferas. Nihil enim aliud est arguere, quàm in memoriam eius peccata reducere, ac ad eum quæ passus sis exponere. Quod si recte sit, quasi pars quædam defensionis est, quæ vehementer ad reconciliationem impellit. Quid igitur, inquit, faciam si durus ac pertinax fuerit? Assume tecum (inquit) vnum, aut duos: vt in ore duorum, aut trium testimonium stet omne verbum. Nam quanto ille impudentior atque pertinacior fuerit, tanto magis ad emendationem eius absque ira & molestia nobis studendum est. Nam & medicus cum grauiorem viderit morbum non desistit, nec molestia oppressus deficit, sed ad ferenda remedia diligentius se accingit: quod nos quoque facere iubet, quoniam enim solus imbecillior visus es, adiectione duorum fortior factus, argue delinquentem. Perpende quia non eius qui laceratus iniuria est, verum etiam lacerantis vtilitatem querit. Nam vere passus iniuriam is certe est, qui passione victus succubuit, is inquam est qui morbo captus laborat, propterea sapius sanum ad illum, modo solum, modo cum alijs mittit: & si pertinacia obduratus est, etiam Ecclesiam ad hunc ægrotum adducat. Dic enim (inquit) Ecclesiæ, quoniam si eius qui patitur commodum tantummodo quereret, certe non iussisset septuagies septies poenitentem esse remittendum, nec toties tamque multos passionis emendatores ei sta-

Matth. 18.

Hieronymus

Chryostomus

tuisset, nunc verò non semel, sed bis atque ter modo solum, modo cum duobus, modo cum pluribus ad curam illius te remittit. Ac de exterioribus quidem nihil tale praecepit, sed si quis (inquit) dexteram verberibus tibi cedit maxillam, ei alteram quoque verte. Hic autem non ita, sed sicut Paulus etiam ait: Quid mihi & eos qui exterius sunt iudicare? fratres autem & arguere, & auerti iubet, & inobedientes abscindi, ut rubore impulsis, meliores fiant. Nec exordia huius correctionis, supplicij, sed emendationis gratia fiunt, propterea nullos sibi testes initio praeber: sed cum ipse per se nihil effecerit, neque tunc multitudini committendam rem praecipit, sed vnum aut ad summum alterum addidit: quos si propter suam proteruiam despexerit, tunc tandem ad Ecclesiam, offerendam rem censuit, ita magnum sibi est studium ne proximorum delicta, nisi post primam & alteram admonitionem efferantur. Quid autem sibi vult, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum? Habes iam testes (inquit) opus abs te tuum ita esse confectum, ut nihil quod ad te pertineat, reliquum esse videatur. Si autem eos non audierit, dic Ecclesiae, praesulibus scilicet ac praesidentibus. Quod si etiam Ecclesiae non obedierit, tibi sit sicut ethnicus & publicanus. Tu verò considera quomodo publicanum ad exemplum summæ nequitiae semper posuit. Iam enim superius dixit: Nonne publicani quoque hoc faciunt? ac deinde, Publicani praecedent vos, ait, in regnum caelorum, id est qui valde improbitate condemnantur. Audiant hæc attente, qui sibi quaestus iniustos excogitant, qui foenus foenori adijciunt. Cur autem istum cum publicanis collocauit? Ut certe & illum qui pertulit iniuriam consolaretur, & hunc merito perterreret. Hæc ille. Paulus tamen in prima ad Timotheum Epistola, praecipit Ecclesiasticis principibus, ut peccatores publice arguant, & castigent. Peccantes (inquit) coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant. Theophylactus hanc edisserens sententiam, dicit: Argue eos coram omnibus, qui in pravis facinoribus perseverant, & quos inquirendo deliquisse compereris, propterea obiurgato. Non ut iracundiae medearis, sed ut ceteri affecti formidine à peccatis abstineant. Oportet itaque ut alijs terrori Episcopus sit. Nam ut sine causa quempiam condemnare temeritatis est & imprudentiae, sic fontes & noxios non increpare pestiferum. Nam in plures morbus in posterum disseminabitur. Verum cur dominus dixit? Vade & argue eum inter te & ipsum, si in te deliquerit frater, permittit tamen vel in propatulo, si delinquere perseveret, redargui. Quid ergo? nonne acerbius delinquentem percellit aperta hæc castigatio? Quin contra potius illud offendet, si cum facinorosus aliquis notior sit, nec tamen à quoquam peccati admonitus feratur in praecipit, propterea Pharaonem & Nabuchodonosor deus, & alios quam multos in medium productos, tormentis affecit, ut hominum vita à vitijs comprimeretur. ¶ Huic quaestioni facile est respondere: Si peccatum sit omnino occultum, & quod duntaxat frater in te deliquerit, debes ut monet Christus eum secreto & priuatim corripere. Nec tibi licet huiusmodi peccatum prodere, quadoquidem lædere famam tui fratris, aduersatur charitati. Sunt tamen quaedam peccata occulta ex quibus potest parari proximorum offensa, & quæ tendunt, in nocumentum proximorum corporale vel spiritale: puta si quis sceleratus homo quibusdam occultis insidijs molitur civitatem, aut arcem quampiam hostibus prodere, aut in rempublicam coniurare. Aut si quis hæreticus clanculum velit Christianos à vera & catholica fide abducere. Tunc in istis peccatis occultis procedendum est ad Denuntiationem, etiam vbi secreta admonitio non praecessit, cum per secretam admonitionem tam atrox crimen & insigne nocumentum impediri non posset. si verò quis firmiter existimaret & crederet quod secreta admonitione futurum nocumentum impediretur, tunc non oporteret confestim in Denuntiationem proficere, & is qui ita occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, ideo

Matth. 5.
1. Corint. 5.

Matth. 5.
Matth. 21.

1. Timo. 5.
Theophyl.

statim ad Denuntiationem progrediendum, vbi secreta admonitio nocumentum illud praepedire non posset. Alia sunt peccata omnino occulta quæ solum peccantem & eum in quem peccamus, lædunt, & istis peccatis fraterna correctio medetur. Si verò peccatum sit publicum, tunc frater, ut vult Apostolus Paulus, palam arguendus est, ut ceteri timorem habeant, vulnus siquidem immedicabile, ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Et in peccatis publicis non solum admouendum est remedium ei qui peccauit, ut fiat melior & resipiscat, sed etiam alijs, ne cognito tali crimine scandalizentur. Huius est sententiae Diuus Augustinus Sermone decimo sexto De verbis domini, dicens: Aliquando corripiendus est frater in secreto, aliquando publice. Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuire tempora, & concordat scriptura.


Augustinus

FINIS DVODECIMI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XIII.
CAPVT I.

Iosue 15.



Thoniel licite duxit in vxorem filiam Caleb.]Hâc Assertionē ex historia Iosue deducemus, in qua scriptum comperimus, Dixit Caleb: Qui percusserit Cariathsepher, & cœperit eam, dabo ei Axam filiam meâ vxorem. Cœpitque eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb iunior, deditque ei Axam filiam suam vxorem. Nec historia coniugium istud reprehendit & damnat, nec qui contextum illum interpretatur: igitur Othoniel licite duxit in vxorē filiam Caleb. At dices: Non minus aduersatur legi ducere in vxorem filiam sui fratris, quàm sororem sui patris: quia

Leuit. 18.

Lyranus.

frater & filia eiusdem, sunt in eodem gradu: sed aduersatur legi & repugnat, ducere in vxorem sororem sui patris: igitur & legi aduersatur, ducere in vxorem filiam sui fratris. Minorem suadeo, Leuitici 18. scriptum est: Turpitudinē fororis patris tui nō reuelabis, quod autem Othoniel fuerit frater ipsius Caleb, ex loco iam adducto notū euadit: igitur ei non licuit ducere in vxorem filiā Caleb. Hoc discutit argumentum Lyranus nostræ assertionis propugnator, eandem edisserens historiam: Dicunt (inquit) aliqui, q̄ Caleb ignorans euentum belli venturum, scilicet quod Othoniel frater eius deberet percutere Cariathsepher, dixit publice & in generali illud quod premittitur hic: Qui percusserit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam vxorem, post factum verò ex quadam magnificentia noluit retractare dictum suum, sicut & Iepte voluit implere votum suum de immolatione filia suæ sicut habetur Iudicum vndecimo. Sed istud nō videtur verum, Tum quia Caleb erat vir sanctus & bonus, vt capite decimoquarto Iosue monstratur, & ideo non est verisimile quod fecisset contra legē. Tum quia Othoniel fuit vir sanctus & bonus, de quo Iudicum tertio scribitur: Suscitans eis saluatorem Othoniel, fuitque in eo spiritus domini, & iudicauit Israel, & ideo non est verisimile q̄ vellet contra legem vxorem accipere: propter hoc dicunt alij, quod Cenez pater Othoniel, fuit frater ipsius Caleb, & sic Othoniel fuit nepos, & per consequens non fuit contra legē quod acciperet eius filiam, quia iste gradus in lege non fuit prohibitus. Quod autem Othoniel hic dicitur frater Caleb, hoc est eo modo loquendi, quo Loth dicitur frater Abraham Geneseos decimotertio, qui tamen erat eius nepos. Potest etiā dici probabiliter vt videtur, quod licet Othoniel esset frater Caleb, non tamen peccauit accipiendo neptem suam, non enim hoc est cōtra legem naturæ, quia Abraham accepit Sarai filiam fratris sui Aram, nec est contra legem Moyfi expresse, sed tantum hoc dicitur ex quadam argumentatione. Sed argumentum non videtur valere, quia in prohibendis gradibus attenditur irreuerentia naturæ, vxor autem est subiecta viro, & non econuerso, & ideo magis est contra reuerentiam naturæ, quod amita sit vxor nepotis sui, quàm quod neptis sit vxor auunculi. Item in lege Moyfi vir & mulier non erāt ad paria in contrahendo matrimoniū, quia licitum fuit viro habere plures vxores simul, non autem mulieri quod haberet plures viros: & ideo non sequitur, quod si fuerit prohibitum matrimonium inter amitam & nepotem, quod ex hoc fuerit prohibitum matrimonium inter auunculum & neptem, nisi aliunde inueniatur expressum. Hæc ille. Facile dilues argumentum propositum, negando maiorem, immo non

LIBER XIII.

O

73

aduersabatur legi Mosayca; quod aliquis duxisset in vxorem filiam fratris sui, nec erat eadem ratio prohibendi nepotem & amitam. Lex enim vetus in personis prohibendis attendebat præcipue cohabitationem contra cōcupiscentiam, prohibens illas personas ad quas facilius pateret accessus propter mutuam cohabitationem. Magis autem cōsuevit cohabitare neptis patruo, quàm amita nepoti: quia filia est idem quasi cum patre, cum sit aliquid eius: sed foror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit aliquid eius, sed magis in eodem nascitur. Ecclesia tamen vetat ne quis ducat in vxorem filiam fratris sui. Et in gradibus consanguinitatis prohibendis, præcipue obseruat rationem amoris: & quia non est minor ratio amoris ad nepotem quàm ad patrum, sed etiam maior, quato propinquior est patri filius quàm filio pater, propter hoc æqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patris & nepotibus.

CAPVT

II.

See propheta non perdidit pudicitiam fornicarię copulatus.]Hanc probo Assertionem. Qui non obscœna libidinis perulãria igneam mulieris amorem deperit; nec effrenata voluptate diffuit in libidinem, nec denique suis adactus cupiditatibus scortatur, sed duntaxat diuino obsequens imperio, fornicariam ducit in vxorem, non censetur pudicitiam perdidisse. Sed Osee propheta & quidem eximius, non causa libidinis, nec suæ sed dei voluntati obtemperans, fornicariam duxit in vxorem, igitur fornicarię copulatus non perdidit pudicitiam. Minorem huiusce ratiocinij ex verbis domini, quæ in Osee propheta recensentur, suadeo: Verbum domini quod factum est ad Osee filium Beerij, in diebus Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia, regum Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas regis Israel. Principium loquendi domini in Osee: Et dixit dominus ad Osee, Vade fume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationis, quia fornicans fornicabitur terra à domino. Et abiit & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit & peperit filium. Hæc historia. Non hæsitauit propheta continentissimus, nec diu tacita mente inscrutabilia dei eloquia versauit, sed ad dei obsequium paratissimus, quod dominus iubeat executus est: nec iniquo tulit animo quod illibata sui corporis castitatem, & inuictam animi pudicitiam mulieri prostitutę copularet. Non frontem corrugauit, nec supercilium obduxit, non mœrorem pallore detexit, nec verecundiam mutato genarum rubore demonstrauit, sed contendit ad lupanar, & absque vlla pudoris nota, scortum duxit ad lectulum. Hæc qui Christianum habent pectus meditentur, frequenter versent animo, & admirentur quantum valeat prompta erga deum obedientia, quæ non finit castum & incorruptum pudicitia florem cum inquinata & polluta scortatrice pollui & cõtaminari. Quæ non minus libidinis frenum coercet in corpore quàm in animo. Adde quod Hieronymus, à quo hanc assertionem deprompsimus, dicit in suis ad idem Osee vaticinium commentarijs: Nec culpandus est propheta, si meretricem conuerterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, poluitur, si societur malo: sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicarię copulatum, sed fornicariam, assumpsisse pudicitiam, quam antea nō habebat: præsertim cum beatus Osee, non ob causam luxuria, non libidinis, non propria fecerit voluntate, sed dei paruerit imperio: vt quod in isto carnaliter legimus, in deo factum spiritualiter probaremus. Qui suscepit synagogam, hoc est populum Iudæorum fornicationi & libidini seruientem. Ad quam dominus loquitur per Ezechielem: Et tu meretrix audi verbum domini. Fracta enim sunt in Aegypto mamma eius, & voluabatur in sanguine, & fuerat polluta vsq; ad verticem, vt nulla pars corporis atque membrorum eius turpitudinis maculam non haberet. Operuit talē dominus pallio, & suis iunxit amplexibus, dedit ei mel & oleum lz. j.

Osee 1.

Hieronymus

Ezech. 23.

& simillam manducare, & induit eam vestibus pretiosissimis, posuit in collo ornamenta gemmarum, aures ornavit auro & lapide pretiosissimo, armillas quoque brachijs præbuit, vt bonis vteretur operibus. Et nihilominus hæc contempta largitate & bonitate viri, prioris immemor turpitudinis, amatores Chaldaeos & Assyrios & Aegyptios, qui magnarum sunt carnum, secuta est. De saluatoris & Ecclesiae typo, in præfatiuncula diximus, quod sumpserit sibi vxorem fornicariam, quæ prius idolis seruebat. Si quis autem contentiosus & maxime gentilium, noluerit figuraliter dictum recipere, & irriserit prophetam fornicariæ copulatum, opponamus ei illud quod solet laudare Græcia, & philosophorum scholæ concinunt: qua ratione prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum iuuenem, & inter psalterias atque tibicines & impudicas mulieres ebrium, & hedera coronatum, fecit obedire sapientiæ, & adolescentem turpissimum mutauit in sapientissimum philosophorum. Cur Socratem ad cælum leuent, qui Phedonem, ex cuius nomine Platonis liber est, de lupanari ob crudelitatem, & auaritiam domini multorum libidini feruientem, in Academiam transtulerit? Et quicquid illi de philosophiæ magistris responderint, nos ad prophetæ defensionem referimus. Hæc aduersus ethnicos, & eos qui ethnicorum sunt similes, dixerimus. Existimat Dionysius Carthusianus propheticum istud oraculum fuisse figuratiuum, & præter historiam, fornicationem spirituales Israelitici populi intelligere possumus: Dominus (inquit) iubet sancto Osee, vt fornicariam ducat, ad designandum prophetice, quod populus Israel & etiam regnum Iudæ, spiritualiter fornicaretur, recedendo à deo per idololatriam vel potius per idololatriæ multiplicationem quemadmodum in regno Iudæ fuit impletum tempore Achaz. Huius autem matrimonij mystica ratio subinfertur: Quia fornicans fornicabitur terra, id est populus decem tribuum, & etiam regnum Iudæ à domino, & hæc repetitio ac ingeminatio fornicans fornicabitur, exprimit vehementiam & multiplicationem idololatriæ vtriusque regni. Itaque desponsatio fornicariæ fuit propheticum signum, quod populus Israel idololatriæ adhereret. tenuit etiam Osee figuram Christi, per hoc enim quod duxit gentilem seu meretricem, figurabatur quod Christus Ecclesiam ex gentibus collectam, sibi in sponsam & vxorem acciperet. Cuius vxor est Aethiopiissa, quæ fateretur in Canticis se esse nigram, attamen formosam. Vnde in Apocalypsi legimus, Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, quam iuxta apostolum Christus dilexit, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et quemadmodum Osee fecit sibi filios fornicationum ex cõiuge sua illos adoptando, vel legitimos procreando, sic deus in veteri testamento filios synagoge idololatriæ & peruersos misericorditer conuertit, & in filios adoptiuos mutauit, fideles quoque ex ea filios genuit, quos præseruauit ab idololatria, prout loquitur ad Heliam: Reliqui mihi septem milia viro- rum, qui non incuruauerunt genua ante Baal. Adde quod nostræ assertioni fauet omnino Diuus Theodoretus vir sanè non vulgaris literaturæ: Vniuersorum (inquit) dominus beatum Osee ornat, & comparat ad ducendum vxorem impuram & impudicam, vt hoc genere facti, populi impietatem coarguat, & suam tolerantiam incredibilem ostendat. Si verò vniuersorum deus libidine perditam, adulteram suscepit synagoga, & non cõtaminatus est sanctitatis fons ex impura hac & execrabili, neque propheta ex illa stupri plena vxore maculam suscepit: non enim appetitioni immoderate inferuienti, sed dei imperijs obtemperanti, cum illa consuetudo intercessit. Scopis autem & proposito bonum & malum iudicari scien- dum est, hoc speculo enim matrimonium ab adulterio seiunctum internoscitur. Coitus cum coitu nihil differret, nisi proposito & lege discrimen demonstraretur: his fas nefasque, legitimum & illegitimum diiudicantur: inuenire quispiam posset hoc idem in cede, si modo consideret: interficit homicida, interficit & iudex:

Dionysius
Carthusianus

2. Paral. 23.

Canti. 1.
Apocal. 19.

Ephes. 5.

3. Reg. 19.

Theodoretus

sed hic legitime & iuste, ille inique & illegitime: & cum sit vnum & idem opus, solo tamè proposito differt & scopo. Vt verò hoc ex sacra scriptura apertius cognoscamus, hanc considerationem suscipiamus: Cædem fecit Cain, sed ex inuidia laborans, & dolo malo, & fraude flagrans. Cædem fecit Phinees, sed pro honestate & pietate propugnationem suscipiens, atque odio malitiæ inflammatus ab impietate abhorrens. Idem tamen opus, consideratio verò & propositum ex diametro cõtrarium. Eodem modo tametsi furtum è genere eorum est, quæ per legem improbantur: à patre tamen Jacob benedictionem furatus est, & non modo furti non actus fuit, verumetiam ab omnibus generationibus ex hac re magnam laudem est adeptus. Helias magnus fuit & abstinuit: ieiuni fuerit etiam hi, qui Naboth lapidibus obruerunt: sed ille honestatis studio, ij verò calumniam aucupantes. Saul misericors in Agag fuit, & spoliatus fuit regno & denudatus, ini qua hac misericordia & illegitima: Samuel interfecit Agag, & legi diuinæ satisfecit. Alia innumerabilia istiusmodi inuenire facile est, neque id modo in sacra scriptura, verumetiam in nostris quotidianis factis. itaque mirificus Osee non libidini seruiens, sed nutui diuino & arbitrio parère studens, accepit meretricem, atque omnibus nuptijs grauior: & laudabilior hæc societas fuit: neque ob id solù, quod ex dei nutu & arbitrio facta fuerit, sed quod deum expresserit, & designatione quadam retulerit, vt sanctus ille & in sanctis requiescens, sponsum se fecit contaminatæ multitudine Israelitarum, Osee filium quem sustulisset iussit nominari dominus, Iezrael. Dicit quoque Albertus magnus, in suis eiusdem prophetiæ enarrationibus, vxorem Osee quæ multis prius fornicationibus erat dedita, deposita immunditia à suo viro sanctificatam fuisse. Sanctificata est enim mulier infidelis per virum fidelem. Huc accedit quod dicit Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, capite duodecimo, ostendens facta iudicari ex circumstantijs, & diligenter esse attendendum, quid locis, & temporibus, personisque conueniat, ne temere flagitia reprehendamus: Quisquis (inquit) rebus prætereuntibus restrictius vitur quæ sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut temperans aut superstitiosus est, quisquis verò sic eis vitur, vt metas cõsuetudinis bonorù, inter quos versatur, excedat: aut aliquid significat, aut flagitiosus est. in omnibus enim talibus, non vix rerum, sed libido vrentis in culpa est. Neque enim vilo modo quisquam sobrius crediderit domini pedes ita vnguento pretioso à muliere perfusos, vt luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia conuiuia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, quæ quisque bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit. ita quod in alijs personis plerumque flagitiu est, in diuina vel prophetica persona magne cuiusdam rei signum est. Alia quippe est in perditis moribus, alia in Osee prophetæ vaticinatione cõiunctio meretricis. Et libro 22. contra Faustum Manichæum, capite 80. ostendit fornicariam illam, quam Osee duxit in vxorem, relicta fornicatione in castum coniugium fuisse cõmutatam: Restat, inquit, in maledicis & sacrilegis reprehensionibus Fausti, quibus nunc respondeo, quod locutus dominus ad Osee prophetam dixit, Accipe tibi vxorẽ fornicariam, & fac filios de fornicaria: in qua scriptura sic excepatu est immundum cor eorum, vt nec apertissima verba Euagelica intelligant domini dicentis ad Iudeos, Meretrices & publicani præcedent vos in regno calorù. Quid enim aduersum clemetiæ veritatis, quid inimicũ fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum cõiugium cõmutetur? Et quid tam incongruum & alienum à fide prophete, quæ si non crederet omnia peccata impudicæ dimissa esse, in melius cõmutatæ? Itaque cum meretricẽ propheta fecit vxorẽ, & ad vitam corrigendam mulieri consultu est, & figuræ sacramentum expressum. Quis nõ videat in hoc facto quid potius Manichæorum offendat errorem? Scilicet quia solent dare operã meretrices ne grauidæ fiant. Proinde istis fornicaria magis permanens placebat, vt deum ipsorù non ligaret, quàm vnius viri

Gene. 4.
Nume. 25.

Gene. 27.

3. Reg. 21.


1. Reg. 15.

Albertus
magnus.
1. Corin. 7.
AugustinusLucæ 7.
Ioan. 12.

Matth. 21.

Origenes. facta vxor vt pareret. Præterea Origenes homilia tertia, super Iesum Naue postquam maximopere commendauit Raab meretricem, quæ benigne exploratores populi Israelitici exceperat, dicit: Est & alia meretrix quam Osee propheta iubetur accipere, in figura sine dubio huius quæ ex gentibus congregata est. Item Ireneus libro quarto aduersus hæreses Valentini & similia, capite trigésimo septimo, testatur hæc fornicariam sui viri sanctimonia & inuicta pudicitia fuisse sanctificatam: Deus (inquit) non solum per visiones quæ videbatur, & sermones qui præconabantur, sed & in operationibus visus est prophetis, vt per eos præfiguraret & prædemonstraret futura. Propter quod & Osee propheta accepit vxorem fornicationis, per operationem prophetans, quoniam fornicando fornicabitur terra à domino, hoc est qui super terram sunt homines, & de huiusmodi hominibus beneplacitum habebit deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione filij eius, sicut & illa sanctificata est communicatione prophetæ. Et propter hoc Paulus sanctificatam ait infidelē mulierem in viro fideli. Lyranus hunc Osee locum enarrans: Vade sume tibi vxorem fornicationū, de abditissimis huiusce coniugij mysterijs ita loquitur: Dicunt aliqui quod ista mulier quam duxit propheta in vxorem, prius erat meretrix publica, & quamuis vile esset eam accipere, propheta tamen se humiliavit, in hoc volēs deo obedire: sicut Esaias quamuis esset de genere regio, iuit tamē nudus & discalciatus vt obediret deo. Dicit tamē Hieronymus in prologo, quod hæc mulier nō fuit fornicaria fornicatione corporis, sed fornicatione mentis, quia erat idololatra; & gentilis, & hoc videtur verius, quia per hoc, signum magis respōdebat signato, scilicet futurę populi idololatrationi, quæ per hoc significabatur. Hæc ille. Verū diligenter excutienti proœmiū Hieronymi in Osee prophetiam, compertum erit Hieronymum nunquam scripsisse mulierem illam non fuisse fornicariam fornicatione carnis, imò potius oppositū. Nam in illo proœmio ita scribit: Osee audiens à domino, Accipe vxorem fornicariam, nō frontem rugat, non mcerorem pallore testatur, non verecundiā mutato genarū rubore demonstrat, sed pergir ad lupanar, & scortum ducit ad lectulum. Dic quæso quid istice verbis dici potest apertius ad exprimendam carnis fornicationem? Et edisserens hunc locū: Sume tibi vxorem fornicationum, dicit: Mulier ista quam propheta sumit in coniugem, non semel, sed frequentius fornicata est: vt quanto illa fordior est, tanto sit propheta patientior, qui talem vxorem duxerit. Et iam diximus Hieronymum attestari, Prophetam non perdidisse pudicitiam fornicarie copulatum, cum non ob causam luxuriæ, nec libidinis, nec propria fecerit voluntate, sed dei paruerit imperio.

CAPVT III.

Hieronymus.  Rare possunt pro nobis multo liberius sancti cum iam ex hac vita decesserunt, quam cum hic viuebant.] Hanc ex Hieronymo eruimus Assertionem, in Epistola aduersus Vigilantium, qui vehementer hallucinatus est, & toto cælo aberrauit, credendo sanctos dum hanc agerent vitam posse pro nobis orare, non autem cum hinc ad cælum demigrassent. Dicit (inquit) in libello tuo, quod dū viuimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudiēda oratio, præsertim cum martyres vltionē sui sanguinis obsecrātes impetrare non quiuerūt. Si apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debēt esse solliciti, quāto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis milibus armatorū impetrat à deo veniam, & Stephanus imitator domini sui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus apostolus ducētas septuaginta sex sibi dicit in nauī animas cōdonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderūt, mutire non poterit? Meliōrque erit Vigilantius canis viuens,

quam ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique sancti non appellantur mortui, sed dormiētes, vnde & Lazarus qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur. Et Apostolus verat Theſsalonicenses de dormientibus contristari. Hæc ille. Nec deest nobis ratio ad ea quæ ex Hieronymo adduximus confirmanda: Quantumlibet homines, in hac peregrinatione sanctimonia vitæ præcellāt, & optimis moribus sint præditi, nondum tamen procellosos huiusce naufragij & tumidi maris fluctus euaserunt, nec ad tutissimum quietis ac salutis portum adnauigarunt: illi verò qui conscenderunt cælum, & victis huius seculi inimicis hinc victores decesserunt, his minime procellis iactantur, sed in seipsis sedata habēt omnia: idcirco multo liberius multoque promptius iram dei precando placare possunt, quam si adhuc in terris diuersarentur. Supperunt & nobis ex sacris literis argumenta ad conuincendum sanctos qui iam vita defuncti sunt, pro nobis orantes exaudiri. In Genesi dicit dominus ad Isaac: Noli metuere quia tecum sum, benedicamque tibi propter seruum meum Abraham. En vides deum polliceri ipsi Isaac beneficiū, ob integerrimam Abrahæ mortui sanctimonia: Iacob etiam propinquus morti, cum benediceret filium suum Ioseph, ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem, angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham & Isaac; & crescant in multitudinem super terram. Ex his verbis aduerte & considera quod Iacob præcipit inuocari super filios Ioseph nomina patrū iam defunctorum, quoniam etiam mortui sint corpore & mundo, viuunt tamen coram deo. Nam vt Evangelica veritas ait, Non est deus mortuorum, sed viuorum. Omnes enim viuunt ei. Amplius, Cū liberaturus erat dominus populum Israeliticum ex Aegypto, se deum Abraham, Isaac, & Iacob cognominauit, eo ipso insinuans quod illorum sanctorū patrum meritis & contemplatione illam liberationis gratiam esset eorum posteritati collaturus. Item, Moyses pro peccato populi deum orans dicebat: Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruatorum tuorum. & sequitur: Placatus est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. Hic indicat locus Moysen orasse deū per merita patrum, videlicet Abraham, Isaac, & Iacob. Quod si Moyse licuit offerre deo merita sanctissimorum patrum, multo magis licuit ipsis patribus sua deo offerre merita & bona opera pro expiandis populi Israelitici vitijs. Quod si dixeris illos iam recepisse præmium, bonorum quæ hic egerūt, nec posse amplius mereri: hoc ingenue fatemur, verum nō ex eo dicimus sanctos orare quod ad augmentū & cumulum suorum meritorum exaudiantur: sed meruerunt in hac vita, vt orantes in patria pro nobis, exaudirētur. Quapropter cum exaudiuntur, potius cedit illis in præmiū meritorum præcedentium, quā in nouum meritū. Et si eos esse extra tēpus merendi sit sufficiens causa vt non possint orantes nobis prodesse, etiam erit sufficiens causa, vt illorum merita prodesse nō possint, cū Moyses illa pro populo orans deo offerebat. Et si merita illorum prodesse potuerunt, cum Moyses illa offerebat deo, multo magis prodesse poterunt, si illi eadem deo offerat. Præterea ad Ezechiam regem per Esaiā hoc diuinū factum est respōsum: Protegam urbem hæc & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum, igitur consimili ratione propter primarios noui Testamenti duces Apostolos, Euangelistas, doctores & martyres, & reliquos eximia morum probitate conspicuos, nec vitæ castimonia & religione antiquis patribus inferiores, paratus est ipse dominus eorū posteris spiritualia conferre beneficia, idcirco sunt à nobis sancti deuote interpellādi, vt talia nobis bona impetrent. Denique eadem præcādi lege orabat Azarias positus in fornace accēsa igni: Ne quesumus (inquit) tradas nos in perpetuū propter nomen tuū, & ne dissipēs testamentū tuum, neque aufe-

Ecclesiast. 9.

Ioan. 11.
1. Theſſa. 4.

Gene. 28.

Gene. 48.

Matth. 22.

Exo. 31.

Exo. 32.

4. Reg. 19.

Danie. 3.

ras misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris. Sic autem orans exauditus est, quoniam liberatus est cū focijs suis de fornace ardenti. Quòd si merita sanctorum iam defunctorum nihil prodesse possent post eorum mortem, frustra Azarias deum orans illorum patrum merita deo obrulisset. At cum notum sit eum non frustra orasse, sed exauditus fuisse, conuincitur merita sanctorum defunctorum nobis post eorum mortem posse prodesse. quoniam dū viueret suis inquietis vigilijs & honestis vitæ officijs meruerunt vt post mortem huiusmodi merita nobis conducerent. Iterum, apud Zachariam prophetam angelus dei orat deum pro populo Iudaico in captiuitate detento, dicens: Domine exercituum vsquequo tu nō misereberis Hierusalem, & verbum Iuda quibus iratus es? Isse iam septuagesimus annus est. Quibus verbis angelus orat deū pro redemptione populi Iudaici, ducens in recordationem Hieremiæ prophetæ oraculum, quo ex præcepto dei prædixerat post septuaginta annos in suam patriam & libertatem populum Iudaicum fore reducendum. Rursum Onias summus sacerdos Iudæorum, post mortem suam apparuit Iudæ Machabeo, manus suas extendens & orans pro omni populo Iudæorum, in qua visione alius similiter apparuit eidem Oniæ socius, de quo ad Iudam Machabeum Onias ait: Hic est fratrum amator & populi Israel. Hic est qui multū orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta domini. Si ergo sancti, in limbo extra statum meriti, & nondum deo fruente, pro suis orant: quanto liberius id facient cum dei gloria fruatur? Deinde Beatus Ioānes in Apocalypsi vidit quatuor animalia & viginti quatuor seniores qui ceciderunt corā agno, habentes singuli citharas & phylas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et in eadē Apocalypsi, iterum vidit angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureū, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram deo. Cum autem ex doctrinā Saluatoris homines sancti in gloria sint æquales angelis dei, nō absurde colligemus, si angeli suis precationibus munera à deo pro nobis extorqueant, & homines sanctos eadē posse extorquere & obtinere. Ostendit & Augustinus quæstione 108. super Exodum, sanctorum martyrum precibus deum propitiari, quādoquidem exponendo locum illum, Facies & operimentum aliud recto de pellibus arietū rubricatis, dicit: Iubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significatur his etiā martyres sancti, quorum orationibus propitiatur deus peccatis populi sui. Et libro vno de Cura pro mortuis gerenda, capite 16. dicit, Certum est viuos per martyres adiuuari: sanctissimis autem eorum precibus iuuantur, igitur credendum est haud dubie martyres Deum pro nostris peccatis abluendis interpellare: nec solum precantur deum vt nostras sordes abluat, & noxijs animorum affectibus medeat, sed vt nobis & temporaneā & spiritalia beneficia pro sua erga nos benignitate largiatur. Tum etiam libro vigesimoprimum de Ciuitate dei, capite vigesimo septimo, dicit liberationem à peccatis fieri nostris orationibus, & etiam sanctis intercedentibus, vt in ignē non mittamur eternū. Et licet sancti æterna foelicitate fruente orent pro peccatoribus etiam mortifero scelere inquinatis, tamen in extrinseco iudicio non orabunt pro damnatis vt eis dominus parcat, quod scite & elegantè ostendit Augustinus in eodem libro, capite vigesimo quarto, vbi reprehendit illos qui putabant in iudicio dei omnibus rebus propter sanctorum preces esse parcendum. Et tractatu octuagesimo quarto in Ioannem, dicit nos non orare pro martyribus, sed eos oramus vt ipsi pro nobis oret. Adde quòd huic plaudat assertioni Damascenus libro 4. suæ Theologiæ, capite decimo sexto, in quo varijs argu-

mentis ostendit sanctos esse honorandos: Per eos (inquit) demones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mudantur, tentationes & tristitiæ soluuntur, omne donū bonum à patre luminum, per eos ijs qui inhæsitabili fide petunt, descendit. Quantum sanè laborares, vt inuenires adiutorem, qui ad mortalem regē te adduceret, & pro te ad ipsum sermones faceret? Adiutores ergo totius generis, deo pro nobis supplicationes porrigentes, non honorandi sunt: certe honorandi. Templā à nobis deo erigenda sunt in ipsorum nomine, fructus afferendi illorum memoriam venerantibus, & in ipsis lætātibus spiritu, vt propria inuocantium lætitiā fiat, ne nos non colere tentati, econuerso ipsos irremus. Nam ijs à quibus deus colitur, & eius serui delectantur: & quos despiciunt deus, & eius despiciunt clientes, in psalmis & hymnis & odis spiritualibus, cum compunctione & misericordia indigemus, sanctos fide veneremur, à quibus maxime deus colitur. Statuas illis erigamus, & visibiles imagines, & nos ipsi animatæ statuæ & imagines ipsorum, virtutum imitatione efficiamur. Eiusdem est sententiæ venerabilis Beda, in homilia Euāgelij de muliere Chananæa, pro qua apostoli rogabant Christum, dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos: & demum ad ipsorum interpellationem & suggestionem, concurrente illius mulieris oratione, fidēque & humilitate, filia illius liberata est à vexatione dæmonis. Verum (inquit Beda) si ad primas rogantis Ecclesiæ lachrymas dominus respondere, id est postulatam errantibus sospitatem mentis dare distulerit, nec sic quidem à petendo, quærendo, pulsando, desistendum est, neque impetrandi subeunda est desperatio. Sed tanta potius perseuerandum instantia, tam obstinato frequentandus clamore saluator, tantum etiam sanctorum eius inter litanias appetenda suffragia, donec & ipsi de cælis domino pro audienda supplicent Ecclesiæ. Sicque fit vt si mentē ab intentione proposita non mutauerit, nequaquam fructu petitionis fraudetur: sed siue pro sua fragilitate quis, seu pro alijs interuenierit, desiderato potiat effectū. His verbis maximopere Christianorum deuotio commendatur, qua sanctos rogant vt certissimos patronos ad assequenda dei munera. Beatus quoque Bernardus Sermone sexagesimo sexto, super Canticum Cantorum, reprehendit quosdam sui temporis hereticos, qui negabant sanctos esse orandos. Tum etiam Cyprianus libro primo Epistolarum, Epistola ad Cornelium fratrem, ostendit orationes sanctorum cum hinc ad cælum euehantur & demigrant, non intermitti: & defunctos, in orationibus pro ipsis viuus perseuerare: Incubamus (inquit) gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cælestia quæ stare & perseuerare fortiter faciunt. Hæc sunt munimēta spiritalia & tela diuina quæ protegunt. Memores nostri inuicem sumus, concordēs atque vnanimēs vtrouique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus. Et si quis hinc nostrum prior diuinę dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud deū nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiā patris non cesset oratio. Nec diuersa est sententiā Cyrillus libro de Recta fide, ostendens orationes sanctorum pro Christo acceptari: Iam cui (inquit) magis conuenit facere compotes votorum sanctos, & largiri quod petunt, quā ei qui solus natura & vere deus est? Nec subicere possum quæ nō vulgari literatura scripsit Diuus Dionysius de vtilissimis sanctorum precibus, in vltimo capite sui libri de Ecclesiastica hierarchia: Itaque (inquit) scripture sacre acquiescēs, viles esse in hac vita dixerim sanctorum preces, hoc modo scilicet, si quis sanctorum munerū desiderio incensus, ad eāque percipiendā pie affectus, paruitatis tamen propriæ conscius, quempiam sanctorum virorum ad ear, orētque sibi adiutorem & precatorem accedere, capiet ex hoc omnino vtilitatē commoda cuncta excedēt: fruatur enim ijs quæ petit sacratissimis donis, suscipiente diuina clementia, atque imprimis in eo amplectēte religiofam cognitionē sui, reuerentiāque sanctorum, & laudabile sanctorum petitionū à se postularum desiderium, consentaneūque his sacratiorē habitum.

Iacobi 1.

Matth. 15.

Beda.

Bernardus.

Cyprianus.

Cyrillus.

Dionysius.

Est enim & hoc diuinis sancitum iudicijs, vt diuina munera ijs qui digni sunt sumere, decentissimo per eos tribuantur ordine, qui ea tradere non sunt indigni. Hæc ille. Quod si (vt dicit Clithoueus, in opere Veritatu, capite vigesimo primo) in petenda intercessione virorum sanctorum, qui adhuc mortalem hanc degunt vitam vera sunt, vt & profecto sunt: quato magis locum habent & veritatem in postulando caelestium incolarum interuentu, qui iam feliciter cum deo regnant, neque vnquam gratia & gloria excidere possunt? Magnum deniq; nobis praestat adiumentum Chrysofomus vt firmius nostram assertionem tueamur, qui in psalimum quinquagesimum, manifeste docet, Sanctos mortuos viuis patrocinari. Hic (inquit) sanctus. Dauid non solum cum in corpore esset, placuit deo, sed & post mortem suam viuis inuenitur prestitisse graue solatium. Contigit namque Ezechiae regi inimicas in temporibus Iudaeorum gentes circūuallasse Hierosolymam. Et cum esset Ezechias iustus vir, rogauit deum, & prostratus lachrymis deprecabatur, vltionem de aduersarijs postulans. Venit ad eum Esaias propheta & dicit, ne putaret ille, quia iustitia sua exauditus est, & certe iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens. Quid ergo dicit ei? Protegam hæc ciuitatem propter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & merita eius vigent. O rem admirandam, O ineffabilis clementia dei, homo mortuus viuo patrocinator. O iustorum & post consummationem inexpugnabilis pugna virorum, pro his omnibus gratias agamus deo, & tales nos exhibeamus in hac vita, quo possimus inuenire requiem sempiternam cum sanctis per Christum dominum nostrum. Et homilia quinta, in Marthae dicit: Habent enim vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque sanctorum, sed tunc profecto cum nos quoque id ipsum per poenitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Et in eadem homilia non negat pro peccatoribus supplicandum esse sanctis. Tum etiam homilia quadragesimae secunda in Genesim, asseuerat deum propter defunctorum virtutem, viuentium misereri, & curam habere. Vnde clamat, dicens: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum: quasi diceret, licet ipsi indigni sint, & nullam salutis habeant occasionem, verum quia solitus sum misericorditer agere, & ad miserandum promptus sum, propter meam fidem, & propter puerum meum Dauid, qui ante hos annos a vita migravit, hic autor erit salutis his qui sua sese perdidit desidia. Nunc opportunum esse video, vt sacrosancta in publicum Concilia a quibus sanctorum preces maximopere commendantur, proferamus. Concilium Gangrense capite vigesimo, suorum Decretorum, in hunc modum sanxit: Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quae ibidem celebrantur, spernedas esse crediderit, memoriaeque sanctorum contemnendas, Anathema sit. Sunt etiam alia plurima Concilia quae praecipunt litanias, hoc est rogationes sanctorum quotannis solenniter in Ecclesia fieri, in quibus ad omnes sanctos orationes & preces funduntur, vt deum pro populo orent. Nam Concilium Aurelianense, capite 23. suorum Decretorum sic ait, Rogationes, id est litanias ante Ascensionem domini placuit celebrari, ita vt praemissum triduanum ieiunium in dominicae passionis solennitate soluantur, per quod triduum serui & ancillae ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant & quadragesimalibus cibis vtantur. Fieri etiam litanias praecipit Concilium Gerundense, capite 3. Concilium etiam Toletanum & Braccharense. Verum haec rogationes quae ab his tribus vltimis Concilijs celebrari mandantur, aliae sunt ab illis quas celebrari praecipit Concilium Aurelianense. Quoniam ille in vere ante Ascensionem domini celebrari praecipitur: haec autem in mense Decembri. In hoc tamen conueniunt omnia illa Concilia, quoniam decernunt vt aliquo tempore rogationes solennes celebrentur. Quod si sancti non essent orandi, nunquam Concilia praecipissent tales litanias celebrari.

Chrysof.

4. Reg. 19.

Esaiæ 37.

Concilium
GangrenseConcilium
AurelianenseConcilium
Gerundense
Toletanum &
Braccharense

Denique si non audiant nostras orationes, aut nunquam pro nobis orantes exaudiantur, frustra illos sanctissimo Ecclesiae instituto orare praecipimur. Quod si praeter sacrarum literarum testimonia ecclesiastici doctores & moribus & literis absolutissimi asseuerent sanctos etiam mortuos viuis patrocinari, nescio cur obstrepant Lutherani & obgarriant, deridentes feruentissimam Christianorum erga sanctos deuotionem, quorum praesidio ad quidpiam a deo impetrandum iuuantur. ¶ Nunc videnda sunt quas obijciunt aduersarij rationes: Sancti martyres in Apocalypsi petierunt a deo vltionem sui sanguinis effusi, nec tamen impetrarunt. Nam scriptum est, Et cum aperuisset agnus sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes: Vtique domine sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum, de ijs qui habitant in terra? Et datae sunt illis stolae albae, & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi. Quod si sancti martyres non obtinuerint quod pro se efflagitabant, quomodo impetrabunt quod pro alijs rogant, & viuis patrocinantur? Videtur igitur vanus Christianorum conatus in fundendis ad sanctos precibus. Hac nixus est ratiuncula Vigilantius haereticus, quae tamen in hunc modum dissoluemus: Falsum est sanctos martyres petisse a deo vltionem sui sanguinis, & nullo modo eam impetrasse: licet enim dominus vindictam de inimicis eorum opportune distulerit, non propterea penitus eis denegauit nec refutauit, & plus acceperunt sancti illi martyres orando, quam petierant. Siquidem datae sunt singulis eorum singulae stolae albae, id est gloria animarum ipsorum in caelesti paradiso. Data est & eis duplex consolatio, dum facta est eis duplex promissio: Vna quidem de adimplerione sui desiderij circa vindictam de inimicis eorum tempore opportuno faciendam: Altera, de futura conseruorum suorum ac fratrum saluatione, quam & ipsi ardentem sicut. Plus igitur ex diuina largitate & misericordia acceperunt quam petierint. Nec precando deum passi sunt repulsam, sed exaudita est eorum oratio quantum decenter fieri debuit. ¶ Acrius vrgent, Cum habeamus certissimum & sufficientissimum aduocatum Iesum Christum dominum nostrum, de quo dicit Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi: quid tot aduocatis & patronis nobis opus est, vt a deo beneficium impetremus? Nonne sufficit assidua ipsius Christi pro nobis apud deum patrem interpellatio? Per ipsum siquidem (authore Paulo) habemus accessum in vno spiritu ad patrem. Et vnus est mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, per quem tanquam summum pontificem preces nostrae deo offeruntur, & sunt acceptabiles. ¶ Huius argumenti solutio, Nullus vnquam Christianorum negauit Christum esse summum & primum nostrum aduocatum apud patrem, qui nostrae fragilitatis causam agit, & nostram ad vitia pronitatem agnoscedo pro nobis apud suum patrem misericordiae fontem vberimum patrocinator, nos a vitio ad virtutem reuocat, cuius precibus pater nobis veniam condonat, & quicquid nostrae salutis necessarium est, impartitur. Ad hunc primo confugiendum est, vt commoti nostri animi fluctus quiescant. Ab hoc primario petendum subsidium, ad quem tanquam ad sacram nostrae salutis anchoram sincera & euangelica fides nos perducat. Sunt tamen sancti, nostri aduocati secundarij & accessorij, ad quos cum arbitramur nos esse indignos propter grauem peccatorum sarcinam qua premimur, vt Christum confestim inuocemus nobis adiutorem, nostras familiaris & audacius preces inflectimus, vt nostrae succurrant inopiae, nostramque necessitatem releuent. Et id quidem a deo constitutum est, non quidem ob primarij nostri aduocati insufficientiam, sed ob eximia bonitatis ipsius exuberantiam, & sapientissimam prouidentiam, qua ordinauit & voluit alios secum esse coadiutores & coo-

Apocaly. 6.

1. Ioan. 2.

Ephes. 2.
1. Timot. 2.

peratores in procuranda hominum salute, vt multiplicatis intercessoribus diuina maiestas facilius ad opitulandum nostrae infirmitati inflectatur. Et illud Ioannis testimonium in aduersarios retorqueri potest. Si enim Christus quatenus homo oret pro peccatis totius mundi suum patrem, licet perpetua dei gloria fruatur, nihil prohibebit sanctos deo quamgratissimos orare pro nobis, tamen aeterna perfruantur gloria. Et cum certas ex Paulo, Vnus est mediator dei & hominum homo Christus Iesus, verum est, & id fateri, quantum ad nostram redemptionis opus, quoniam per mortem eius & passionem, sumus redempti a potestate principis tenebrarum, & deo reconciliati. Sancti vero sunt secundarij & adminiculatiui mediatore, quantum ad supplicationis & impetrationis officium, quoniam illud cum Christo obeunt, inferiori tamen gradu. Et quis nescit virginem Mariam insigniter & excellenti quodam gradu post Christum interpellare pro nobis, & vere mediatricem & aduocatam nostram dici & appellari? Vnde & sanctus Bernardus in suis sermonibus, & operibus, sacratissimam virginem Mariam non semel vocat mediatricem nostram, quinimo & sancta Ecclesia eandem in suis canticis deprecatorijs, & laudatorijs, nunc mediatricem nostram, nunc aduocatam religiose appellat. ¶ Amplius decertant de filio prodigo, qui postquam suum patrimonium deuorauit & decoxit, poenitentia ductus, ad suum patrem clementissimum redijt, petiturus ab eo sui delicti veniam & misericordiam, nec ad alium quam ad suum patrem confugit, vt quod perebat obtineret, sui que voti compos fieret. Nonne significant haec, & nos commonefaciunt, vt subito post culpam & scelus a nobis commissum, ad deum ingemiscens confugiamus? qui magis gaudet super vno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. Denique illis fauere videtur Chrysostomus homilia quinta in Mattheum, dicens: Si negligentes fuerimus ac desides, nec per aliorum quidem possumus merita saluari. Si vero mente vigilemus, etiam per nosmetipsos istud valeamus efficere, & multo magis nostro quam alieno tuti esse suffragio. Nam & deus salutem nostram, non tam alijs rogantibus pro nobis vult donare, quam nobis: vt hoc ipso quo iram in nos eius placare cupimus, ad studia meliora migremus, & fiduciam bonae conscientiae colligamus. Sic enim Chananæam illam aliquando miseratus est, sic etiam meretrici donauit salutem, sic latronem a cruce in paradysum transtulit, nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus. Et exponendo quod dicebat Christus Chananæae, quae bis repulsa non desistit ab orationibus, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, dicit: Tu vero diligenter considera, cum nihil ab apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum: tantum quippe potest iugis & feruens oratio. Mauult enim nostram deus, qui rei sumus, quam aliorum pro nobis orationem. Tum etiam homilia quarta de Poenitentia, ostendens maximum esse discrimen inter orationes quae fiunt deo & hominibus, dicit: Ad deum semper confugiamus, & volentem & potentem nostras molestias soluere. Atqui homines si quando exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, parasitisque histrionibusque suadere, & longam sapenunero viam abire. In deo nihil est tale, sine mediatore exorabilis est, sine pecunia, sine impensa precibus annuit. satis est enim solo corde clamare, lachrymas fundere, atque ilico eum ad misericordiam contraxeris. Et item homines deprecantes sapenunero formidamus, ne quis inimicorum perceperit, aut rem ex aduersarijs quisquam intellexerit, alioqui prodit dicenda, iustumque corumpit: in deo autem nihil est tale suspicari. Cum enim me volueris precari, solus accede adstante nemine, corde videlicet clama, neque labia mouens, ostium tuum claude, intra (inquit) in cubiculum tuum, & ostium tuum claude, & ora patrem tuum in occulto. Vide honoris excellentiam, cum autem te honoro, orbem nolo beneficii testem: credamus ergo, atque haud ad ostentum oremus, neque contra inimicos; sed deum nostris precibus oremus, neque illum nostri auxilij modum doceamus. Si enim aduocatis &

Bernardus.

Lucæ 15.

Chrysosto.

Lucæ 7. & 23.

Matth. 15.

Matth. 6.

oratoribus hominibus forensibus in iudicijs solum res ipsas nostras explicamus, suffragiorum vero locos illis relinquimus, qui pro libito nostras ipsi partes disponant: multo magis in deo id faciendum fuerit. Et in quadam homilia de Muliere Chananæa eadem habet, vbi sic loquitur: Deus non includitur loco, sed semper in proximo est: & qui in loco non clauditur, fide tenetur. Nam si hominem rogare volueris, interrogas quid facit, & audiens dormit, aut non vacat, aut certe non dignabitur respondere minister tibi. Ad deum autem nihil horum opus est, sed vbicumque fueris, aut inuocaueris, audit te: non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicito, Miserere mei, & deus ilico aderit: adhuc loquente te, dicit adsum. Ad haec, homilia de Profectu Euangelij, ostendens nos debere cum in prosperis tum in aduersis deum interpellare, dicit: Non tibi opus est patronis apud deum, neque multo discursu, vt blandiare alijs, sed licet solus sis, patronusque careas, & per te ipsum deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facile deus annuit, cum alij pro nobis orant, vt cum ipsum et oramus, etiam si plurimam pleni sumus malis. Nam & hominum quos valde exulcerauimus, irae quiescunt si diluculo & meridie & vesperi apud eos compareamus, atque cum illis continua ac humili consuetudine conuerseremur: & multo magis apud deum si frequens fueris, licet indignus sis, dignus tamen eris, quoniam & indignus diuina familiaritate dignus fieri potest. Porro tria haec, nempe quod indignum frequentem conuersatio dignum reddat, & quod deus magis annuat, si per nos ipsos oremus, quam si alij orent, & quod dando saepe differt, non vt nos vacuis manibus amaret, & animo haesitabundo relinquat, sed vt bonorum maiorum nobis causa fiat. Tria haec inquam, ex parabola hodie nobis lecta, manifesta facere tentabimus. Accessit Chananæa Christum pro filia orans, quae a daemone agitabatur, & clamans contenta voce ait, Miserere mei domine, filia enim mea male a daemone torquetur. Ecce alienigena mulier & barbara, & extranea a Iudaeorum iurisdictione: & quid aliud erat, quam canis & indigna, quae voti compos fieret? Non enim honestum est (inquit) vt accipiat panis filiorum, & obijciatur canibus. At tamen precum frequentia digna facta est, non solum vt inter filios recederetur quae erat canis, sed & vt multis laudibus honestata dimitteretur. Dixit enim: O mulier, magna est fides tua. Quoniam autem Christus dixit, Magna est fides tua, nulla opus est demonstratione, & inquisitione vltiori de mulieris huius gloria. Vides quomodo mulier quae indigna erat, ex assiduitate facta est digna? Vis discernere quod etiam per nos ipsos orantes, apud deum plus efficimus, quam dum alij pro nobis orant? Clamauit haec, & vt accesserunt discipuli, dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Et ad illos quidem dixit: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel. Quando autem ipsa accessit, & perseuerauit, clamans & dicens: Domine etiam, nam & catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum, tunc beneficium dedit, & ait: Fiat tibi sicut vis. Vides quomodo repulit, cum alij precarentur: vbi vero ipsa accessit, clamauit, annuit? Illis enim inquit, Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel: huic autem dicit, Magna est fides tua, fiat tibi vt vis. Similiter ab initio & ad ingressum petitionis nihil respondit, vbi autem semel & iterum & tertio accessit, tunc denique beneficium concessit. Et in fine docet, quod dare distulerit, non vt eam repelleret, sed vt patientiam mulieris omnibus monstraret: Nam si propter repulsam distulisset, neque tarde ei donasset, & nos minime agnouissemus mulieris ab initio vsque ad finem sortitudinem. Dimitte eam (inquiunt) quia clamat post nos. Vos auditis vocem, ego mentem video, scio quid dictura sit. Nolo thesaurum mentis suae occultum permanere, sed expecto & fileo vt manifestetur, & omnibus clarus fiat. Cum haec omnia non ignoremus, post haec, licet peccatores simus & indigni in quos conferantur beneficia, licet soli simus, & intercessoribus careamus, ne deficiamus orando, ne despodeamus animum: scientes, magnum apud deum pa-

Matth. 15.

trocinium esse, per semetipsum magna alacritate ad deum contendere: quamuis autem differat, & cesset vt largiatur, neque sic recedamus, scimus enim quod misericordia, magnæque erga nos clementiæ est, ita differre & tardare. Si ita senserimus, animæque dolente & feruida ac excitata, & tali quali ad ipsum Chananæa accessit, etiam si canes simus, grauibûsque in peccatis, & nostra amoliamur mala, tantumque fiducia accipiemus, vt alijs quoque patrocinari possimus: quemadmodum Chananæa hæc non solum ipsa fiducia, & multas laudes consecuta est: sed & filiam intolerabilibus molestijs eripere potuit. Nihil enim, nihil iniqua, precatione ignita & sincera validius est: ipsa enim & præsentia mala dissoluit, & à futuris poenis eripit. Vt igitur & præsentem vitam facilius transigamus, & ad iudicium fidentius migremus, multo studio, alacritatæque sedula, precibus vacemus. Nam sic & reposita bona obtinere poterimus. Hæc ille. ¶ Quod obiectum est pro exemplo orationis ad deum proxime inflectendæ, de filio prodigo qui dolore suæ prodigalitati & inhonestæ vitæ compunctus ad suum patrem primo confugit, non addubito quin suadeat principaliter magna cum optimi animi fiducia ad deum nostræ salutis authorem recurrendum esse, etiam si sancti pro nobis non orarent. Nam absolute & simpliciter potest Christianus absque sanctorum præsidio æternam felicitatem indipisci, alioqui deus summam & feruentissimam hominis contritionem & poenitentiam, elemosynis, oratione sincera, & ieiunijs instructam, & præmunitam, nihil faceret, nulloque pensaret præmio, si homo non oraret sanctos, quod est absurdissimum. Secundario tamen confugiendum est ad sanctos, quorum ope nitimur vt facilius præsupposita dei ordinatione quod flagitamus, nanciscamur. Oratio siquidem pro alio procedit à charitate, ergo qui maiori charitate illustrantur, facilius & celerius obtinent suis precibus quod viatores desiderant, quam qui minorem charitatem habent: perfectior autem est charitas in beatis quam in viatoribus: igitur eorū precationibus facilius quod postulamus assequemur, quam viatorū orationibus. Et hac quæso vt re aduersus Lutheranos Dionysij regula ad obseruandum ordinem diuinitus institutum. Vltima reuocantur ad supremam per media, cū igitur homines in hac peregrinatione constituti, facta ad beatos & angelos & homines cōparatione, vltima sede donentur, & sancti sint medij inter deum & viatores, congruum est & maxime conueniens, vt viatores sanctorum adminiculis & præsidio, ad deum qui summa in arce residet, reuocentur. Et ex hoc liberalissima dei bonitas in omnes effusa, plenius & apertius nobis innotescit. ¶ Quæ vero ex Chrysofomo adducta sunt, magnam vim habent & plurimum momenti, nec tamen nobis aduersantur, nec nostram profligant assertionem. enim uero si nobis aduersarentur, non addubito quin & Chrysofomo aduersarentur & reclamarent, qui acerrime defendit sanctorum pro nobis suffragia & patrocina. Nam homilia quinta in Mathæum, postquam dixit: Sic enim Chananæa illam aliquando miseratus est, sic etiam meretrici donauit salutem, sic latronem à cruce in paradysum transtulit, nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus: tandē subiunxit quod nobis adminiculatur: Et bene dicimus, non vt pro peccatoribus supplicandum esse sanctis negemus, sed ne nosmetipsos in otium ac desidiam resoluamus, & dormientes ipsi alijs tantummodo nostra curanda mandemus. Hæc ille. Primum demus operam ne desides simus in nostris proprijs orationibus & imploranda dei misericordia, ne de nostra animi oscitantia & torpedine sancti apud deum conquerantur. Deinde vitata omni ignauiam, si quod in nostra facultate situm est præstiterimus, & non possimus ex nobisipsis quod optamus impetrare, ad sanctos confugiamus, vt eorum meritis & precibus, voti compotes efficiamur. Nec quod ex iugi & inuicta Chananæa in orationibus perseuerantia, ab eodem Chrysofomo adductum est, concludit. Nam his verbis, Tu vero diligenter considera, cum nihil ab apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum: tantum quippe potest iugis & seruens oratio, subiunxit: Nam

quamuis maiore illi ad Christum potiebantur libertate, magnam tamen mulier patientiam ostendit, & exitu ipso rerum facillime intellexerunt apostoli quamobrem non statim ipsis quod pro ea petebant, concessit. Quod si subsequenter præcedentibus cohæreant, & (ni fallor) vere cohærent, noluit dicere Chrysofomus, apostolos pro Chananæa rogantes, nihil suis precibus illi mulieri cōtulisse: quandoquidem illorū patrociniū vnā cum iugi & assidua illius Chananæa in orationibus perseuerantia, deus illius mulieris filiam à vexatione dæmonis liberauit, sed quod non statim ipsis apostolis Christus quod pro Chananæa petebant, concesserit: non enim idcirco precationes reijciuntur, quia differuntur. Potuisset etiam Christus si voluisset, repente precibus suorum apostolorum, Chananæa misereri, sed noluit, non propter inefficaciam orationis ipsorum apostolorū, sed vt patientiam & perseuerantiam illius mulieris in orationibus experiretur. Etiam apostoli nondum erant confirmati in gratia, & perfecti in fide. idcirco non oportuit vt quicquid postulabant, obtinuerint. Quod si obieceris ex eodem Chrysofomo homilia de muliere Chananæa, dicente: Vide prudentiam mulieris, non rogat Iacobum, non obsecrat Ioānem, neque pergit ad Petrum, nec intēdit apostolorum chorū, non quæsiuit mediatorem: sed pro omnibus illis poenitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit. Concedimus sanè mulierem illam non confugisse in exordio suæ precationis ad apostolos, nec primaria intentione eorum auxilium postulasse: sed cum attonita stupore, & mœrore confecta agnouit Christum nihil sibi respondiisse, clamauit post apostolos, vt saltē eorum precibus sui voti desiderio potiretur. Et quod dicit Chrysofomus: Mauult nostram deus qui rei sumus, quam aliorum pro nobis orationem, id dictum putes, considerata meriti & satisfactionis ratione. Meritum siquidem innititur valori operis ad finem destinati, cui plerunque annexa est difficultas: & etiam poenæ æquo animo tolerandæ coniuncta est satisfactio. Et quoniam viuentes sunt in statu merendi, & non modico labore torquentur, vt deum prout oportet orent, & varijs perturbationibus ac molestijs iactantur, dominus maxime gaudet cum peccator ad eum proxime contendit, eūque misericordie se submittit. Sunt autem sancti in cælo triumphum agentes, à statu merendi exclusi. Si tamen spectemus rationem impetrationis, quæ innititur liberalitati eius qui rogatur, fatebimur deum facilius sanctorum precibus, quam nostris annuere, eo quod sunt perfectioris charitatis, & in excellentiori statu quam nos ipsi ad aliquid imperrandum cōstituti. Deinde quod obiectum est, quod scilicet nobis non est opus patronis apud deum. Primum id à Chrysofomo dictum putes, vbi iugis & feruentissima viatoris oratio, ac summa poenitentia patroni locum supplet. Aliter non est opus patrono & intercessore, considerando orationem à deo implendam. Hoc enim modo soli deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam & gloriam consequendam, quam solus deus largitur. Si vero consideremus orationem vt est ab aliquo impetranda, dico quod sanctorum subsidio & opitulatione nobis opus est, nō quidem simpliciter & absolute, sed secundum quid, supposita scilicet dei ordinatione: non quod deus per sanctos nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum precibus & meritis orationes nostræ fortiantur effectum. Et in hanc sententiam descendit sanctus Thomas, 2.2. quæst. 83. art. 4. Nec sancti quidpiam impetrant à deo pro nobis, nisi quod eorum orationibus vult fieri, quandoquidem eorum voluntas diuinæ voluntati cōsentanea est: & eorum orationes quantum est ex seipsis, sunt efficaces ad impetrandum quod postulant, licet vitio hominis & negligētia possit esse defectus, vt homo non conlequatur fructum orationum ipsorum. Quatenus autem oratione expressa aures diuinæ clemētiæ pro nobis pulsant interpellando, semper exaudiuntur: quia hac voluntate nolunt nisi quod deus vult fieri & impleri.



2. Mach. 12.

Rationes viuentium profunt defunctis ad ipsorum subleuationem.] Hanc in primis Assertionem probabimus ex illa secundi libri Machabæorum auctoritate, quam in officio missæ defunctis legit Ecclesia. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Hæc indicat sententia viuentium suffragia ferre supplicia pro defunctis: non his quidem qui iam æterna gloria perfruuntur, nec his qui ad perpetuos inferorum carceres detrusi sunt, & qui æternis supplicijs torquentur: sed ijs qui in purgatorio detinentur pro peccatis venialibus, cū quibus decesserunt, nondum remissis, aut nondum satisfecerunt pro peccatis mortiferis quæ olim perperarunt, tamen si eos poenituerit talia admisisse antequam exhalarent animam: nos vero sanctis precibus, excellentissimo missæ officio & deuotis oblationibus, illis succurrimus & patrocinaur, vt peccatorum (si qua dimittenda sunt) remissionem consequantur, aut à poenis soluantur. Et quoniam poena peccatum consequitur & comitatur, nomine peccati interdum in sacris literis exprimitur, vt effectus nomine suæ causæ. Nec qui dæmonis astu delusi negat purgatorium, hanc Machabæorum auctoritatem sugillare debent, eamque rejicere, eo quod liber ille non est de canone Hebræorum. Licet enim liber ille non sit de canone Hebræorum, Ecclesia tamen catholica illum librorum canonicorum numero ascripsit, vt ostendit in libris Machabæorum Prologus. Et inualida est hæc consecutio: Prædictus liber non habetur apud Iudæos canonicus, ergo & apud Christianos non debet haberi canonicus, sed esse extra canonicorum librorum album & calculum. Non enim Ecclesia subiicitur Synagogæ vt ancilla dominæ, sed dominatur eidem tanquam domina ancillæ, nec minus ei supereminet quam veritas figuræ, & lux clarissima vmbra. Et præter Ecclesiæ determinationem, cuius est sancire quænam libri sunt canonici & qui non, ad id ipsum comprobandum, Augustini testimonio vtetur, dicentis libro 18. de Ciuitate dei, capite 34. Ab hoc tempore, apud Iudæos restituito templo non reges sed principes fuerunt vsque ad Aristobulum. Quorum supputatio temporum, non in scripturis sanctis quæ Canonice appellantur, sed in alijs inuenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones, vehementes atque mirabiles. Qui antequam Christus venisset in carnem, vsque ad mortem pro dei lege certauerunt, & mala grauissima atque horribilia pertrulerunt. Hæc ille. Illorum autem martyrum passiones de quibus loquitur Augustinus describuntur in secundo libro Machabæorum, & potissimum in septimo illius libri capite, vbi septem fratrum Machabæorum cum inuicta eorum matre gloriosa certamina narrantur contra impium & sceleratum Antiochum pro lege suscepta. Quare nullus hæsitare debet secundum Machabæorum librum apud Ecclesiam & Ecclesiasticos doctores probatissimæ esse auctoritatis, cui nullus nisi à tutissimo Ecclesiæ tramite deuiet, aduersari debet. Consentit & huic Machabæorum sententiæ, illud verbum Tobie senioris ad filium suum: Panem tuum & vinum tuum, super sepulturam iusti constitue. Quo dicto Nicolaus Lyranus id documentum tradi perhibet, quod pane & vino pascendi sunt & subleuandi pauperes per eleemosynam in morte iustorum, ad refrigerium & opitulamen animarum, ipsorum pie defunctorum. Adde quod ab ipso primitiue Ecclesiæ exordio obseruata est illa laudabilis consuetudo effundendi preces pro vita defunctis à toto sacerdotum choro, in præsentia funeris intra templum delati. Quemadmodum testatur beatus Dionysius capite 7. de Ecclesiastica hierarchia, vbi ita loquitur, Accedens deinde venerandus antistes, precem sacram super mortuum peragat, postque precem, & ipse eum præsul salutet, & suo deinceps ordine qui astant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat & regione vi-

Augustinus

Tob. 4.
Lyranus.

Dionysius.

uorum, in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor & tristitia & gemitus. Ista (vt reor) perspicua sunt beatissima sanctorum præmia, quid enim immortalitati perfectæ, omnique tristitia vacuæ, ac plenæ perpetui luminis conferri possit? Licet multum sanè promissiones illæ omni sublimiores nostra mente sint, quæ vocabulis nobis congruis designantur: longe tamen inferiores earum re & veritate appellationes habent. Verum enim profecto illud existimandum eloquium est, quod oculus nō vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Sinus autem beatorum patriarcharum reliquorumque sanctorum omnium sunt (vt reor equidem) sacratissimæ illæ ac beatissimæ sedes, quæ omnes diuinam effigiem præ se ferentes, in sua suscipiunt infensibili & beatissima requie. ¶ Ac fortasse inquires, ista quidem recte à nobis dici, verum ambigere cuius rei gratia præsul diuinam precatur clementiam, defuncto peccatorum veniam postulans, & æqualem sanctis ac lucidissimam sortem. Si enim eorum quæ in vita gessit, bonorum aut malorum, à diuina iustitia percipiet præmia, perfecit autem actiones suas in vita ista defunctus: quænam hunc oratio præsul et aliam (præter illam quam meruit, vitæ hic actæ respondentem) transferret requiem? Non ignoro quidem & ego diuinis eloquijs accedens, singulis reddendam pro meritis sortem. Conclufit enim Dominus (inquit) apud se, & referet vnusquisque ea quæ per corpus gessit, siue bonū siue malum. Quod autem & iustorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem ijs solis profunt, qui digni sunt, scripturæ nos edocet sacrosancta traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis oratio? quid Hebræorum iuuat plebem prophetica interpellatio? Nam profecto idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, diuinis nequaquam intendendo muneribus, & à sanctissimis beneficijsque recedendo mandatis. Itaque scripturæ sacræ acquiescens, viles esse in hac vita dixerim sanctorum preces, hoc modo scilicet, si quis sanctorum munerum desiderio incensus, ad eaque percipiēda pie affectus, paruitatis tamen propriæ cōscius, quempiam sanctorum virorum adeat, orētque sibi adiutorem & precatorem accedens, capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem: fruatur enim ijs quæ petit sacratissimis donis, suscipiente diuina clementia, atque in primis in eo amplectente religiosam cognitionem sui, reuerentiamque sanctorum, & laudabile sanctorum petitionum à se postularum desiderium, consentaneumque his sacratiorem habitum. Est enim & hoc diuinis sanctum iudicijs, vt diuina munera ijs qui digni sunt sumere, decentissimo per eos tribuatur ordine, qui ea tradere non sunt indigni. Hanc si quis spernat sacrosanctam disciplinam, atque infelici elatione seductus dignum se diuina arbitretur familiaritate, sanctosque despiciat, hic certe si petitiones indignas deo, neque sacras postularit, intentōque careat diuinorum desiderio, sibi que ipsi consentaneo, imperita postulatione per seipsum nunquam potietur. Quænam verò de huiusmodi prece (quam super defuncto peragit præsul) ex diuinis ducibus nostris traditio peruenit ad nos, operæ pretium est vt dicamus: Venerandus antistes (vt scriptura ait) interpres est iudiciorum diuinorum, angelus enim domini omnipotentis est. Didicit igitur de scripturis diuinitus traditis, vt ijs qui pie vixerunt, lucidissima diuinæque vita pro merito ab æquissimis lancibus redditur, non recordante diuina bonitate per summam clementiam maculas, quæ illis ex humana infirmitate adhæserunt: Nullus enim (inquit) est mundus à labe. Ista quidem nouit pōtifex promissa à sanctis eloquijs, petit autem ea fieri, donari que eis qui pie vixerunt, præmia sacra, simul quoque seipsum ad imitationes dei benignius formans, & aliorum dona, quasi proprias expetens gratias, neque ignorans veras repromissiones futuras, præsentibus etiam aperte demonstrat, quod quæ ab eo fa-

Esaiæ 64.

1. Corint. 2.

2. Corin. 5.

Malach. 2.

Iacobi 4.

cro iure postulantur, omnino illi consequentur, qui in vita diuina consummati sunt. Neque enim vnquam peteret pontifex diuinæ iustificationis prædicator, quæ deo sciret non esse gratissima, & quæ largiturum se ille nequaquam promississet. Quocirca prophanis vita functis non ista imprecatur, non modo quia in hoc proprium desereret ordinem, & aliqua pôtificalis officij præsumeret, à diuino spiritu nequaquam agitatus: verum quia & indigne oras non exaudiretur, atque ad ipsum non immerito illud diceretur eloquium iustitiæ plenum, Peritis & non accipitis, quia male petitis. Postulat itaque sanctus antistes, quæ sunt promissa diuinitus atque accepta deo, & quæ largienda non ambigit vnà & diuinum ac benignum habitum præferens clemētissimi dei, & præsentibus aperte insinuans, quibus bonis donandi sunt sancti. Sic enim nituntur discernētibz virtutibus præfules quasi interpretes iustificationum diuinarum, nec eorum irrationabilibus motibus sapientissima diuinitate (vt honeste dixerim) obsequente seruiliter, sed ipsis pro merito eos qui à deo iudicati sunt, ministerio suo separantibus, spiritusque sancti inspirationi obtemperātibus: Accipite enim (inquit) spiritus sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Ioan. 20.
Matth. 16.

Etque qui reuelationes diuinas à patre summo didicerat, dicitur: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Sic profecto illè, omnisque illi similis præsul iuxta paternarum iustificationum sibi indultas reuelationes, declarando & traducendo deo charos admittit, & excludit impios. Præterea Augustinus in plerisque suorum operum locis commendat orationes pro defunctis factas, & ipsemet pro sua matre defuncta orauit, & pro ea interpellando dominum dicebat, vt scribit libro 9. Confessionum, cap. 13. Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi deus noster pro illa famula tua longe aliud lachrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur, quanquam illa in Christo viuificata, etiam carne nõdum resoluta sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide moribusque eius: non tamè audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autè tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur, in domino gloriantur! Ego itaq; laus mea & vita mea, deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me, per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis: dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam cõtraxit per tot annos post aquam salutis. Deinde laudat Augustinus suam matrem, quòd imminente die resolutionis suæ non cogitauerit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, sed quòd in memoriam sui ad diuinum altare fieri desiderauerit, cui nullius diei prætermisione seruietat. Et libro vno de Cura pro mortuis gerenda, ad Paulinũ, cap. 1. ostendit quòd si nusquam in veteribus scripturis reperiretur orandum esse pro defunctis, nos tamen debere prompto animo authoritati sanctæ Ecclesiæ obsequi, quæ pro vita defunctis ad deum preces fundit, nec orat pro mortuis, nisi dum hanc agerent vitã meruerint Ecclesiæ suffragia sibi applicari. Nec huic opinioni contrarium est quod dicit Paulus: Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Hæc (inquit) Apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem, non

Matth. 5.

1. Corin. 1.

Matth. 6.

2. Corin. 5.

tunc quãdo iam recipiendum est quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita soluitur quæstio: Quoniam quodam vitæ genere acquiritur dum in hoc corpore viuatur, vt aliquid adiuuent ista defunctos, ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adiuuantur. Sunt enim quos nihil omnino adiuuat ista, siue pro eis fiant, quorũ tam mala sunt merita, vt neque talibus digni sint adiuuari: siue pro eis quorũ tam bona, vt talibus non indigeant adiuuentis. Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur vt profint vel non profint, quæcunq; pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritũ per quod ista profint, si nullum cõparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. ita sit vt neque inaniter Ecclesia vel suorũ cura pro defunctis, quod potuerit religionis impèdat, & tamen ferat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum, reddente domino vnicique secundum opera eius. Vt enim hoc quod impenditur possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore. poterat inquisitioni tuæ sufficere mea breuis ista responsio: sed quia alia mouent, quibus respondendũ existimo, parumper attende. In Machabæorũ libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificiũ, sed etiam nusquã in scripturis veteribus omnino legeretur, nõ parua est vniuersæ Ecclesiæ quæ in hac cõsuetudine claret authoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ domino deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam cõmendatio mortuorum. Amplius lib. 21. de Ciuit. dei, cap. 24. dicit pro quibusdam defunctis Ecclesiæ vel quorundam piorũ exaudiri orationẽ, qui in Christo renati, nõ adeo ita male vixere in corpore, vt tali misericordia haberentur indigni: nec ijdem sic bene, vt inuenirentur tali misericordia nõ egere. Et Serm. vno de Cura animæ, dicit orandũ esse pro ijs qui sunt in purgatorio, & eis toto affectu subueniendum esse orationibus, eleemosynis, sacrificijs, ieiunijs, & macerationibus. Ad hæc libro vno de Hæresibus, ad Quod vult deũ, cap. 53. ostendit Arrianorum errorẽ esse, dicere viuentium suffragia non posse defunctis prodesse. Deniq; Damascenus in quodam sermone de Suffragijs mortuorum, approbat morem subleuandi mortuos pijs precibus, in quo ait: Mysteriorum concilij discipuli saluatoris & sacri apostoli, in tremendis & viuificis mysterijs, memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Cui subscribit & Isidorus, dicens: Sacrificium pro defunctorũ fidelium requie, offerre vel orare pro eis, quia per totum hũc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis apostolis traditum sit. Hoc enim vbiq; tota tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorũ spiritibus eleemosynam faceret, vel sacrificium deo offerret. Hanc quoque comprobat sententiam beatus Gregorius scribens ad Bonifacium, quod recitatur 13. quæstione 2. capite Pro obeuntibus, in hunc modum: Pro obeuntibus quippe cõsuluisse cognosceris, si liceat pro eis oblationes offerri. Sancta sic tenet Ecclesia vt quisque pro mortuis vere Christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam. Et peccatis omnes subiiciamur, congruit tamen vt sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat & intercedat. Eodem etiam Decretorum loco, & proxime sequente capite, scilicet Animæ defunctorũ, ita dicit Gregorius, Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur: aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunijs cognatorum. Huic consentit Innocentiũ 3. in suo libro de officio missæ, dicens: Orat pia mater Ecclesia non solum pro viujs, sed etiã pro defunctis, & eos sacre oblationis intercessionem commendat, certissime credens quòd sanguis ille pretiosus qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viuentium, verum etiam ad absolutionem valeat mortuorum. Et vt magis ostenderet Ecclesia fidem suã qua tenet nostrum sacrificium mortuis prodesse, statuit & decreuit, vt in omnibus missarum celebrationibus, loco debito, defunctorum memoria habeatur. Insuper nostram confirmabimus assertionem decreto concilij Cabilonensis, quod in libro

Damascen⁹

Isidori

Gregorius

Innocenti⁹ 3.Consilium
Cabilonen^{se}

l.j.

Decretorum de Consecratione, distinctione i. capite Visum præterea, recitatur in hunc modum: Visum præterea nobis est, vt in omnibus missarum solennibus, pro spiritibus defunctorum, loco competenti in Ecclesia ad dominum deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus ad dominum deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces domino in missarum solennibus fundantur. Præterea fauet Theophylactus laudabili Ecclesiarum consuetudini, non desistentis deprecari dominum pro his qui ad purgatorios ignes deieci sunt. Quandoquidem enarrans illum Lucæ locum, Timere eum qui postquam occiderit, habet potestatem conijciendi in gehennam, sic loquitur: Vide enim quod non dixit: Meruatis eum qui postquam occiderit, mittit in gehennam, sed habet potestatem mittendi. Non enim semper qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate dei, vt etiam dimitti possint. hoc autem dico propter oblationes, & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his qui in grauibz peccatis morui sunt. Non omnino igitur postquam occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Ne igitur cessemus per eleemosynas, & intercessionem propitium reddere eum, qui potestatem habet mittendi, non semper autem potestate hac vtentem, sed & valentem remittere quiddam. Quoniam multi putant morientes pro veritate à deo derelictos. Ne hoc existimetis vos (inquit) non enim moriuntur quasi à me derelicti. Si enim nullus ex passerulis qui venduntur in obliuione est, multo maioris igitur vestra mors erit qui amici mei estis. Hæc ille. Si Lutherus istorum suffragiorum hostis nocentissimus, receptissimis Ecclesiarum sancitis, & tot doctoribus eximia doctrina præditis fidem adhibuisset, non in tantum errorem incidisset, nec à sua matre sectus & ex industria diuisus temere asseruisset, nihil prodesse defunctis orationes, sacrificia, & eleemosynas quæ à viuis pro illis fiunt.

CAPVT V.

Ratio dominica deler quotidiana peccata, si dimiserimus debitoribus nostris. Hæc Augustiniana est Assertio, lib. 21. de Ciuit. dei, cap. 27. vbi ita scribit: Oratio quotidiana quæ docuit ipse dominus, vnde & dominica nuncupatur, deler quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur, Dimitte nobis debita nostra, quædo id quod sequitur, non solum dicitur, sed etiam fit, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sed quia fiunt peccata, ideo dicitur: non vt ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit saluator ostendere, quantumlibet iuste in huius vitæ caligine atq; infirmitate viuamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittere debemus orare: & eis qui in nos peccat, vt & nobis ignoscatur, ignoscere. Nô itaq; dominus propterea ait: Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis & pater vester peccata vestra, vt de hac oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel astutia, qua ipsos homines falleremus: sed vt per illam disceremus, non putare nos esse sine peccatis, etiam si à criminibus esse immunes, sicut etiã legis veteris sacerdotes hoc ipsum deus de sacrificijs admonuit, quæ iussit eos primum pro suis, deinde pro populi offerre peccatis. Nam etiam ipsa verba tanti magistri, & domini nostri vigilanter intuenda sunt: non enim ait, Si dimiseritis peccata hominibus, & pater vester dimittet vobis qualia cunq; peccata: sed ait, peccata vestra. Quotidianam quippe orationem docebat, & iustificatis vtiq; discipulis loquebatur. Quid est ergo peccata vestra, nisi peccata sine quibus nec vos estis, qui iustificati & sanctificati estis? Vbi ergo illi qui per hæc orationem, occasionem perpetratorum quotidie scelerum quarunt? dicit dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit, dimittet vobis peccata parua, sed peccata vestra. Ibi nos considerantes qualibus loquebatur, & audientes dictum, peccata vestra, nihil aliud debemus existimare quam parua: quoniam talium iam non erant

Theophyl.

Lucæ 12.

Matth. 10.

Lucæ 12.

In Lutheri,

Augustinus

Matth. 6.

magna veruntamen nec ipsa magna à quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vitæ iustorum, aliter non remittuntur: quanto magis multis & magnis criminibus inuoluti, etiam si ea perpetrare iam desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum alijs, quod in eos quisq; peccauerit, inexorabiles fuerint, cum dicat dominus: Si autem non dimiseritis hominibus peccata, neq; pater vester dimittet vobis. Ad hoc enim valet quod etiã Iacobus apostolus ait, iudicium futurum sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Venire quippe debet in mentem etiam seruus ille, cui debitori dominus suus relaxauit decem milia talentorum, quæ postea iussit vt redderet, quia ipse non misertus est cõserui sui, qui ei debebat centum denarios. In his ergo qui filij sunt promissionis, & vala misericordiam, valet quod ait idem apostolus, consequenter adiungens: Superexaltat autem misericordia iudicium, quoniam & illi iusti qui tanta sanctitate vixerunt, vt alios quoq; recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis, vt tales essent, misericordia liberati sunt ab eo qui iustificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, non secundum debitum: in eorum quippe merito est: Apostolus, qui dicit: Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. Illi autem qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est quod non sint his moribus præditi, vt eis liberandis sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere, ac per hoc multo amplius in eis superexaltat misericordia iudicium. Nec tamen ideo putandus est quisquam sceleratissimus nequaquam vita vel bona vel tolerabiliore mutatus, recipi in tabernacula æterna, quoniam obsecutus est sanctis de mammona iniquitatis, id est de pecunia vel diuitijs, quæ male fuerant acquisitæ, aut etiam si bene, non tamé veris, sed quas iniquitas putat esse diuitias: quoniam nescit quæ sint veræ diuitiæ, quibus illi abundant, qui & alios recipiunt in æterna tabernacula. Est itaq; quidam vitæ modus: nec tam malus, vt his qui eam viuunt, nihil profit ad capeffendum regnum cælorum largitas eleemosynarum, quibus etiam iustorum sustentatur inopia, & fiunt amici qui in tabernacula æterna suscipiant: nec tam bona, vt ad ratam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerint misericordiam consequantur. Mirari autem soleo etiam apud Virgiliū istam domini reperiri sententiã, vbi ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Cui est & illa simillima, Qui recipit prophetã in nomine propheta, mercedem propheta accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Nam cum Elyfios campos poeta ille describeret: vbi putat habitare animas beatorum, non solum ibi posuit eos, qui proprijs meritis ad illas sedes peruenire potuerunt, sed adiecit atq; ait: Quisq; sui memores alios fecere mercedo, id est qui promeruerunt alios, eosq; sui memores promerendo fecerunt. Prorsus tanquam eis diceret, quod frequentatur ore Christiano, cum se cuiq; sanctorum humilis quisq; commendat, & dicit: Memor mei esto, atque vt id esse possit, promerendo efficit. Sed quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt peruentionem ad regnum dei, vt tamé sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est inuenire, periculosissimum definire. Ego certe vsq; ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficendi ad omnia peccata: cauenda pigrescat: quoniam si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris assumptis intercessio sit inquirenda & speranda iustorum, eis secura se obuolueret humana segnitias, nec euolui talibus implicamentis vllius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis, eleemosynarum sibi largitione fecisset. Nunc vero dum venialis iniquitatis, etiã si perseueret, ignoratur modus, profecto & studium in meliora

Iaco. 2.
Matth. 18.Lucæ 16.
Roma. 4.

1. Tim. 2.

Matth. 10.

proficiendi orationi instando vigilantius adhibetur, & faciendi de māmōna iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur. Et lib. 1. de Symbolo, ad Catechumenos, cap. 6. dicit propter leuia peccata sine quibus esse non possumus, inuentam esse orationem. Hoc autem habet oratio, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: semel abluimur baptisate, quotidie abluimur oratione: Sed nolite (inquit) illa committere pro quibus necesse est, ut à Christi corpore separeremur, quod absit à nobis. Illi enim quos videtis agere poenitentia, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania, inde agunt poenitentiam. Nam si leuia peccata ipsorum essent, hæc quotidiana oratio delendo sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia: in baptisate, in oratione, in humilitate maioris poenitentia. tamē deus non dimittit peccata, nisi baptisate. Tum etiam enarrando psalmū illum, Quoniam nō iustificabitur coram te omnis viuens, ostendit & perfectos & imperfectos indigere oratione dominica: Didicerunt (inquit) apostoli orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi à iurisperito caelesti, Sic orate (inquit) Pater noster, &c. Et cum quadā præmississet, posuit & hoc ut dicerent arietes nostri, duces ouium, & præcipua mēbra pastoris, & cōgregatoris vnius gregis, ipsi didicerunt dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non dixerūt: Gratiarum tibi qui dimisisti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, sed dimitte sicut & nos dimittimus. Orabāt autē utiq; iam fideles, iam apostoli. Nam ista oratio dominica magis fidelibus datur. Si debita illa tantummodo dicerētur quæ per baptisatum dimittuntur, Catechumenis cōgrueret magis orare, Dimitte nobis debita nostra. Dicāt ergo apostoli, dicant Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et cum eis dictum fuerit, quare hoc dicitis? quæ debita vestra? Respondeant, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et libro 2. de Sermone domini in monte, docet deum non dimittere nobis quotidiana delicta, nisi sub cōditione, scilicet si dimiserimus debitoribus nostris. Et eo argumento ex oppositis validissimo nititur, quo Christus in Euangelio Matthæi ratiocinatur: Si consilium est (inquit) quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur deus: dimittamus debita debitoribus nostris, & oremus ut nobis nostra dimittantur. Et aliquot verbis interiectis, dicit: Sanē non negligēt prætereundum est, quod ex omnibus ijs sententijs quibus nos orare dominus præcepit, eam porissimum commendandam esse iudicauit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse voluit, quod vnum est consilium miseras euadēdi. Nulla enim alia sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum domino: dicimus enim, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: in qua pacto, si mentimur, totius orationis nullus erit fructus: sic enim dicit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester qui in caelis est peccata vestra, si autem non dimiseritis hominibus, neque pater vester dimittet vobis debita vestra. Hæc ille. Ex certissimo dei cum hominibus pacto, vides affirmationem cum affirmatione recurrere, & negationem negationi copulari: si enim dimiseritis hominibus, dimittet & vobis pater caelestis. Ex opposito, si non dimiseritis hominibus, neque pater vester dimittet vobis. Hinc pendere poteris assertionem illam non tam esse Augustinianam, quàm Euangelicam. Subscribit & Augustino Chrysostomus, eandem orationem in Matthæum explicans: Post impletam (inquit) orationis formulam, nullius prorsus mandati meminit Christus, nisi istius certe, quod ad dandam nobis veniam concitauit, ait quippe: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester caelestis peccata vestra. Itaque à nobis tora hæc res sumit exordium, futurūque de nobis in nostra potestate est iudicium. Ne enim vel irrationabilis quispiam, aut in magno aliquo, aut in exiguo delicto, de iudicio dei conqueri possit, ipsum reum dominum illius fecit esse sententia: Quemadmodum (inquit) tu tibi ipse iu-*

Psal. 42.

Matth. 6.

Ibidem.

Chrysosto.

dicaueris, ita etiam tibi iudicabo. Si enim dimiseris conferuo tuo, à me quoque eandem gratiam consequeris, & certe nequaquam istud aequale est. Tu enim remittis, cum certe quoque ipse remissione indigeas. Deus verò cum nullius vnquam indigeat, ignoscit: tu conferuo remittis, deus seruo. Et tu quidem mille peccatorum reus, deus verò ab omni peccato prorsus extraneus: & tamē sic quoque abundantia propria miserationis ostendit. Nam cum certe possit absq; hoc quoque tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista conferre, mille tibi occasiones mansuetudinis suæ ac pietatis ministrans, dummodo hoc quod in te est bellinum depellat, & iram qua flagras, extinguat: tēq; vndiq; tuis membris reiuugat. Quid enim quæso dicturus es, cum à proximo aliquid passus fueris iniuste: tunc quippe peccatū est: si verò iuste, ne peccatū quidem est. Fac ergo te iniuste aliqua perpeffum, talia proculdubio sunt quæ etiā tibi à deo poscis remitti, multoq; maiora. Sed ante ipsam quoq; veniam, non exigua donatus es gratia, edoctus scilicet humanā habere mentem, & omnem mansuetudinem eruditus. Supra hæc verò etiam merces tibi in futuro ampla tribuetur, dum nullius à te exigetur ratio peccati. Quo non igitur digni supplicio sumus, eū tali nobis à deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficitur proditores? Quemadmodum verò in alijs causis, ut audiamur, rogamus: qui nobis ea ipsa quorum domini sumus, nō impendimus? Et in quadā homilia de Oratione dominica, qua potissimū venialia peccata diluuntur, amplissime docet nos debere fratribus nostris promptissimo animo ignoscere, si à deo velimus nostrorū delictorum veniā obtinere. Quæ sunt (inquit) debita? forte cautionū debita, forte aliquid debemus deo. Quid debemus deo, nisi imaginē & similitudinem eius seruare illasam? quid debemus deo? honore mutuo præuenire. Sunt alia debita quæ debemus deo, peccauimus illi grauitate, iniuste egimus, iniquitate fecimus, aut, Quis castum se gloriatur habere cor, aut mundū se esse à peccatis? Si dixerimus quia peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo ista sunt debita, quia non est sine peccato nec infans vnius diei natus super terrā. Nam quomodo potest mundus esse de immundo cōceptus femine? quia in iniquitatibus cōcepti sumus, & in delictis mater nostra in vtero nos aluit. Exinde contraximus peccata, non tantū originalia, sed & propria commissa. De ipsis debitis clamamus, Dimitte nobis debita nostra. Et profitemur professionē periculosam, ut dicamus deo, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ergo dimittis peccata peccanti in te? discute conscientiam tuā. Si sol non subijt cū iracūdia tua, si maledicentē te, non remaledixisti, si iniuriam passus, non es cōminatus: si ista fecisti, in errorē te non induxisti, nec enim deum fallere potuisti, qui est iudex conscientia tuæ. Ergo non aliqua debita attendenda sunt, sed peccata peccantibus in se. Concludat Apostolus propositio-nem nostrā: ipse dixit: Nemini quicquā debeatis, nisi ut inuicē diligatis. Ecce si diligendo dimisisti, vera erit cōfessio tua. Nam cōsidera alibi quid dicit: Homo homini seruat iram, & à deo quærit medelā. Si vis ergo ut dimittantur tibi à deo quæ cōmisisti, dimitte peccanti in te: ne si non dimiseris, dicatur tibi: Serue nequā & piger, omne debitū dimissi tibi, quia rogasti me: & te non oportuit dimittere conferuo tuo? & eris non dimittendo inutilis seruus, & parriceps poenæ perpetuæ. Dimittite ergo de cordibus vestris, fratribus: ut dimittat vobis pater caelestis qui est in caelis. Tum etiā Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos, manifeste docet opus esse etiam perfectis post sacri baptisatis lotionē, oratione dominica: De baptisatis (inquit) fonte surgentes, & regenerati in dominū saluatorem, impleto illo quod de se scriptum est: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, statim in prima corporis cōmunionē Christi dicunt, Et dimitte nobis debita nostra, quæ illis fuerant in Christi confessione dimissa, & tu arrogas & superbus de sanctarum puritate manuum, & mūdicia eloquij gloriaris, quamuis sit hominis perfecta conuersio, & post vitia atq; peccata virtutum plena possessio.

Roma. 13.

Matth. 18.

Hieronymus

Psal. 31.

nunquid possunt sic esse sine vitio, quomodo illi qui statim de Christi fonte procedunt? & tamen iubentur dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: non humilitatis mendacio, ut tu interpretaris, sed pauore fragilitatis humanæ suam conscientiam formidantes. Amplius nostras tuetur partes Cyprianus, ostendens in sermone de Oratione dominica Christum quotidianæ precationis authorem certa nos conditione cōstrinxisse, ut si velimus nostra à deo optimo scelera dimitti, dimittamus & nostris debitoribus. Et antequam id colligat exponit locum illum, Et dimitte nobis debita nostra, &c. vbi loco dimitte, legit remitte: sed eadem est sententia: Post (inquit) subsidium tibi, petitur & venia delicti, ut qui à deo pascitur, in deo viuat: nec tantum præsentis & temporali vitæ, sed æternæ consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur, quæ debita dominus appellat, sicut in Euangelio suo dicit: Remisi tibi omne debitum, quia me rogasti. Quam autem necesse, quod prouidenter & salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de deo petitur, cōscientiæ suæ animus recorderetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat. Instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in epistola sua monet, dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est dominus, qui nobis peccata dimittat. In epistola sua utrunque complexus est, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ referunt: quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam misericordiam promissit, & veniam secururam, adiunxit planè & addidit legem, certa nos conditione & sponcione cōstringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrare non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco & alio loco dicit: In qua mensura mensi eritis, in ea remetietur vobis. Et qui seruus post dimissum sibi à domino omne debitum, conseruo suo noluit ipse dimittere, in carcerem religatur: quia indulgere conseruo suo noluit, quod sibi à domino indultum fuerat, amisit. Quæ adhuc fortius Christus in præceptis suis maiore censuræ suæ vigore prædixit: Cum steteritis (inquit) ad orationem, remittite siquid habetis aduersus aliquem, ut & pater vester qui in cælis est, remittat peccata vobis: si autem vos non remiseritis, neque pater vester qui in cælis est remittet peccata vobis. Excusatio tibi nulla in die iudicii superest, cum secundum tuam sententiam iudicaris: & quod feceris, hoc & ipse patiaris. ¶ Verum aduersus nostram assertionem congregietur aliquis, hoc argumento: Deus potentia & virtute infinita excellit, igitur potest nobis nostra dimittere debita, etiam si fratribus nostris non dimiserimus. Fateor deum absolute & simpliciter posse nobis condonare veniam, licet fratribus nostris non condonauerimus: supposito tamen pacto nobiscum inito, non dimittet nobis debita nostra, nisi & proximo nostro dimiserimus. Hoc iam ex Chrysostomo, alijs tamen verbis expressimus. Absq; hoc deus potest tibi peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista conferre.

CAPVT VI.

Randus est deus magis mente & sincero affectu quam voce.] Hæc Assertionem ex euangelicis orandi præscriptis affirmabimus, cui etiam doctores Ecclesiastici applaudunt. Hanc siquidem moderatam bene precandi formulam in secreto nostri animi pectusculo præscripsit Christus, dicens: Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Hoc præcepto nos monet Christus ut magis puro animi affectu & in tacito nostræ mentis

Cyprianus

Matth. 18.

1. Ioan. 1.

Marci 4.

Marci 11.

Matth. 6.

scrinibulo deum precemur, quam voce & vocis sonitu. Nō enim vocis oratio commendatione digna est, nisi promptus sit & attentus animus, cuius industria, labore, & officijs organum vocis mouetur. quandoquidē affectus est qui mouet deum, non inanis labiorum strepitus: neque refert, quam vocalis sit oratio, sed quam ardens ac sincerus affectus. idcirco sis in cubiculo tuo abditus cum ea sinceritate mentis deum alloqueris, nec inanis gloriæ aurula ventileris: poteris deinde pudica & moderata voce quod animus precando conceperat, depromere & in Ecclesia, & etiam in tua casula. Hieronymus illa Christi verba enarrans, dicit: Et simpliciter intellectum erudit auditorem, ut vanam orandi gloriā fugiat. Sed mihi videretur hoc magis esse præceptum, ut inclusa pectoris cogitatione, labijsque compressis, oremus dominum. Quod & Annam in Regum volumine fecisse legitur: Labia (inquit) eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur. Huic sanè peritissimo doctore subscribit Chrysostomus homil. 19 in Matthæum, dicens: Sunt quidam qui post tot tantaq; denuntiationes dei, tam sunt in orationibus impudentes, ut etiam latentes corpore, omnibus se faciant voce manifestos, tumultuose omnino clamantes, seseq; ridiculos voce facientes. Nōne cernis quæ admodum publice quoq; si quis ita ad quilibet accedat petendo, cumq; magna quippiā voce poscendo, remoueat à se illum, cui tumultuosius supplicabat: quod si idem iste quiete id ipsum etiam faciat ac modeste, tunc potius inflectet eum, qui potest tribuere quod rogitur. Nō igitur gestibus corporis, neq; clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationū vota reddamus, non cum sonitu oris, ac strepitu, non ad tam importunā ostentationē nostri, atq; iactantiā proximis nobis clamore appellemus, sed cum omni modestia, & contritione mentis lachrymisq; secretis. Sed doles animo, & omnino non potes à clamoribus tēperare. Imò verò maxime dolentiū est, illo vtiq; modo orare quo dixi. Nam & Moses dolebat, cumq; racens oraret, audiebatur, & propterea ad illum dixit deus: Quid clamas ad me? Anna quoq; cum vocē nullam prorsus emitteret, omnia tamen quæ voluit, impetrauit, quia scilicet sola, & tota mente clamabat. Abel verò non modo racens, sed etiam defunctus orabat, & tamē sanguis eius emittebat vocē omni prorsus buccina clariorē. Clama igitur & tu, sicut ille sanctus, nequaquam omnino prohibeo. Dirumpe (ut Propheta præcipit) cor tuum, & non vestimenta tua. De profundis (inquit) clamaui ad te domine. De imo prorsus corde vocetur hæc, & proprii pectoris contentus arcano, orationē tuam fac esse mysteriū. Non consideras ut corā regibus quoq; omnis coerceatur tumultus, & maximū vndiq; silentium cōmendetur: Et tu igitur regalē ingressus aulam, non eam quæ in terra est, sed illā quæ multo est terribilior, videlicet in cælo, plurimū reuerentiæ atq; ordinationis ostende. Vnus enim es ex angelorum choro, atq; archangelorū socius effectus, cum cherubim quoque atq; seraphim canis. Omnes nanq; isti cælorū populi maximum ordinem per cuncta conseruāt, cum timore ac tremore multo, regi omniū deo cæleste illud carmen, & sacros semper hymnos canendo. Istos igitur tempore orationis admisce, & mysteriorum eorum imitator efficere. Non enim homines oras, sed deum: certe vbiq; præsentem, & antequam vox tua insonet, audietem, omniāq; cordis arcana cernentem. Si ergo sic oras, plurimā accipies profecto mercedem. Hæc ibi. Nec verat (ut vides) clamorem in emittendis ad deum precibus, sed immoderatum clamorem & garrulā vociferationem. Præfert tamen cū oramus sincera animi affectum ipsius vocibus. Et homilia in festo sanctorum Ioannis & Pauli, exponens enūtiationem illam, Clauso ostio ora patrem, ait: Id est intra cordis & conscientiæ ipsius secretum à domino iubemur orare, ut ab eo qui secretorū & occultorū est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedē. Religiosa enim mētis est, deum non voce vel sono vocis, sed deuotione animi, ac fide cordis orare. Secundū quod Dauid in Psalmo testatur, dicens: Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris cōpungimini. Sic & Danieli cū tribus pueris occulte

Hieronymus

1. Reg. 1.

Chrysostomus

Exo. 14.

Gene. 4.

Psal. 129.

Psal. 4.

Dante. 2.

liiij.

semper oranti, interpretationem somnij & reuelationum secreta dominus scire concessit. Cornelius quippe necdum præceptis Euangelicis eruditus, dum in cubiculo suo secreta fideliter oraret, meruit vocē angeli sancti loquentis audire. Quid de Iona dicimus, qui non modo cubiculo, sed vtero beluæ clausus, intantum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tam immanis beluæ incolomis & viuus euaderet? Exauditus autem à deo est, non quia voce sed quia fide clamabat. Et ideo clamor vocis non est opus in oratione ad deum, quē scimus secreta cordis intueri, sed clamor fidei, ac religiosæ mētis deuotio. Vnde non immerito in sequētibus dominus ait: Orātes autē nolite multū loqui sicut Ethnici. Ethnici enim homines putāt multiloquentia verborū facilius se à domino posse impetrare quod postulant: sed hoc à nobis dominus non expectat, sed vult potius vt orationem nostram non verbositate sermonis, sed fide cordis, ac iustitiæ meritis cōmendemus. Et vtiq; qui melius nouit omnia quæ nobis necessaria sunt, & vniuersa quæ postulaturi sumus antequam loquamur, agnoscit. Quātum denique distet inter multiloquacem, & humilem, ac simplicem orationem, in Phariseo illo & Publicano habemus exemplum. Nam Pharisei iactantis se multiloquētia verborū, reprobatur oratio: Publicanus vero humilis ac summisus, pro peccatis suis veniam postulans, iustificatior iactanti se Phariseo descendit. In quo completum inuenimus id quod scriptū est: Oratio humilis nubes penetrabit, perueniens ad deum, qui orantis precem audire consuevit. Sed ne fallaris cum legis hæc, religiosæ mētis est, deum non voce, sed deuotione animi orare. Intellige Chryso-stomum solum voluisse innuere, deū potius deuotione animi quam voce orandum. Quod autem liceat imò sit meritorium orare voce, patet ex Psalmographo, dicente: Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus sum. Tum etiam dicit Augustinus ad Probam: Ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus deum, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus. Nec huic reclamatione sententiæ Chryso-stomus homilia 30. in Genesim, dicens: Scientes diaboli insidias, demus operam, vt illi quasi præsentem illum, & ante oculos stantem videntes, obliuemur: & cogitationem omnem, quæ nos interturbare possit repellamus, totiq; nitamur & loquamur, vt non solum verba, sed & mens verborum comes deum accedant: quare facile colliges nos & verbis & mente ad deum posse accedere. Facilius tamē integro & sincero affectu quam voce, quod ex eodem hæc subnectēte comprobabimus: Nam si lingua quidē proferat verba: mens autem foris sit, sua tractans negotia, & imaginans quæ in foro agantur, nulla nobis vtilitas est: fortassis autem & maior condemnatio. Enimuero si cum homines accedimus, tanto studio nostri curam agimus, vt propē stantes, sapenumero non videamus, sed colligimus mētem, & ad eum solum spectamus, quem accedimus: quanto magis apud deum idem facere continuo, & iugiter precibus insistere congruit? Propter hoc & Paulus scribens, dicebat: Orantes in omni tempore, orate & in spiritu, non lingua tantum, & cum perpetua (inquit) vigilātia, sed & in spiritu. Spirituales enim (inquit) sint vestra petitiones, sobria sit ratio, & ijs quæ dicuntur mens intendat. Talia petire, qualia à deo petere, conuenit, vt & petita obtineatis, & in illud incumbentes, & toti experefacti, sobrii, & mente solliciti, non oscitantes, & vt somniculosorum mos est, vos fricantes, & hinc & inde mentem vertentes, sed magno timore & tremore salutem vestram operemini. Beatus enim qui propter reuerentiam metuit omnia. Magnum bonum sunt preces. Nam si homini quis loquatur virtute prædico, non paruum inde fructum percipiet. Quantis ergo bonis fruetur is, cui cum deo colloquiū fuerit? Oratio enim colloquiū est cum deo. quod vt scias, audi Prophetā dicentem: Iucundum sit deo eloquium meum. hoc est, sermo meus appareat deo. Ad eam quoque assertionem suffulciendam, nobis Paulus feret suppetias, dicens in prima ad Corinthios epistola: Si orem lin-

gua, spiritus meus orat, mens autē mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Hæc edisserēs Chryso-stomus, dicit: Vides qui venerit huc paulatim, vt non solum cæteris inutilem fore monstrat, sed sibi ipsi etiam, siquidē mens huius fructu (inquit) vacat. Si quis enim loquitur modo, vel Persarum, vel peregrina quacūque tandem lingua, non intelligat autem quæ loquatur, erit ille sibi ipsi barbarus quoque, non alteri solum, vt qui non intelligat vim vocis. Erant enim iam olim, qui precandi donum, & lingue coniunctum haberent multi, & precabantur quidem & lingua sonabant, vel Persarum, vel Romana vrentes, mente verò quid dixissent, non intelligebant. idcirco si lingua, inquit, orē, orat spiritus, hoc est donum mihi cōcessum, linguamque mouens, mens autem fructu vacat. Quid ergo factu optimum & vtilissimum sit? quid facere, quæ postulare à deo oportet? spiritu pariter & mēte precari. Orabo (inquit) spiritu, sed orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Idem etiam hinc docet, lingua loqui, & intelligere mentē verba simul debere. Nam hoc nisi fit, confusio quedam alia nascatur oportet. Hæc ille. Non igitur satis est orare lingua & spiritu, id est dono dei & gratia linguam agitante, sed potissimū orare debemus mente: vt quod obnixe precamur intelligamus, & feruentius nostra excitetur deuotio. Adde quod Origenes enarrans illa Pauli verba: Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia deum postulat pro sanctis, nostræ fauer assertioni, dicens: Ostendit quidem deum, non tam verba nostra in oratione, quam cor mentemque perpedere, ipse enim est qui scrutatur corda & renes. Quod autem secundo, dicit quod spiritus interpellat, hoc est quod edocet nō minimam dispensationem per spiritum sanctum in hominibus geri. Quamuis enim vnigenitus filius dei pro salute humani generis incarnatus & passus sit, & morte sua destruxerit mortē, & resurrectione reddiderit vitam: insignis tamen absque incarnatione magnifice geruntur etiam per spiritum sanctum. Tamē quod & ille pro impijs mortuus est, sic enim & ipse Paulus ostendit cum dicit, adhuc enim Christus cum infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est, sanctus autem spiritus nō pro impijs iam interpellat, sed pro sanctis: & interpellat non secundum carnem, sed secundum deum: Christus autem nō secundum deum mortuus dicitur, sed secundum carnem. Ideo non verbis offerre dicitur Spiritus interpellationem pro sanctis, sed gemitibus, & non communibus istis gemitibus, sed inenarrabilibus. Quomodo enim enarrari potest quod spiritus dei loquitur deo, cum interdum nec ipse quidem noster spiritus quod sentit & intelligit, sermone possit exponere? Et homilia 10. super Numeros, cursim excutiēdo illud Pauli verbum: Orabo spiritu, orabo & mente, dicit: Cum enim corde orauero, ad altare interius ingredior. Et hoc puro esse etiam quod dominus in Euangelijs dicit: Tu autem cum oras intra in cubiculum tuum, & claude ostium tuum, & ora patrem tuum in abscondito. Qui ergo ita orat, ingreditur ad altare incēsi, quod est interius. Cum autem quis clara voce, & verbis cum sono prolatis, quasi vt ædificet audientes, orationem fundit ad deum, hic spiritu orat, & offerre videtur hostiam in altari quod foris est ad holocaustomata populi constitutum. Oportet ergo sacerdotes ea curare precipue, & custodire quæ intra velamen interius contingunt, ne quid ibi pollutum, ne quid inueniatur immundum, hoc est interiorē hominē, & cordis secreta curare, vt ibi immaculata permaneāt. Præterea Cyprianus, in Sermonē de oratione Dominica, dicit: Dominus magisterio suo secreta nos orare præcepit in abditis & secretis vel semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit fidei, vt sciamus deum vbiq; esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptū est: Ego deus approximans, & non deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo? Et iterum, In omni loco oculi dei speculantur bonos & malos. Et quando

Chryso-

Roman. 8.
Origenes.

Roma. 5.

Cyprianus.

Hierem. 23.

Proueb. 15.

in vnum cum fratribus conuenimus & sacrificia diuina cum dei sacerdote celebramus, verecundia & disciplinae memores esse debemus: non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendam modeſte, deo tumultuosa loquacitate iactare. Quia deus non vocis, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, prouocare domino & dicente: *Hiere. 17.* Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? & alio loco: Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator renis & cordis. Quod Anna in primo Regnoru libro Ecclesiae typum portans custodit & seruat, quae dominum non clamosa petitione, sed tacite & modeſte intra ipsas pectoris latebras precabatur: loquebatur prece occulta, sed manifesta fide: loquebatur non voce, sed corde, quia sic sciebat deum audire: & impetrauit efficaciter quod petijt, quia fideliter postulauit: Declarat scriptura diuina quae dicit, Loquebatur in corde suo, & labia eius mouebatur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam deus. Itē legimus in psalmis: *Psal. 4.* Dicite in cordibus & in stratis vestris, & trāspungimini. Per Hieremiam quoque haec eadem spiritus sanctus suggerit & docet, dicens: In sensu autem tibi debet adorari deus. Adorans autem fratres dilectissimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Pharisaeo & publicanus orauerit, non alleuatis impudenter ad caelum oculis, nec manibus insolenter erectis, pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinae misericordiae implorabat auxilium. Et cū sibi Pharisaeus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui sic orauit, qui spem salutis non in fiducia innocentiae suae posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter orauit, & exaudiuit orantem qui humilibus ignoscit. Quae dominus in Euangelio suo ponit & dicit: Homines duo ascenderunt in templū adorare, vnus Pharisaeus & alter publicanus. Pharisaeus cum stetit, talia apud se precabatur: Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines iniusti, raptores, adulteri, quomodo & publicanus iste: ieiuno bis in sabbato, decimas de omnibus quaecumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, & neque oculos volebat ad caelum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus magis in domum suam, quam ille Pharisaeus. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur; & qui se humiliauerit, exaltabitur. In hanc quoque sententiam descendit Augustinus libro vno, de Magistro, capite primo, vbi ostendit quando non est opus locutione cum oramus, quando vero est opus; & colloquens cum Adeodato, dicit: Nescire te arbitror non ob aliud nobis praecipit esse, vt in clausis cubiculis oremus, quo nomine significantur mentis penetralia, nisi quod deus vt nobis quod cupimus praestet, commoneri aut doceri nostra locutione non querit. Qui enim loquitur, suae voluntatis signum foras dat per articulatū sonum. Deus autem in ipsis rationalis animae secretis, qui homo interior vocatur, & querendus & deprecandus est. Haec enim sua tepla esse voluit. An apud apostolum non legisti: Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis, & in interiore homine habitare Christum? Nec in propheta animaduertisti, Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in domino. Vbi putas sacrificium iustitiae sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis? vbi autem sacrificandum est, ibi & orandum. Quare non opus est locutione cum oramus, id est sonantibus verbis, nisi forte sicut sacerdotes faciunt, significandae mentis suae causa, non vt deus, sed vt homines audiant, & consensione quadam per commemorationem suspendantur in deum. Haec ille. Intellige quaeſo hanc propositionem, non est opus locutione cum oramus, de oratione singulari, quae ex eo vt dicunt doctores Scholastici censetur singularis, quia offertur à singulari persona, siue pro se siue pro alijs oret. Nec est necesse vt haec oratio sit vocalis, huic tamen orationi vox adiungitur ad excitandum interiorē deuotionem, qua mens orantis eleuatur in deū. Si verò oratio sit cōmunis, opus est locutione: quod expressit Augustinus, dicens:

Nisi forte sicut sacerdotes faciunt &c. Et ex eo talis oratio censetur communis, quia per Ecclesiasticos ministros, in persona totius fidelis populi deo offertur, & ideo oportet huiusmodi orationem toti populo innotescere pro quo profertur: quod fieri non posset nisi esset vocalis. Idcirco commode & prudenter institutum est, vt Ecclesiastici ministri tales orationes alta voce pronuntiarēt, quo in omnium animos sese infunderent, & ad totius populi noticiam peruenirent. Tum etiam libro secundo, de Sermone domini in monte, exponens haec Christi verba: Cum autem oratis, introite in cubicula vestra, afferit his cubiculis corda exprimi: & claudendum est ostium, id est, carnali sensui resistendum est, vt oratio spiritalis dirigatur ad patrem, quae fit in intimis cordis, vbi oratur pater noster in abscondito. Et psalmum hunc iam à nobis citatum. Voce mea ad dominum clamaui, qui potest explicari nec quidem absurde, de voce corporis, quae cū strepitu verberati aeris promittitur, exponit de voce cordis, quae hominibus silet, deo autē sicut clamor sonat. Quae voce Susanna exaudita est, & de qua ipse dominus praecipit, vt in cubiculis clausis, id est vt in secretis cordis sine strepitu oretur. Nec facile quisquam dixerit haec voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore, quoniam & siles cum in cordibus oramus, si alienae ab affectu orantis cogitationes intercurrent, nondum dici potest, Voce mea ad dominum clamaui. Neque hoc recte dicitur, nisi cum sola anima nihil carnis, nihilque carnalium intentionum, in oratione attrahens, loquitur domino, vbi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur, propter vim ipsius intentionis. Idem scribit enarrando psalmum illum: Effundam ante eum precem meam. Et Sermone 22. ad fratres in Eremo, dicit: Nec in oratione locutio tantum quaeritur, quantum sensus. Denique Cyrillus enarrans illum Ioannis locū, Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, &c. dicit: Cum enim oratio sit mentis in deum pia eleuatio, quis hunc dixerit orare, qui labia quidem ad verborum prolationem mouet, mentem verò curis mundi depressam nequaquam ad deū erigit? Conqueritur sanè de huiusmodi orantibus per Esaiam dominus: Populus hic (inquit) labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Haec ille. Quod si oratio sit feruens & pia mentis in deum eleuatio, quis non dicet Deum magis orandum esse mente & syncero affectu quam voce? & primum orandi fontem ab animo proficisci?

CAPVT VII.

Rare sicut oportet, nescimus. Haec Paulina est Assertio, in Epistola ad Romanos. Siquidem illic docet Paulus nostram infirmitatem à carnis infirmitate dimanantem, prepedire ne quid oremus sicut oportet, sciamus: cuius verba sunt haec, Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Sed ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus. Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis. Haec edifferens Origenes, aliquot argumentis probat hominem nescire quid à deo petere oporteat, Interdum (inquit) quae contraria saluti sunt, cupimus infirmitate cogente. Sicut enim quis in aegritudine corporis positus non ea quae sanitati conducunt, sed ea quae praesens desiderium fugesserit, poscit à medico: ita & nos in huius seculi infirmitate languentes interdum à deo petimus, quod non expedit nobis. Denique ego ipse Paulus, qui haec loquor ad vos, cum mihi propter sublimitatem reuelationum ne extollerer datus fuisset à domino angelus Satanae qui me colaphizaret, ter dominum rogavi, vt discederem à me, nesciens quid orarem, & ideo quia nesciebam secundum quod oportet orare, me non audiuit dominus, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Si ergo quid oremus secundum quod oportet, nescimus: sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, magnum nescio quid Paulus in gemitibus sentit. Ecce enim iam tertio gemitus ponit. Nam & creatura (inquit) ingemiscit, & nos ipsi gemimus, & ipse spiritus gemitibus interpellat

Gene. 3.
Pfal. 37.

1. Ioan. 2.

Matth. 26.
Galat. 5.

1. Corin. 14.

1. Corint. 2.

Chrysofio.

deum pro sanctis. Addidit sanè in his gemitibus, quos per spiritum dicit deo offerri, quòd sint inenarrabiles: hoc autem neque de totius creature, neque de suis gemitibus dixit. Et vide si possumus in istis gemitibus multum fiduciae & libertatis in conspectu dei intelligere, quòd oratio quæ cum dolore & gemitu offertur deo, accipiat fiduciam à spiritu sancto ascèdendi ad deum. Denique Adam cum peccasset, perdidit fiduciam, & abscondit se à facie dei. Sanctus autem David dicit: Quia gemitus meus à te non est absconditus. Sed videamus quid est quod dicit, ipse autem spiritus interpellat pro nobis. Hoc enim & Ioannes Iesum facere designat, cum dicit: Filioli, hæc scribo vobis vt non peccetis: si autem peccauerit aliquis nostrum, aduocatum habemus apud patrem iustum Iesum, qui interpellat pro nobis, & hic spiritus interpellat pro nobis, hoc autem facit spiritus iuuans infirmitatem nostram. Quæ autem sit infirmitas nostra, ipse dominus docet cū dicit: Spiritus promptus, caro autem infirma. igitur infirmitas nostra ex carnis infirmitate descendit. Ipsa est enim quæ concupiscit aduersus spiritum, & dum concupiscentias suas ingerit, puritatem spiritus impedit, & synceritatem orationis offuscatur. Sed vbi viderit spiritus dei laborare spiritū in aduersando carni & adheundo sibi, porrigit manum, & adiuuat infirmitatem eius, & velut si magister suscipiens ad rudimenta discipulum, & ignorantem penitus literas, vt eum docere possit, & instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, & ipse prius dicere nomen literæ, vt respondendo discipulus discat, & sit quodammodo magister incipienti discipulo similis, ea loquens & ea meditans quæ incipientis loqui debeat ac meditari: ita & sanctus spiritus, vbi oppugnationibus carnis perturbari nostrum spiritum viderit, & nescientem quid orare debeat secundum quod oportet, ipse velut magister orationem præmittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus esse sancti spiritus desiderat prosequatur: ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, vt repropiciet sibi deum. Si verò spiritus quidem doceat, at noster spiritus, id est mens nostra non sequatur, suo vitio instructuosa ei sit magistri doctrina. Et istud Paulus in mysterium intra hominem geri sciens, dicebat: Nam si linguis loquar spiritus autem meus non oret, mens mea sine fructu est. Spiritum suum dicens gratiam sancti spiritus, quæ à deo omnibus datur. vnde & cohortas nos, vt non habeamus infructuosum hoc sancti spiritus beneficium, addidit & dixit: Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicā spiritu, psalmū dicam & mente. igitur quāuis hæc inenarrabilia esse Paulus ipse signarit & inenarrabilibus gemitibus gemere, tamen prout possibile nobis fuit, imaginem quandā rerum quæ diuinitus geruntur, quāsq; ipse obiectus profert, edidimus. Qui autem spiritalis est, examinet omnia, & si quid his altius inuestigare poterit, habeat apud se, fidelis enim spiritu celat negotia. Admonendi tamen sunt qui prosperitatem sibi præsentis vitæ, & sanitatē, vel diuitias, vel honores postulant à deo, quòd quid orent secundum quòd expedit, nesciūt. Sapē enim fit vt ad damnum animæ vel opprobrium eius sempiternum concedatur præsentia hæc lucra, & dignitas secularis. Et ideo illud magis tenendum est, quòd in oratione docuit dominus, fiat voluntas tua. Adde quòd Chrysofomus Homilia trigésima, in Genesim, ostendens nos orando non solum debere deo gratias agere si consequamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus: eo quòd eum deus aliquid nobis deneget, nō minus est quàm si concessisset, dicit: Nescimus nos quæ nobis conducant, sicut ipse nouit: itaque siue voti compotes siue impotes simus, gratias agere debemus. Et quid miraris si nos nescimus, quid nobis proficit? Paulus talis & tantus qui ineffabilia illa consecutus fuit, ignorabat, & quæ non expediebant precabatur. Nā quia videbat se tot molestijs cingi, ac circumdari crebris tentationibus, orabat vt ab eis liberaretur, & non semel neque iterum, sed & sepius. Tertio enim (inquit) dominum rogavi. Tertio autem, vocauit sape, & non vulgariter. videamus quomodo affectus fuerit. Num grauatim tulit? num segnior fuit? num languescebat?

Non, sed quid (inquit) dixit? sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur. Non solum nō liberavit illum præsentibus malis, sed in ipsis perseverare permisit. Vnde autē manifestum quòd nō tulit grauitè? Audi ipsum qui dicit, postquam didicit probari domino: Volupte igitur (siue vt habetur in nostralatione libenter) gloriabor in infirmitatibus meis. Nō solum (inquit) postea liberari non requiro, sed & magna voluptate gloriabor in illis. Vidisti gratam animam? vidisti eius in deum amorem? audi etiam dicentem: Quid enim precemur vt oportet, nescimus: Impossibile (inquit) est cū nos homines simus, id certo scire. Relinquendum ergo hoc est omnium conditori, sumendaque sunt cum gaudio & voluptate quæcūque ipse voluerit, nec spectandum ad speciem eorum quæ sūt, sed quid acceptum sit domino. magis enim scit, quid nobis proficit, quàm ipsi nos, ipse nouit quomodo salus nostra paranda. Nostrum ergo sit opus continuis insistere precibus, & non ægreferre si differatur quod petimus, sed longanimes esse. Neque enim reuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiēs, ad semetipsum attrahere vult. nam & pater quāuis benignus, cum à puero rogatur, abnuat, quasi non volens dare: non vt neget, sed vt ardentius petat, & sibi magis concilietur. Huic quoque astipulatur sententiæ Augustinus libro secundo, Augustinus de bono perseverantiæ, capite vigesimotertio, dicens: Quis enim veraciter gemat desiderans accipere quod orat à domino, si hoc à seipso se sumere existimet, non ab illo? præsertim quoniam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus (ait apostolus) interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Quid est ipse spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: Misit deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Et hoc quid est clamantem, nisi clamare facientem? tropo illo quo dicimus letum diem, qui latos facit. Et enarrando psalmum illum: Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei, docet aliquot rationibus nos nescire omnino quid oremus vt oportet: In his (inquit) temporalibus fratres, admonemus vos & exhortamur in domino, vt non peratis aliquid quasi fixū, sed quod vobis deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino non scitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest: & quod putatis obesse, hoc prodest. Aegri enim estis, nolite medico dictare quæ vobis medicamenta velit apportere. Si doctor gentium Paulus apostolus dicit: Quid enim oremus sicut oportet, nescimus: quanto magis nos? Qui tamen cum sibi videretur ipse prudens orare vt ab eo auferretur stimulus carnis angelus satanæ qui eum colaphizabat, ne in magnitudine reuelationum extolleretur, quid audiuit à domino? Nunquid factum est quod volebat? non, vt fieret quod expediebat. Quid ergo audiuit à domino? Ter (inquit) rogavi dominum vt auferret eū à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Ego medicamentum ad vulnus posui, quando posuerim, noui: quando auferendum sit, noui. Non recedat ægrotus à manibus medici, non der cōsiliū medico, ita sunt ista omnia temporalia, tribulationes sunt. Si bene colis deum, noueris quia nouit quid cuique expediat. Eadem penè commemorat explanando illum psalmographi locum: Vt liberentur dilecti tui, saluum me fac dextera tua, & exaudi me. Ex hac Augustini doctrina, animaduerte nos nō debere in bonis temporaneis simpliciter & fixa animi sententiā, petere à domino, diuitias, aut honores, aut à morte corporis eripi: sed solum sub conditione, si dominus voluerit, & quod nouit esse expediēs, & nobis vtile. Siquidē Christus ad arā crucis properans, orauit duntaxat sub conditione suum patrem, ne tantū mortis tormentum & tam graue supplicium perferret. Dixit enim: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ad hæc, Ambrosius, explicās illud Pauli: Quid oremus, sicut oportet, nescimus, ita loquitur: Infirmitatem orationis nostræ, ignorantiam significare declarauit. fallimur enim putantes prodesse quæ poscimus, cum non

Augustinus

Galat. 4.

Psal. 53.

Psal. 59.

Ambrosius.

profint. Deinde ostendit Paulum ignorasse quid oraret vt oporteret, quando petijt à domino stimulum carnis angelum satanae à se discedere, ne tam acerbe discruciareretur, qui tandem didicit contra se esse quod petebat. Est & aliquando superba & stulta petitio, sicut fuit duorum apostolorum Iacobi & Ioannis, quibus incongrua & immensa perentibus dictum est, Nescitis quid petatis. **C**at. dicit aliquis, Christus in suo Evangelio nobis prescribens commodissimam orandi formam, docuit quid & qualiter debeamus orare: quid igitur quid oremus sicut oportet, nescimus? Non inficiamur, nos quodammodo & potissimum à Christo preceptore optimo instituti, scire qualiter orare nos oporteat. Nā dixit, Sic vos orabitis, Pater, noster qui es in caelis, &c. Et quid denique efflagitare nos oporteat, panem scilicet super substantialem nobis dari, & nostra delicta dimitti. Sed cum simus homines (vt dicit Chrysostomus) non possumus ex nobis ipsis certo scire quid precari debeamus sicut oportet, vel nescimus omnino: aut (vt dicit Lyranus in Paulum) propria virtute ignoramus, & frequenter in hoc deficiamus, sed hunc defectum supplet spiritus sanctus qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: & qui cordium scrutator est, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis.

CAPVT VIII.

Rare pro inimicis melius est quam pro amicis. Hanc ex Evangelicis praeceptis Assertionem stabiliemus. Volens Christus suos apostolos, & eos qui sanctam apostolorum vitam imitari cupiunt, ad fidei & iustitiae perfectionem adducere, dicebat: Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecutibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebis? nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est. Hactenus historia. Qui diligit amicos suos à quibus redamantur, nondum publicanos & gentiles superant, nec eis perfectiores fiunt, nec denique eorum iustitiam vincunt: quandoquidem amore naturali, in suos feruntur ethnici, & eos amant à quibus redamantur. Si vero imitando pro ingenij & integri animi modulo, patrem caelestem qui solem suum facit oriri super bonos & malos, diligat inimicos suos à quibus grauem passi sunt iniuriam, & deum pro suis persecutoribus & calumniatoribus precetur, publicanos & gentiles superant, illisque longe antecellunt. igitur spectando arcem perfectionis, & summum virtutis ac Christianae charitatis fastigium, ad quod euehendi sunt, qui Evangelica praecepta & consilia diligenter obseruant, afferendum est melius esse orare pro inimicis quam pro amicis. Hec Evangelij praecepta explicans Chrysostomus, huiusce veritatis patronus, & assertor peritissimus, vt sumus ostensuri, dicit: Per haec Christus auditorem ad supernum philosophiae cacumen eduxit. sicut enim maius est cedi palmis, quam esse mitem, vt perfectius est rapienti tunicam etiam pallium suum cedere, quam esse misericordem, vt constantius est pro iustitia passum aliquid ferre patienter, quam ipsam exercere iustitiam, atque vt grandius vel ad operam comprehensum, libenter sequi, vel maxillam alteram praebere ferienti, quam esse pacificum: ita celsius est persecutibus benedicere, quam ipsam persecutorum molestiam sustinere. vides certe vt paulatim auditores suos ad fastigia prorsus euehat ipsa caelorum. Quonia igitur digni supplicio sumus, qui cum ad similitudinem dei vitam nostram informare iubeamur, forsitan ne gentilibus quidem inueniamur aequales. Si enim diligere diligentes te publicanorum est atque gentilium, quando ne id quidem faciamus cum iustis fratrum laudibus inuidemus, quae non tormeta patiemur? Qui

enim iubemur iustitia suprare Pharisaeos, gentilibus quoque inferiores iacemus. Quemadmodum igitur, responde queso, videbimus regnum futurum? Quemadmodum sacrum illud merebimur adire vestibulum, qui nec publicanis quidem ipsis inuenimur meliores? Id enim signauit dicendo: Nonne & publicani hoc faciunt? Quod vero vel praecipue doctrinam eius admirabilem facit, vbique cum multo etiam cumulo, praemia ponit bonorum, vt est deum videre, regnum accipere caelorum, & in dei filios adoptari, & misericordiam consequi, & consolationem mereri, & mercedem recipere copiosam. Et homilia de Cruce & latrone, omnino fauet huic assertioni, quam non paucis cum veteris tum noui testamenti argumentis comprobatur: Si quis (inquit) tumidi pectoris inuenitur, si quis ad sedandas inimicitias durus est, dierum saltem sanctitate moueatur, verecundia temporis erubescat, & iram suam inimico concedat, imitare dominum deum tuum. Clavis fixus in cruce pendebat, & pro inimicis, qui eum crucifixerunt, habuit cum patre sermonem. Sed dicitis, Quemadmodum potero imitari? mihi crede, hoc imple facile. Nam si non poteras, non diceret: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Si erat imitari impossibile, nec Paulus diceret: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Si non vis dominum imitari, saltem Stephanum apostolum imitare, qui dominum imitatus est. Nam sicut Christus dissimulata cruce, contemptis clavis, suisque despectis iniurijs, patrem pro Iudeis exorabat, sic & seruus Stephanus lapidum iactationibus occupatus, iniquorum circumdatus insidijs, coactis omnibus membris sauciatus, corporis dolore contempto pro lapidantibus deprecabatur, & pro inimicis orabat, dicens: Domine ne statuas eis hoc peccatum. Audisti verba domini, audisti verba serui, audisti verba filij, audisti verba apostoli. ille ait, Pater dimitte eis hoc peccatum, non enim sciunt quid faciunt. Iste ait: Domine, ne statuas eis hoc peccatum. Et non verbis tantum, sed nimia cum affectione deprecabatur. Et ideo deflexis genibus eius cum lapidabatur, orabat. Vis & alterum seruum, qui maiora sustinuit, demostremus? A Iudeis (Paulus inquit) ter virgis cesus sum, semel lapidatus sum, nocte & die in profundo maris fui. Et post haec, orabat pro fratribus suis, pro cognatis secundum carnem. Vis & alterum non de nouo, sed de veteri testamento cognoscere? Nam hoc plus admirationis affert, quod ubi inimicos amare non iubentur, sed oculum pro oculo, dentem pro dente, & vbique tali onere, pro vindicta, apostolica philosophia gerebatur, & audi, Moses delapidatus à Iudeis septiusque contemptus, quid ait? Si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, & me dele de libro quem scripsisti. Vides singulos alienam incommoditatem suae salutis proponere? Nihil peccasti, & cur particeps desideras esse supplicij? Cur poenae coniunctus? cur tribulationi socius? cur effectus detrimenti consortium? Quam iucunditate? Quid beneficij, cum alij puniuntur, sentire possum? nec fructum meae commoditatis agnosco, cum tenetur alij laceratione supplicij. Suffecerant quidem ad emendationem nostrae mentis exempla prolata, sed vt firmiter corrigamus, alium quoque huius philosophiae praecepta seruasse monstrabo. Beatus ille & mansuetus Dauid, cum exercitus suus immanitate quadam fuisset ereptus, & filius eius Absalon contra patrem, tyrannidem exercere voluisset, cum postea deus contra eos fuisset iratus, & Dauid vidisset angelum frameam inferentem, & plaga vniuersos deperire, ait: Ego pastor peccaui, & ego pastor malum feci, fiat super me manus tua, & super domum patris mei. Vidisti vbique omnium communem philosophiam? Et alter quid gesserit, percipe, vt abundanti corrigaris exemplo. Samuel propheta sustinuit iniuriam Iudeorum, remotus ab alijs est, & dum deus illi solatiu voluisset afferre, ait: Non te exprobrauerunt, sed me. Et ille qui exordinatus fuerat, qui contemptus, ait: Mihi absit peccare, intermitten di orare pro vobis dominum. Peccatum arbitratur minus pro inimicis orare, Christus dicit: Pater, dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt. Stephanus dicit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Paulus ait, Oprobrium anathema esse ego ipse à Christo pro fra-

Matth. 20.
Matth. 6.

Lyranus.

Matth. 5.

Chrysosto.

Lucæ 23.

Matth. 11.
1. Corin. 4.

Acto. 7.

2. Corin. 11.
Roma. 9.Exo. 21.
Deuter. 19.
Leui. 24.
Exo. 32.

2. Reg. 18.

2. Reg. 24.

1. Reg. 8.
1. Reg. 12.

Roman. 9.

tribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, Moses dicit: Si dimittis illis peccatū, dimitte: si autem, & me dele de libro quem scripsisti. Dauid ait, Fiar manus tua super me, & super domum patris mei. Samuel ait, Mihi absit peccare, intermittendi orare pro vobis dominum. Quam igitur veniam mereri poterimus demum, si tantorum feruorum de veteri atque nouo testamento, non imitamur exempla, vt pro nostris inimicis oremus? Si forsitan aliud facientes contra inimicos oramus. Nolite fratres, nolite deprecor. Nam quanto plura sunt exempla quæ diximus, tãto imitationis merces augetur. Melius est pro inimicis quam pro amicis orare. Nec enim nobis tantum prestat pro amicis oratio, quãtum pro inimicis deprecatio: Si diligitis (inquit) eos qui vos diligunt, nihil magnum facitis, etenim publicani hoc faciunt. Vt sciat quia si pro amicis oramus, nondum publicanos vicimus. Sed quando diligimus inimicos, deo inquãtum possumus similes sumus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, igitur domini imitatores simus. Estote, namque ait, similes patri vestro qui in cælis est, vt & cælorum regna mereamur per Christum dominum nostrum. Adducam & pro tuenda hac assertionem validissimas Augustini rationes, quibus libro primo, de Sermone domini in monte, nititur, dicens: Perfectio misericordiæ, qua plurimum animæ laboranti consulitur, vltra dilectionem inimici porrigi non potest, & ideo sic clauditur: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester qui in cælis est, perfectus est: ita tamen vt deus intelligatur perfectus tanquam deus, & anima perfecta tanquam anima. Gradum tamen esse aliquem in Phariseorum iustitia, quæ ad legem veterem pertinet, hinc intelligitur, quod multi homines eos etiam à quibus diliguntur, oderunt: sicut luxuriosi filij, parentes coercitores luxuriæ suæ. Ascendit ergo aliquem gradum, qui proximum diligit, quamuis adhuc oderit inimicum. Eius autem imperio, qui venit legem implere non soluere, perficiet benevolentiam & benignitatem, cum eam vsque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamuis nonnullus sit, tam paruus est tamen, vt cum publicanis etiam possit esse communis. Nec quod in lege dictum est, Oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittētis infirmo. ¶ Oritur hic sanè nullo modo dissimulanda questio, quod huic præcepto domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, & benefacere his qui nos oderunt, & orare pro his qui nos persequuntur, multæ alię scripturarum partes minus diligenter & sobriè cõsiderantibus videntur aduersæ, quia & in prophetis inueniuntur multæ imprecationes aduersus inimicos, quæ maledictiones putantur: sicut est illud, Fiar mensa eorum in laqueū, & cætera quæ ibi dicuntur. Et illud, Fiar filij eius pupilli, & vxor eius vidua, & alia quæ vel supra, vel infra in eodem psalmo, in personam Iudæ per prophetam dicuntur, multa alia vsquequaque in scripturis reperiuntur, quæ videntur esse contraria, & huic præcepto domini, & illi apostolico, quo ait: Benedicite, & nolite maledicere: cum & de domino scriptum sit, quod maledixerit ciuitatibus quæ verbū eius non acceperunt. Et memoratus apostolus de quodam ita dixerit: Redder illi dominus secundum opera illius. ¶ Sed hæc facile soluentur, quia & propheta per imprecationem quod esset futurum, cecinit, non optantis voto, sed spiritu preuidentis, ita & dominus, ita & apostolus: quanq̃ in horum etiam verbis, nõ hoc inuenitur quod optauerint, sed quod prædixerint. Non enim cum ait dominus, Væ tibi Capharnaum, aliud sonat, nisi aliquid ei mali euenturum merito infidelitatis quod futurū dominus non maleuolentia optabat, sed diuinitate cernebat. Et apostolus nõ ait, reddat, sed reddet illi dominus iuxta opera eius, quod verbū prænuntiantis est, non imprecantis. Sicut & de illa hypocrisi Iudæorū, de qua iam dictum est, cui euerfionē imminere cernebat, dixit: Percutiet te deus, paries dealbæ, prophetę autem maxime solent figura imprecãtis futura prædicere, sicut figura præteriti tẽporis ea quæ ventura erant sepe cecinerunt, sicut est illud: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Non enim dixit, Quare fremunt gen-

tes, & populi meditabuntur inania? cum ea non quasi iam transacta meminisset, sed ventura prospiceret. Tale etiã illud est: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: & hic enim non dixit, diuidēt sibi vestimenta mea, & super vestem meam mittent sortem. Nec tamen de his verbis quisquã calumniatur, nisi qui non sentit varietatem istam figurarum in loquendo nihil veritati rerū minuere, & plurimum afferre affectibus animarum. ¶ Sed illud magis vrget istam questionē quod dicit Apostolus Ioannes: Si quis scit peccare fratrem suum, peccatum nõ ad mortem: postulabit, & dabit illi dominus vitam, qui peccat non ad mortem. Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Aperte enim ostendit esse quosdam fratres pro quibus orare non nobis precepitur, cum deus etiam pro persecutoribus nostris, orare nos iubeat. ¶ Nec illa questio solui potest, nisi fateamur esse aliqua in fratribus, quę inimicorum persecutione grauiora sint: fratres autē Christianos significari, multis diuinarū scripturarum documentis probari potest. Manifestissimum tamen illud est, quod apostolus ita ponit: Sanctificatus est enim vir infidelis in vxore fidei, & sanctificata est mulier infidelis in fratre. Non enim addidit nostro, sed manifestum existimauit, cum fratris nomine Christianum intelligi voluit, qui infidelem haberet vxorem. Et ideo paulopost dicit: Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater vel soror in huiusmodi. Peccatum ergo fratris ad mortē puto esse, cum post agnitionem dei per gratiam domini nostri Iesu Christi, quisq̃ oppugnar fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam qua reconciliatus est deo, inuidentię facibus agitur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorē à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & dominus in cruce ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nondum enim gratię spiritus sancti participes facti, societate sanctæ fraternitatis inierat. Et beatus Stephanus in Actibus apostolorum orat pro eis à quibus lapidatur, quia nõdum Christo crediderant, neq̃ aduersus illam communē gratiam dimicabant. Et apostolus Paulus propterea credo non orat pro Alexandro, quia iam frater erat, & ad mortē, id est inuidentię facibus fraternitate oppugnando, peccauerat. Pro his autem qui non abruperat amorē ad mortē, sed timori succubuerant, orat vt eis ignoscatur. Sic enim dicit: Alexander ararius multa mihi mala ostēdit, reddet illi dominus secundū opera eius: quę & tu deuota, valde enim restitit nostris sermonibus. Deinde subiūgit pro quibus orat, ita dicens: In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputerur. Ista differentia peccatorū Iudam tradentē à Petro negatē distinguit, non quia pœnitētī, vel petenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiã domini veniamus, quã precepit semper ignoscendū esse fratri perētī vt sibi frater ignoscat: sed quia illius peccati tãta labes est, vt deprecãdi humilitatem subire nõ possit, etiam si peccatū suum mala conscientia & agnoscere & annuntiare cogatur. Cũ enim dixisset Iudas, peccaui, quod tradiderim sanguinem iustū, facilius tamē desperatione cucurrit ad laqueū, quã humilitate veniã deprecatus est. Quapropter multū interest, quali pœnitentię ignoscat deus. Multi enim multo citius se fatentur peccasse, atque ita sibi succēsent, vt vehementer se peccasse nollēt, sed tamen animã ad humiliandum & obtemperandū cor, implorãdamque veniã nõ deponunt. Quã mentis affectionē propter peccati magnitudinē iam de dãnatione illos habere credendū est. Et hoc fortasse peccare in spiritum sanctum, id est per malitiã & inuidiam, fraternam oppugnare charitatē post acceptam gratiã spiritus sancti, quod peccatū dominus, neque hic, neque in futuro seculo dimitti dicit. Deinde concludit quod potissimum ad diluendam illam quæstionem facit. Sic itaque accipiatur diligendos inimicos esse, & benefaciendum his qui nos oderunt, & orandum pro his qui nos persequuntur, vt pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur, non præceptum esse vt oremus, ne per

Psal. 27.

1. Ioan. 5.

1. Corint. 7.

Lucæ 23.

Acto. 7.

2. Tim. 4.

Matth. 12.

m. j.



imperitiam nostrā diuina scriptura (quod fieri nō potest) à se dissentire videatur. **Roma. 12.** Sed utrū sicut pro quibusdam non est orandum, ita etiam contra aliquos orandum sit, nondum satis apparet. Generaliter enim dictum est, Benedicite, & nolite maledicere. Et illud, Nemini malū pro malo reddētes. Pro quo autē non ignoras, non etiam cōtra illum oras: potes enim videre certā eius poenam, & penitus desperatā salutem: & non quia odisti eū ideo pro illo non oras, sed quia sentis te nihil posse proficere, & orationē tuam non vis repellī à iustissimo iudice. Sed quid agimus de his, cōtra quos oratum à sanctis accipimus, nō vt corrigereur (Nam hoc modo potius pro ipsis oratū est) sed ad illā vltimam damnationem, nō sicut cōtra domini traditorē, per prophetam: nam illa, vt dictum est, predictio futurorum, nō optatio supplicij fuit. Nec sicut apostolus contra Alexandrū, nam & inde satis dictum est: sed sicut in Apocalypsi Ioānis, legimus martyres orare vt vindicetur, cum ille primus martyr, vt lapidatoribus suis ignoscereur, orauerit. Sed hinc non oportet moueri. Quis enim audeat affirmare, cū illi sancti cādidati se vindicari petierint, utrū contra ipsos homines, an cōtra regnū peccati petierint? Nā ipsa est sincera & plena iusticię & misericordię vindicta martyri, vt eueratur regnum peccati. Nō enim contra ipsos homines, sed contra regnū peccati petierunt, quo regnante tanta perpeffi sunt. Ad cuius euerfionē nititur apostolus, dicens: Nō ergo regnet peccatū in vestro mortali corpore. Destruitur autē & eueritur peccati regnū, partim correctione hominū, vt caro spiritui subijciatur: partim damnatione perseuerantiū in peccato, vt ita iustitia ordinētur, vt iustis cum Christo regnātibus, molesti esse non possint. Intuere apostolū Paulum, nōne tibi videtur in seipso Stephanū martyrem vindicare? cū dicit: Non sic pugno tanquā aērem cedens, sed castigo corpus meū, & seruituti subijcio. Nā hoc vtiq; in se prosternebat & debilitabat, & victū ordinabat, vnde Stephanum ceterosque Christianos fuerat persecutus. Quis ergo conuicit, martyres sanctos nō talem suā vindictam à domino esse deprecatos, cū etiam finem seculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suā vindictam potuerunt libēter optare? Quod qui orant, & pro inimicis suis orant, qui sanabiles sunt: & cōtra illos non orant, qui insanabiles esse voluerūt: quia deus quoq; puniendo illos nō est maleuolus tortor, sed iustissimus ordinaror. Sine vlla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, beneficiamus his qui oderunt nos, & oremus pro eis qui nos persequūtur. Adde quōd Gregorius libro nono in Iob, capite decimotertio, existimat orationem quā pro inimicis effunditur, prae ceteris à domino commendari, sic enim loquitur: Conditoris namque auribus maxime illa oratio commendatur quę pro inimicis quoque intercedere nititur. Et ad id suadendum iisdem contēdit argumentis quibus & Chrysofomus. Ad hęc, sicut est magis meritorium diligere inimicum quā amicū, supposito quōd vtraque dilectio sit eque intensa, ita est magis meritorium orare pro inimicis quā pro amicis simili posita hypothesi, quōd scilicet vtraque oratio sit æque intensa. Et ratio est, quo præcepto obstringimur diligere inimicos, eodē obstringimur & pro inimicis orare. Nam si Christianus diligit amicum, & non tam excludat dilectionē inimici quā in eum odio inardescat, non meretur: quia ex charitate tenetur diligere inimicum, in generali quidem, sic quōd amādo proximum & amicum, non prætermittat nec excludat dilectionem inimici: in speciali autem nō astringitur diligere inimicum nisi secundum præparationem animi, scilicet vbi adesset necessitas. Et qui dixit, Diligite inimicos vestros, dixit quoque, Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Quōd autem sit magis meritorium diligere inimicū quā amicum, supposita eadem vtriusque dilectionis intentione, sic suadeo: Quando duo actus à pari habitu procedūt æque intensi, & ad vnū requiritur maior conatus ex natura operis quā ad alterum, ille ad quē requiritur maior conatus, est magis meritorius: sed maior conatus ex natura operis requiritur ad diligendum inimicum quā amicum, igitur dilectio inimici

est magis meritoria quā dilectio amici. Minor est nota, quia est maius oblectamen maiorque repugnantia, in dilectione inimici quā amici, & pauciora sunt adminicula quę pelliciant hominem ad huiusmodi dilectionem quā ad charitatem amici. Hinc dicit Hyllarius Canone quarto, in Matthæum: Diligi inimicos fides præcipit, & petulantibus humanarum mentium motus publicę charitatis frangit affectu. Dixi ex natura operis, quia conatus maior quādo requiritur solum ex parte operantis qui est male affectus, non auget meritum: alioqui incontinens plus mereretur quā temperans circa idem obiectum, & faciendo idem opus, quod non est verum: quia tunc virtutes magis obessent quā prodesse.

CAPVT IX.

Rare omnibus in locis optimum est, nec refert an stando, aut sedendo oraueris. Paulina est prior huiusce Assertionis veritas, siquidem dicit Paulus ad Timotheū, Volo ergo viros orare in omni loco, leuātes puras manus, sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cū verecundia & sobrietate ornantes se, nō in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittētes pietatem per opera bona. Enarrās Chrysofomus locū hunc, Volo viros orare in omni loco, asserit, Paulū hęc dixisse vt Iudaicę obseruationis in orando dementiā confutaret, id nēpe Iudæis fas seruare non erat: neq; enim licebat nisi vno in loco ad deū accedere, atq; litare hostias, & cetera obsequia legis inferre, atque ad ipsum locum, vndique ex toto orbe cōcurrere necesse erat, omnēmq; expiationis ritum in templo perficere. Contrariam igitur aduersā frōte obseruantiam infert, atque ea necessitate nos liberās, non (inquit) eiusmodi nostra sunt, cuius Iudaica est noscuntur. Nam quemadmodū pro omnibus orationes fieri iubet, quippe cū & pro omnibus Christus mortuus sit, ita & omnibus in locis orare optimū est, vt iam huiusmodi obseruatio nō in locis sit, verum in ipso orationis affectu. Vbiq; igitur ora (inquit) vbiq; puras attolle manus, hoc enim est quod in quæstione verlatur. Puras (inquit) manus, id est mundas, non aqua lotas, verū cupiditate, rapina, cedi- bus mundas, absq; ira & disceptatione. Quid oro hoc sibi vult? Quis enim irascitur orās? Ceterum irę nomine prophanā iniuriarum memoriā significare voluit, munda, inquit, sit orātis intentio, huiusmodi memorię peste, vitio omni atq; perturbatione libera accedat ad eū: nullus adeo audax sit, vt inimicitias exercens, ad deū pergat orandum. Nemo cum angore anitni, ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Quid sit autē disceptatio, intentius accipite. Nō licet prorsus ambigere, si puras ad deum leuemus preces, nos exaudiri iri. Quęcumq; enim petieritis (inquit) credētes, accipietis. Et rursum, Cū statis ad orādum, dimittite, & dimittetur vobis. Hoc nēpe est absq; ira & disceptatione orare. Et quo pacto, inquires, credere possum petitione potiturum? Si nihil ex eis postulaueris, quę illius voluntati, tuęq; saluti contraria sunt. Si maiestate tanta nihil indignum, si nihil omnino mundanum, si spiritalia omnia, si absq; ira accefferis ad orandum, si mundas extuleris manus, si sanctas. Sanctę quippe manus sunt, quę eleemosynas faciunt. Si ita instructus accefferis, voti omnino compos eris, & quicquid postulaueris, impetrabis. Si enim vos (inquit) cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est? Eandem quoque Pauli sententiam explicans Ambrosius, dicit pacificum animum in oratione esse debere, vt ad effectum deducatur oratio. Sanctę enim manus sunt, quando cor mundum est. Sic tamen in omni loco orandum præcipit, vt competens locus intelligatur, non vti- que importuno aut sordido loco, quippe cū prohibeat dominus vulgo orare, sed hoc monet, ne in sola Ecclesia putarent orandum. Hęc ille. Sed quid vetat orare in lustris etiam porcinis, in cœnosa palude, in sordidissimis carceribus, etiam in prostibulis? cum non tam orando spectandus sit locus quā sincerus & purus orationis affectus: potest siquidem homo vbiq; locorum spiritu & mente deum

precari. nec hic contendimus solum de oratione vocis, sed potissimum de precatione mentis: licet decentius sit in loco mundo, & praesertim in Ecclesia orare, quod in loco immundo. sed volebat (ut conijcere possum) Ambrosius, nos communiter non debere in loco importuno orare. Sed quis nescit, hoc Sophoniae oraculum: Et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae gentium, innuere nos ubique locorum posse adorare deum & precari, in spiritu & veritate? Licet locus quo sanctior est, eo magis nos moueat & accendat ad orandum. ¶ At obijciat aliquis, Christus his contraria docet in suo Euangelio, dicens: Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae: qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Hanc obiectionem diluit Chrysostomus, in loco nuper citato, dicens Christum illis verbis omni studio admonuisse, euitanda prorsus inanem gloriam, stultissimamque iactantiam, dum non modo clam, verum & in abditiore domus parte vota atque preces offerendas admonuit. Sic enim cum dicit in faciendis elemosynis, Nesciat sinistra quid faciat dextera tua, non de manibus simpliciter differit, sed magnitudinem vanitatis iugulare contendit, ita & hoc in loco cubiculi nomine, secretum intimi cordis expressit. Non igitur vnius loci orationem angustius claudit, verum id solum imperauit, fugiendam stultissimam vanitatem, orandumque omnibus in locis patrem ex intimo cordis affectu. Dicunt alij, Euangelium Pauline doctrinae connectentes, orationem mentalem ubique posse fieri, sed signa orationis externa non debere fieri in omni loco, quia homo non debet singularis apparere in exterioribus, quia propter hoc posset haberi inanis gloria. ¶ Rursum decernat, si liceat omni in loco orare, & sit optimum, considerato sincerae orationis fructu, cur igitur extructae sunt Ecclesiae? Huic obiectionem respondet sanctus Thomas edisserens illum Pauli locum: Volo viros orare in omni loco: Locus (inquit) non est de necessitate orationis, sed ad bene esse eius, quia oratio requirit solitudinem & quietem. Etiam dices, Christianos in loco sacro congregatos, magis se compellere ad purius & religiosius interpellandum deum quam in loco profano. Et quis nisi insanus omnes orandi vires non exerit, omnemque bene precandi affectum prodit, cum in Ecclesia conspicit sacram hostiam in altum erigi? tunc animus a sensibus dimotus, summum & augustissimum tanti sacramenti mysterium toto studio contemplatur, & Christum obnixè precatur, ut firmissima huiusce sacri mysterij fide nobis veniam condonet. ¶ Secundam assertionis partem ex luculentissima Augustini doctrina deprompsimus, qui lib. 2. questionum ad Simplicianum, questione 4. de hac re ita scribit: Quod autem quaeris, quid sit quod scriptum sit, Intrauit rex David, & sedit ante dominum: quid aliud intelligendum est nisi quia sedit in conspectu domini, siue ubi erat arca testamenti, per quam sacratio & commendatio quaedam praesentia domini accipi potest: siue oraturus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu dei, hoc est in intimo cordis? Potest enim sic accipi quod dictum est, Ante dominum, ut nullus esset hominum qui audiret orantem. Siue ergo propter arcam testamenti, siue propter secretum remotius ab arbitris, siue propter intimum cordis, ubi erat orantis affectus, conuenienter dictum est, Sedit ante dominum: nisi forte quod sedens orauit, hoc mouet: cum & sanctus Helias hoc fecerit, quando pluuia orando impetrauit. Quibus admonemur exemplis, non esse praescriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus deo praesens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptum est: Publicanus autem de longinquo stabat: Et fixis genibus, sicut in Actibus apostolorum legimus: Et sedentes, sicut Ecce Dauid, & Helias. Nisi autem iacentes oraremus, non scriptum esset in psalmo: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quaerit, collocat membra sicut ei occurrerit, accom-

Sopho. 2.

Matth. 6.

Chrysosto.

Matth. 6.

Thomas.

Augustinus

2. Reg. 7.

3. Reg. 17.

Lucæ 4.

Iacobi. 5.

Lucæ 18.

Acto. 7.

Psal. 6.

modata pro tempore positi corporis ad mouendum animum. Cum autem non queritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo inuenit hominem, non est utique differenda oratio, ut queramus quo sedeamus aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis interior sollicitudinem, & saepe etiam obliuiscitur se vel ad quam caeli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus inuenit. Hæc ille. Et licet praescriptum non sit quomodo corpus ad orandum constitui debeat, tamen cum sumus in Ecclesia deuotioni addicti, versus orientem oramus, quod expressit idem doctor libro secundo, de Sermone domini in monte, enarrans exordium dominicae orationis: Pater noster qui es in caelis. Cum (inquit) ad orationes stamus, ad orientem conuertimur, unde caelum surgit, non tamquam ibi sit deus, & quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui ubique praesens est, non locorum spatij, sed maiestate potentiae: sed ut admonetur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est ad dominum, cum ipsum corpus eius quod est terrenum ad corpus excellentius, id est ad corpus omnium conuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis & plurimum expedit, ut omnino sensibus & paruulorum & magnorum bene sentiat de deo.

CAPVT X.



Bedientia virtutum omnium origo, victimis & sacrificijs praefertur, quam subditi malis praepositis denegare non debent. ¶ Prima huiusce Assertionis pars ex Augustino eruius libro 14. de Civitate dei, capite 12. in quo differens de vitijs & poenis ex primi parentis inobedientia scaturientibus, ita loquitur: Si quæ verò mouet, cur alijs peccatis sic natura non mutetur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum preuaricatione mutata est, ut tantæ corruptioni quantam videmus atque sentimus, & per hæc subiaceret & morti, ac tot & tantis tamque inter se contrarijs perturbaretur, & fluctuaret affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animal, utique non fuit. Si quis hoc mouet ut dixi, non ideo debet existimare leue ac paruum fuisse illud commissum, Quia in esca factum est, Non quidem mala nec noxia, nisi quia prohibita: neque enim quicquam mali deus in illo tantæ foelicitatis paradiso crearet atque plantaret. Sed obedientia commendata est in precepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custoque virtutum. Quandoquidē sic facta est, ut ei subditam esse sit, perniciosum autem suam, non eius a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de vno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subiacebat, tam leue preceptum ad obseruandum, tam breue ad memoriam retinendum, ubi praesertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis postea subsecutum est, tanto maiore iniustitia violatum est, quanto faciliore posset obseruantia custodiri. Et libro 1. contra Aduersarium legis & prophetarum, capite 14. agens de inobedientia primi hominis ei reddita in semetipso, ut ei vicissim non obediat, nec a semetipso, dicit obedientiam esse maximam virtutem & matrem ac originem omnium virtutum, in ea natura cui sic datum est arbitrium liberae voluntatis, ut eam tamen necesse sit viuere sub potestate melioris. Et libro vno de Bono coniugali, capite vigesimotertio, in eadem stat sententia, ubi praesertim obedientiam continentiae, dicit: Nuptialis castitas bona est, sed minor quam virginalis. Tanto ergo minor in bono obedientia, quanto maior in bono castitatis, si altera alteri compareretur, quæ praeposenda sit iudicatur, qui primo ipsam castitatem & obedientiam comparans, videt omnium virtutum quodammodo matrem esse obedientiam: ac per hoc ideo potest esse obedientia sine virginitate, quia virginitas ex consilio est, non ex precepto. Obedientiam verò illam dico qua praepceptis obtemperatur: Ideoque obedientia praepceptorum sine virginitate quidem potest, sed sine castitate esse non potest. Ad castitatem namque pertinet, non fornicari, non moechari, nullo illicito con-

Augustinus

m. iij.

cubitu maculari, quæ qui non obseruant, cõtra præcepta dei faciunt, & ob hoc ex-
torres sunt à virtute obedientiæ. Virginitas autem propterea potest esse sine obe-
dientia, quia potest foemina cõsilio virginitatis accepto, & custodita virginitate,
præcepta continere, sicut multas sacras virgines nouimus verbosas, curiosas, ebrio-
sas, litigiosas, auaras, superbas: quæ omnia cõtra præcepta sunt, & sicut ipsam Euã
inobedientiæ crimine occidunt. Quapropter non solum obediens inobediẽti, sed
obedientior coniugata, minus obedienti virgini præponenda est. Tum etiam, di-
sputans libro octauo, de Genesi ad literam, capite sexto, de ligno scientiæ digno-
scendi bonum & malum, asserit obedientiam, solam esse virtutem omni creatu-
ræ rationali agenti sub dei potestate necessariã ad promerendum dominum, pri-
mũmque & maximum vitium tumoris ad ruinam, sua potestate velle vti, cuius
vitij nomen est inobedientia. Et edisserendo Psalmum illum, Deus quis similis ti-
bi? dicit: Non potuit deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ,
nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam,
sola ibi inobedientia inuenit pœnam. Idem repetit Sermone trigesimoquarto, de
verbis domini. ¶ Secundam assertionis partem ex primo Regum libro affirma-
bimus, in quo legimus Samuelem succensuisse Sauli quod non obediens deo præ-
cipiẽti vt omnino deleteret Amalech, & pugnaret contra omnes Amalechitas vs-
que ad internecionẽ eorum, nec ouibus & bobus ac primitijs parceret: quibus ta-
men vt ea sacrificaret domino, pepercit, cui tandem vehementer iratus, dixit:
Nunquid vult dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci
domini? Melior est enim obediẽtia quàm victima, & auscultare magis quàm of-
ferre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi
scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Hæc enarrans Lyranus reddit rationem cur
obedientia victimis præferenda sit. Quia in obediẽtiã studio sacrificatur deo vo-
luntas propria, in victimis verò caro aliena: quanto autem de re meliori deo sit
oblatio, tanto magis ei placet. Adde quod Hieronymus enarrans illum Esaiæ lo-
cum: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarũ? dicit dominus. Plenus sum
holocausto arietum & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum &
hircorum nolui, dicit dominum docere, Evangelij obedientiam esse super sacri-
ficium. Eadẽ scribit, in quadragesimũ tertium caput eiusdẽ prophete, & explican-
do illud Hieremiæ, Maledictus vir qui non audierit verba pacti huius, quod præ-
cepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, dicit: Non propter ge-
neris priuilegia, non propter circũcisionis iniuriam, & otium sabbati, sed propter
obedientiam, & deus efficitur populi Israel, & Israel populus eius. Et hic quidem
quasi ad seruos loquitur vt placeant deo, in Evangelio verò dominus ad discipu-
los, Vos (inquit) amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicã
vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos,
quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis. Cũque amici mei fue-
rint, de amicis transeunt in filios. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis po-
testatem filios dei fieri. Vnde & amicis & filijs præcipit: Estote perfecti, sicut &
pater vester perfectus est: similitudinem imperans, non æqualitatem. Et ibi obe-
dientia mandatorum est, hic similitudo dei. Ad hæc, Augustinus, Sermone quin-
to ad fratres in Eremo, de obedientia ad sacerdotes suos, extollens mirum in mo-
dum insignem obedientiæ virtutem, huic subscribit sententiæ, dicens: O venera-
bilis sancta que obedientia, salus omnium fidelium, custodia omnium virtutum,
tu cælum aperis, & infernum claudis: tu etiam filium dei ad terram posuisti, & ve-
nit inter homines, non vt faceret voluntatem hominis, sed voluntatem patris eius
qui eum misit. Voluntas enim patris fuit vt redimeret humanũ genus, vt reconci-
liaret & creaturam suã quæ perierat. Et vt hæc voluntas perficeretur, filius fuit obe-
diens vsque ad mortẽ. Vt ergo non esset nobis obedientia laboriosa, exitũ præsen-
tis vitæ saluator per obedientiã terminauit: iure ergo obedientia omni sacrificio

Psal. 70.

1. Reg. 15.

Lyranus.

Hieronymus
Esaiæ 1.

Hierem. 11.

Ioan. 15.

Ioan. 1.

Matth. 5.

Augustinus

Philipp. 2.

præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium
facere potuit. Nec mirum si nos peccatores, obedientiæ in hac vita subijcitur,
quando hæc mediator dei & hominum etiam in morte non deseruit, & eidem se
subiecit qui per omnia erat patri æqualis. Nos autem propter peccatum alijs ho-
minibus subiecti sumus. Nam natura omnes æquales genuit, sed inæqualitas quæ
accessit ex vitio, est ordinata ex dei iudicio: vnde nos oportet obedire hominib?
Sed per obedientiam nunquam debet fieri malum, etiam si angelus vel archan-
gelus, cherubin vel seraphin tibi præcipiat. Nec etiã ipse deus, qui est benedictus
in secula, potest nobis præcipere, quod toto affectu eum nõ diligamus. Et Sermo-
ne septimo, ad eosdem fratres de obedientia, nos commonefaciens vt pro viri-
bus filij dei obedientiam imitemur, reddit rationem, cur obedientia sit melior
quàm victima: Ipse (inquit) dei filius obediens fuit vsque ad contumeliam crucis,
& nos contemnimus eius obedire præceptis? Christus enim obediens fuit vsque
ad mortem, non pro sua, sed pro nostra vtilitate. Estote ergo non pro sua, sed pro
vestra vtilitate & salute in omnibus ipsi obediens. Ecce enim fratres, angelus in
omnibus obedit deo, & tu qui cinis es & vermis, contradicis deo? In sensibilia obe-
diunt deo, & tu rationalis resistis deo? Sol à sua semita non deuiat, nec luna, nec
stellæ: Omnia enim cælica suis indulgent officijs, tu verò dei voluntati in omni-
bus quasi resistis. Ad nutũ dei, campi floribus decorantur, terra imbribus fecun-
datur, frõdibus crispatur sylua, in nemoribus citharizat auicula, omnia deo obe-
diunt, solus homo dei voluntati resistit. O monache lege quod dicitur, melior est
obedientia quàm victima. Quæ causa est nisi quia in victimis aliena immolatur
caro, sed in obedientia voluntas propria & caro mactatur. Estote ergo obediens,
vt deum placare possitis de peccatis commissis. Præterea Ireneus libro quar-
to, aduersus hæreses Valentini & similibus, capite trigesimo secundo, ex prophe-
tia Esaiæ nuper citata, & aliquot Hieremiæ locis, suadet obedientiã sacrificijs præ-
stantiorem esse. Nam cum dominus per Hieremiam dixisset: Quo mihi thus de
Saba affertis, & cinnamomũ de terra longinqua? holocaustomata & sacrificia ve-
stra non delectauerunt me, intulit: Audite sermonem domini, omnis Iuda, hæc di-
cit dominus deus Israel: Dirigite vias vestras & studia vestra, & constituam vos in
loco isto, nec confisi fueritis vobismet in sermonibus mendacibus. Quoniam in
torum non proderunt vobis, dicentes: Templum domini, templum domini, tem-
plum domini est. Et iterum significans, quoniam non propter hoc eduxit eos de
Aegypto, vt sacrificia ei offerrent, sed vt obliti idololatriæ Aegyptiorum, audire
vocem domini possent, quæ erat eis salus & gloria, sic per eundẽ Hieremiam ait:
Hæc dicit dominus, holocaustomata vestra colligite cũ sacrificijs vestris, & man-
ducate carnes. Quoniam non sum locutus ad patres vestros, nec de holocausto-
matibus & sacrificijs præcepi eis, qua die eduxi vos de Aegypto, sed sermonem
hunc præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero deus vester, & vos eritis po-
pulus meus, & ambulate in omnibus vijs meis, quæcunq; præcepero vobis, vt be-
ne sit vobis, & non obaudierunt, nec intenderunt, sed ambulauerunt in cogitatio-
nibus cordis malitiæ suæ, & facti sunt retrorsum, & nõ ad priora. Et iterũ per eun-
dem ipsum dicens: Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, intelligere & scire, quoniam
ego sum dominus, qui facio misericordiam & iustitiam, & iudicium in terra, in-
pulisti. Quoniam in his voluntas mea est, dicit dominus. Sed nec in sacrificijs, nec
in holocaustomatibus, nec in oblationibus: Nõ enim principaliter hæc, sed secun-
dum consequentiam, & propter prædictam causam habuit populus, sicut iterum
Esaias ait: Non obtulisti mihi oues holocaustomatis tui, nec in sacrificijs tuis cla-
rificasti me, non seruisti mihi in sacrificijs, nec aliquid laboriose fecisti in thu-
re, nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrificiorum tuorum
concupiui, sed in peccatis tuis, & in iniquitatibus tuis ante me stetit. Super quẽ
igitur, ait, aspiciam, nisi in humilem & quietum, & trementem sermones meos?
m. iij.

Philipp. 2.

Ireneus.
Hierem. 6.

Hierem. 7.

Hierem. 9.

Esaiæ 43.

Esaiæ 66.

Non enim adipēs & carnes pingues auferent à te iniustitias tuas, hoc est enim ieiunium quod ego elegi dicit dominus: Solue omnem modum iniustitiarum, dissolue connexus violentorum commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem conscriptionem iniustam conscinde, frange esurienti panem tuum ex animo, & peregrinum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum cooperi eum, & domesticos feminis tui ne despicias: tunc erumpet matutinum lumen tuum, & sanitates tibi cito oriuntur, & præcedet ante te iustitia, & gloria dei circumdabit te, & adhuc te loquente dicam: Ecce ad sum. ¶ Ultimam assertionis partem ex sacris literis deducemus, Monet Paulus in Epistola ad Romanos, vt ijs qui nobis publico magistratu ac publico munere præfunt, obsequamur: Omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à deo: quæ autem sunt, à deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi dānationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat: dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis, ministri enim dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorē, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicē diligatis. Hæc Paulus. hic nomine ipsius animę hominem intelligimus, à parte quidem humani corporis nobiliori. Principes cum Ecclesiastici, tum seculares, non absurde dicuntur potestates sublimiores: illi siquidem sunt duces, & classici reipublicæ, quorum prudentia, consilio, monitis, autoritate & iustitia, humana regitur politia, qui tanquam in specula constituti, præuident & speculantur quid suorum subditorum vitæ & regimini sit conducibile, pro quibus coram deo rationem reddituri peruigilant, nec quod ad suum munus obeundum putant esse pernecessarium, prætermittunt. Nec satagere debet subditi & curiose disquirere, si nam sui domini & præfecti honeste an turpiter uiuant, modo eis recta & honesta præcipiāt: nec agit Paulus duntaxat de potestatibus sublimioribus virtute cōsummatis, sed indiscriminatim de omnibus siue virtuti siue vitio dent operam. Et hæc enarrans Theophylactus, dicit: Postquam satis iam auditorum mores instituit, eosdemque vt humanos se erga hostes exhibeant, commonefacit, inducit aliud quoddam instructionis genus, & vniuersos erudit, siue sacerdos sit ille, siue monachus, siue apostolus, vt se principibus subdant, cuiusmodi subiectio nil prorsus est dei sublatiua cognitionem. Et notum est interpretem hunc, loqui generatim de principibus tam bonis quam malis. Vnde Origenes enarrans illa Pauli sacramenta: Reddite omnibus debita. Cui tributum &c. dicit vnunquēque siue recti siue prauī malique propositi, debere deo ministrare & exhibere ministeriū, ad quod aptum se præbuerit. Tum etiam dicit Paulus ad Ephesios, serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, nō ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi. Quamuis igitur domini suę carnis desideria sectarentur, & secundum carnem à recta spiritus semita deflectentes ambularent, tamen famuli eis tenerentur obsequi. Idem ad Colossenses exprimit, dicens: Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes deum. Et ad Titum, vult seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Apertius multo declarat Petrus, promptum obsequium quod serui suis dominis etiam malis, præstare debent: Serui (inquit) subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiā discolis. Insuper Chryso-stomus explicans illū Pauli locum: Et volunt subuertere Euangelium Christi, dicit:

Si qui præfunt improbi forent, innumerisq; scaterent malis, ne sic quidem fas esset discipulo dictis non audierem esse. Etenim si de Iudæorum doctoribus dictum est, quoniam super cathedram Moysi sedebat, eos esse dignos qui à discipulis audirentur: quanquam operibus erant tam malis, vt dominus præceperit, ne illa imitarentur, qua venia digni erunt, qui Ecclesiæ præfides per gratiam dei modeste uiuentes, conspuunt & conculcant: quod si nefas est vt alius alium iudicet, quanto magis fas non est iudicare doctores? ¶ At dicit quispiam, Si dominus despumet in libidinem, & infano mulierum amore correptus circumlustrer scorta, & imperet famulo vt nephanda luxuria scelera perpetret, aut eum ad inhonesta loca comitetur, debet ne seruus illi domino morem gerere? aut si eum compellat ad homicidium aut furtum perpetrandum, oportebitne relicto dei timore, huiusmodi famulum suo domino obtemperare? hunc discutit scrupulum Chryso-stomus, exponens quod dicit Paulus ad Hebræos, Obedite præpositis vestris, & subiecti estote: Si præpositus (inquit) malignus fuerit in causa fidei, fuge illum & euita nō solum si homo fuerit, sed etiam si angelus de cælo descenderit. Si verò in voto & moribus malignum dicis, noli scrutari, & hæc non ex me ipso dico, sed ex scriptura diuina. Audi enim Christum dicentem: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Et primo dicens de his multa mala, tunc dixit: Sederunt super cathedram Moysi. Omnia (inquit) quæ dixerint vobis, facite: quæ autem fecerint, facere nolite: habent (inquit) dignitatem, licet vitæ sint perditæ: verū tamen non ad vitam eorum, sed ad sermones intendite. Quantū enim ad mores attinet, nullus poterit lædi. Qua ratione hoc? Quia quæ facit, manifesta sunt omnibus, & neq; ipse ac si ad cacumen iniquitatis perueniat, poterit alios male docere. Cum autem fidei causa veritur, neq; manifestū est omnibus quod dicitur, neq; malignus dubitauit docere cōtraria. Nam quod dictū est, Nolite iudicare, ne iudicemini: de vita dictū est, non de fide: quod enim infertur hoc manifestat. Quid enim vides (inquit) stipulam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Omnia ergo quæ vobis dixerint (inquit) vt faciatis, facite: facere autem operis est, non fidei. Secundum autem opera eorum nolite facere. Intueris quoniam non de dogmatibus, sed de vita & moribus sermo est. Huic accedit iudicio Hieronymus, edisserens illa Pauli verba iam citata: Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, & simplicitate cordis vestri sicut Christo. Et pulchre (inquit) imperans seruis suis, vt obediant dominis, adiecit quasi Christo. Et iterum, Vt serui Christi, facientes voluntatem dei, vt scilicet non audiat seruus carnalem dominum, si contraria dei præceptis voluerit imperare. Quomodo autem ad Corinthios secundum tempus rescripserat, ne per occasionē fidei in Christum, inter maritos & uxores diuortia fierent, si è duobus vnus credere voluisset: ita ad Ephesios & ad Colossenses, quia plurimi inter initia fidei putabant Gētiles dominos contēnendos, nunc conditionum moderate præcepta constituit, vt & seruitia non videatur contra dominos concitare: & rursus nequaquam dominos doceat audiendos, si vitiosa & nephanda præcipiant. Deniq; Augustinus dicit Serm. 5. ad fratres in eremo, de Obedientia ad sacerdotes suos, Obedire igitur nobis necesse est, non tantū bonis & modestis, sed etiam discolis & malis: non tamen quia mali sunt, sed quia bona obseruare præcipiunt, quibus obedire debemus. Et Serm. 7. pulchre docet quādo non obstrigimur præpositis nostris obsequi: Attendat (inquit) qui præcipit, & qui obedire intendit, quod obedientia sit honesta, & omni discretionē ornata seu decorata. Nam si discreti non fuerit, crudelitas existimanda est: si honesta non fuerit, nullatenus obedire debemus. Verbi gratia, si nobis præcipitur, quod deū non diligamus, vel quod deū odio habeamus, nunquid obedire debemus? Nunquid vel ipse deus hoc præcipere potest? Honesti igitur fratres debent præcipi & iusta: & si honesta vel iusta nō fuerint, nullatenus obedire debemus, etiam si Apostolus nobis hoc indicauerit. Tenete igitur fratres, & in cordibus alligate, quod obedientia sine discre-

Esaia 58.

Roma. 13.

Hebræ. 13.

Theophyl.

Origenes.

Ephesios 6.

Colossen. 3.

Titum 2.

1. Petri 2.

Chryso.

Galat. 1.

Chryso.

Hebr. 13.

Matth. 23.

Matth. 7.

Hieronym.

1. Corin. 7.

Augustinus

tione casta est & vana, non ex parte obedientis, sed præcipiētis: & obedientia honestate priuata, superbia est, & venit ex vtriusque parte consentientis & præcipientis, & in die nouissimo pari poena punientur.

CAPVT XI.

Psal. 73.



Quod diu dei est possibile]. Hanc ex aliquot Psalmographi locis Assertionem deducimus. In volumine Psalmorum scriptum legimus: Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solennitatis tuæ. Qui deum odio perpetuo prosequuntur, apprehendunt deum esse vindicem seuerissimum, quod pro peccatis temporaneis licet mortiferis, æternam eis poenā infligat, nec lara eius sententia ab inferis reuocetur: nec tam dānati desiderant iniuriam quam putant sibi iniuste irrogatam vlcisci, quā deum non esse, & hac in re vis odij regnat. Et in eodem capite dicit Dauid, Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Sed ex eo semper ascendit, quia non elanguescit, nec miseri illi ab odio dei desistunt. Vidēsne superbiam & elatam hominū & angelorū arrogantiam, qui vellent se deo conferre, & ei suam adimere maiestatem, parere eiusdem odium? Et aliubi dicit Propheta: Nonne qui te oderunt domine, oderant? & super inimicos tuos tabescebant? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Nec tam Dauid odio persequeretur eos qui deum oderant, eiusque voluntati & præceptis oblectabantur, quam eorum peccata. licet enim hominem sceleratissimum amemus, eius tamē flagitia & inaudita vitia insectamur, & odio prosequimur: nisi velis dicere vt scribit Augustinus eundem Propheta locū enarrans, nos inimicos nostros diligere, non autem inimicos dei. Huic idem doctor sententiā subscribit, lib. 1. Retract. cap. 19. vbi ita loquitur: Quod dixi, scilicet lib. 2. de Serm. domini in monte: nullius enim ferē conscientia deum potest odisse, video non fuisse dicendū. Multi enim sunt de quibus scriptū est, Superbia eorum qui oderunt te. Et explicando in Ioānem hæc Christi verba: Qui me odit, & patrem meum odit, ostendit damnatos propter æterna supplicia quibus plectuntur, odire deum, quē arbitrantur esse iniustū: Sic ut inquit fieri potest vt homo bonus hominē bonum oderit nesciens, vel potius diligat nesciens: ipsum enim diligit, cum bonum diligit: quia id quod est ille, hoc iste diligit: oderit autē nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum: ita fieri potest vt etiam homo iniustus oderit hominē iustum: & dum æstimat se sui similem iniustum diligit, nesciens diligit iustū: & tamen dum eum credit iniustum, diligit non ipsum, sed quod putat esse ipsum: quē admodum autem hominē, sic & deum. Denique si interrogarentur Iudæi, vtrum diligerent deum, quid se aliud quā diligere responderent? nec ex animo mentientes, sed errando potius opinantes. Quomodo enim diligerent patrem veritatis, qui haberent odio veritatem? Nolūt enim sua facta damnari, & hoc habet veritas, vt talia facta damnentur: tantū igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas poenas, quas talibus irrogat veritas: nesciūt autem illam esse veritatē, quæ tales quales ipsi sunt, damnat. Oderunt ergo quæ nesciunt, & cum illam oderunt, profecto & eum de quo nata est, nisi odire non possunt: ac per hoc quia veritatē qua iudicante damnantur, de patre deo natam nesciunt, vtiq; etiam ipsum & nesciunt, & oderunt. O miseros homines qui cum esse se volunt mali, nolunt esse veritatē qua damnantur mali: nolunt enim eam esse quod est, cum ipsi debeāt nullo modo esse quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. Hæc ille. Nec desunt nobis rationes ad eandem assertionem suffulciendam. Potest intellectus damnati errans apprehendere deum sibi esse nocentissimū & iniustissimum, quod pro vno peccato mortali æternā infligat poenam à qua liberaretur, si non esset, & erronee credit possibile deum non esse, cuius iudicio voluntas consentit, nolens deum subsistere, hoc autē est odium dei: igitur. Adde quod potest & damnatus vindictam appetere volens male esse deo, quod pariter est odium. Et his nititur argumentis Hieronymus ab Hangesto vir sanè perspicacissimi ingenij, capite 3. suorum Magnorum moralium. Et licet

Augustinus

Ioan. 15.

deo nulla sit imperfectionis & odij ratio, non propterea sequitur, quin deprauata hominis voluntas possit elicere odium dei, quia non fertur solum in obiectum, iuxta suæ naturæ proprietatē, sed quatenus ita apparet, & ostenditur per intellectum tale vel tale: potest autē per intellectum errantem ostendi voluntati sub rationibus odij, quare poterit apparere odiri. Nec puto conueniendum esse opinioni doctoris Subtilis, dicentis odium dei non esse possibile propter raritatem hanc rationem, cum sacris literis & sententiæ Augustini aduersetur. Qui adhærent opinioni & doctrinæ sancti Thomæ, dicunt deum secundū sui essentiam ab homine apprehensum non posse odiri, quia deus per suam essentiam est ipsa bonitas, quā nullus potest insectari odio, quandoquidē ratio boni efflagitat vt ametur. idcirco impossibile est vt qui deum per essentiam videt, eum odio habeat. Si verò apprehendatur ab homine per effectus qui voluntati humanæ non possunt esse contrarij, quales sunt, esse, viuere, intelligere, quod ab hominibus amatur, nec ita apprehensus potest odio haberi. Sunt tamen quidā effectus dei qui inordinate & peruersissime hominū voluntati repugnant, sicut inflictio poenarū, & cohibitio peccatorum per legem diuinā. Hæc autem refugit deprauata hominis voluntas: & quātum ad humani modi effectus, deus potest odio haberi, quatenus apprehenditur peccatorū prohibitor, & poenarum inflictor. Euerteret tamen aliquis primum illum dicēdi modum, hac ratione: Potest damnatus pertinaciter suæ iniquitati & peruersissimæ voluntati adhærens, nolle deum esse, quamuis sciat hoc esse impossibile, quia voluntas deprauata, est impossibile: igitur potest absolute damnatus odire deum secundum se considerati. Nisi velis dicere quod voluntas damnati nō potest exire in actum odij dei ex clara eiusdem visione, quia limpidissima illa visio mouens voluntatem, est summum bonum in quod naturali amore fertur hominis voluntas. hinc est quod considerato hoc amore naturali, à tanti obiecti splendore & præcellentia dimanante, non est compossibile claræ dei visioni, eiusdem odium, licet cum illo amore posset esse odium dei alterius generis, complexum quidem, quod naturam intuitionis non retineret. Nam damnatus vidēs deum cuius gloria non frueretur, posset apprehendere deum rigidissimū vltorem & seueriorem æquo iudicem, quod perpetuum tormentū ijs qui in inferorū carceribus detinentur, infligat. Et sic quantum ad effectus displicentes, potest voluntas deum odio prosequi, licet spectado rationem motiui, non possit deus secundū se odio haberi, quia non potest seipsum mouere ad sui odium, cum includat in se eminentissimam bonorum omnium rationem, potest tamē terminare odium, nam nihil obstat quominus possit esse iniquæ voluntatis terminus. Sed scrutaberis, si nā esse, & viuere, dei quidem effectus, non possint simpliciter humanæ voluntati aduersari, aut ab ea abijci? Nonne de Iuda proditore dixit Christus: Melius erat si homo ille natus non fuisset. Dicam effectus illos si secundum se considerentur, nihil continere quod sit fugibile, & dignum odio: Si verò considerentur per accidens, & secundum miseriam sibi adiunctam vel poenam, non addubito quin possint odio haberi.

CAPVT XII.



Pera bona sunt ex gratia, non ex operibus gratia, quæ tunc recte fiunt cum ad charitatē diriguntur]. Hæc Augustiniana est pro omnibus suis partibus Assertio, & priores totius veritatis particulas cōprobat Augustinus epist. 106. cōtra Pelagianos, ex aliquot sacra scripturæ testimonijs. & in primis quod bona opera à gratia dei proficiantur. Siquidē dicit Paulus ad Philippenſes: Deus est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Nam quis nos nisi qui venit querere & saluare quod perierat, ab illa perditionis massa & contentione discernit? vnde: Apostolus interrogat, dicēs: Quis enim te discernit? Vbi si dixerit homo, Fides mea, voluntas mea, bonū opus meum: respondetur ei, Quid enim habes quod non accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc vtiq; rotūm ideo, non vt homo non gloriatur,

Matth. 26.

Augustinus

Philip. 2.

Lucæ 19.

1. Corint. 4.

sed ut qui gloriatur, in domino gloriatur, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia bona opera ista, pia cogitatione frustrantur. cum deus reddat unicuique secundum opera eius, sicut gloria & honor & pax omni operanti bonum: sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia, quoniam fides quae per dilectionem operatur, nihil operaretur nisi ipsa dilectio dei diffunderetur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Nec ipsa fides esset in nobis, nisi deus unicuique partiretur mensuram fidei. Bonum est igitur homini ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam: quia ille qui putavit sine ipsius adiutorio se posse custodire quod dedit, profectus in longinquam regionem, & viuens prodige cuncta consumpsit, & misera duram seruitutis attritus, reuersusque in semetipsum, dixit: Surgam & ibo ad patrem meum. Quam cogitationem bonam quando haberet, nisi & ipsam illi in occulto pater misericordissimus inspirasset? Quod intelligens minister ille noui testamenti, Non quia idonei sumus (inquit) cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex deo est. Vnde & ille cum dixisset, Fortitudinem meam ad te custodiam, ne vel hoc ipsum quia custodit, suis viribus arrogaret, tamquam ei venisset in mentem, quia nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Et non dormit neque dormitat, qui custodit Israel. Adiunxit causam vnde fiat idoneus custodire, vel quo potius custode seruetur. Quoniam deus (inquit) susceptor meus es. Recolat igitur iste si potest, merita sua, vnde factum sit, ut deus dignaretur eius esse susceptor, ac si deus esset susceptus. Recolat vtrum quaesierit, an quaesitus sit, ab illo scilicet qui venit quaerere & saluare quod perierat. Nam si quaerere voluerit ante gratiam, quid meruit ut acciperet eam? mala sua poterit homo inuenire, non bona, etiam si eum vnius diei vitam habentem super terram gratia saluatoris inuenerit: quia si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si autem credit in eum qui iustificat impium, ut deputetur fides eius ad iustitiam (Iustus enim ex fide uiuit) profecto antequam gratia iustificetur, ut iustus efficiatur, impius quid est nisi impius? Quem si debitum sequeretur, quid eius merito nisi supplicium redderetur? Si ergo gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, vnde etiam nuncupatur. Et haec vim habent maximam pro suffulcienda secunda assertionis enuntiatione. Deinde subiecit idem Augustinus, Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur: Hanc enim fidem volumus habeat, qua impetret charitatem, quae sola vere bene operatur, isti fratres nostri, qui multum de suis operibus gloriantur. Charitas autem usque adeo donum dei est, ut deus dicatur. Qui ergo habent fidem qua impetrent iustificationem, per dei gratiam peruenerunt ad legem iustitiae, vnde dicitur: Tempore acceptabili exaudiui te, & in diebus salutis adiuui te. Proinde in ijs qui per electionem gratia salui sunt, adiutor deus operatur, & velle & operari pro bona voluntate: quoniam diligentibus deum, omnia cooperatur in bonum. Si omnia, ut in illis crederemus) per eius gratiam diligamus, & diligamur quod operati non sumus. Qui vero suis meritis praemia tanquam debita expectant, nec ipsa merita dei gratia tribuant, sed viribus propriae voluntatis, sicut dictum est de carnali Israel, persequentes legem iustitiae, in legem iustitiae non perueniunt. Quare quia non ex fide, sed tanquam ex operibus ipsa est enim iustitia ex fide, quam Gentes apprehenderunt, de quibus dictum est: Quid ergo dicemus? quia Gentes quae non cognouerunt iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est, Israel autem persequens legem iustitiae, in legem iustitiae non peruenit. Quare quia non ex fide, sed tanquam ex operibus. Offenderunt enim in lapide offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandalum, & qui

Roma. 2.

Galat. 5.

Roma. 5.

Psal. 58.

Luca. 15.

2. Corin. 3.

Roman. 4.

Abacuc. 2.

Roma. 11.

1. Ioan. 4.

2. Corin. 6.

Philp. 2.

Roman. 8.

Roma. 9.

Esaia. 28.

crediderit in eum, non confundetur. Ipsa est iustitia ex fide qua credimus nos iustificari, hoc est iustos fieri gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum, ut inueniamur in illo non habentes nostram iustitiam quae ex lege est, sed eam quae est per fidem Christi. Quae ex deo iustitia in fide? utique in fide qua credimus nobis iustitiam diuinitus dari, non a nobis nostris viribus fieri. Et in epistola ad Valentinum, apertius eandem persuadet partem, dicens ex illo Iacobi loco: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum. Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suae, sibi traditam dei gratiam, & putetur verum esse quod illi haeretici dicunt, gratiam dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est: non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo iudicabit deus mundum? Sed misericordia & gratia dei conuertit hominem, de qua psalmus dicit: Deus meus misericordia eius praueit me ut iustificerur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum quod deus coronabit, quando iudicabitur mundus. Tum etiam lib. 1. de Genesi, contra Manichaeos, cap. 22. dicit: Deus requieuisse dictus est ab omnibus operibus suis, quae fecit bona valde, quia in illo requiescimus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus: quia & ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui praecipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut & velimiam inuitat, & vires implendi ea quae imperat, subministrat. Et libro vno Enchiridij ad Laurentium, cap. 32. edisserendo sublimem illam Pauli philosophiam, Non volentis neque currentis est hominis, sed miserentis est dei, subtili argumento probat voluntatem hominis, ut recte velit, a deo preparari, & quicquid in nobis bonum est, totum deo deferendum esse: Alioquin (inquit) si propterea dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est dei, quia ex utroque fit, id est ex voluntate hominis, & misericordia dei: ut sic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia dei. Non ergo sufficit sola misericordia dei, si non sit etiam voluntas hominis, ac per hoc si recte dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & e contrario recte dicitur, non miserentis est dei, sed volentis est hominis? quia id misericordia dei sola non implet. Porro si nullus Christianus dicere audebit, Non miserentis est dei, sed volentis est hominis: ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, &c. ut totum deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuanda, & adiuuat preparatam. Praecedat enim bona voluntas hominis multa dei dona, sed non omnia: quae autem non praecedat ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquijs: Et misericordia eius praueit me, Et misericordia eius subsequetur me. Nolentem praueit, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus pie viuere, nisi ut deus in illis operetur ut velint? Item, cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia dei praueiat eos, sicut praueit & nos: oramus autem pro nobis, ut misericordia eius subsequatur nos. Idem patefacit libro vno de Spiritu & littera, cap. 7. bona hominis opera ex largissimo diuinae liberalitatis fonte promanare. Et in opusculo Sententiarum, cap. 297. scriptum nouimus, mercedem debere bonis operibus si fiant, sed gratia quae non debetur, praecedat ut fiant. Pulchre etiam docet libro 1. ad Simplicianum, quaest. 2. bona hominis opera non praecedere gratiam, sed consequi, ut scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est: sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Idem exponendo psalmum illum, Opera

Iacobi 1.

Psal. 58.

Gene. 2.

Roma. 9.

Psal. 58.

Psal. 22.

Math. 5.

Math. 7.

Psal. 137.

manuum tuarū ne despicias, dicit: Opus tuum in me vide, nō meum: nam meum si videris, damnas: tuum si videris, coronas: quia & quaecunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt: & ideo tua magis quam mea sunt. Audio quippe ab Apostolo tuo, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed dei donum est: non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsi enim sumus sumus, siue in eo quod ex nostra impietate mutati & iustificati sumus, Domine, opera manuum tuarum ne despicias. Huic astipulatur sententiā Hieronymus, edisserens quid sibi velint hæc Pauli verba, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Non quod (inquit) liberum hominis tollatur arbitrium, & secundum illud non sit currentis neque volentis, sed miserentis dei: verum quod arbitrij ipsa libertas deum habeat authorē, & ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonū nos velle ipse permisit. Hoc autem totum propterea ne quis gloriatur à semetipso, & non à deo se esse saluatum. Et cum subiunxit Paulus, Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, reddidit causam quare gratia saluati sumus per fidem, & hoc ipsum non ex nobis, sed ex munere dei, dicens: Ipsi enim factura sumus, hoc est quod viuimus, quod spiramus, quod intelligimus, & credere possumus, ipse est: quia ipse conditor noster est. Præterea Chryostomus homilia de Adam & Eua, dicit: Et ne in ipsa vita bona extollatur genus humanum, & proprijs viribus victoriā sibi vendicet in eo quod superat affectus carnis, æque redarguit Apostolus, dicens: Gratia salui estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed donum dei est. Aequè alio loco dicit: Quid habes quod non accepisti? Itaque si accepisti, quid gloriaris, quasi bene viuens non acceperis? Dicit etiam dominus: Si ne me nihil potestis facere. Et aliubi, Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Item, Qui captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus. Deinde quod ad præsens institutum plurimū facit, concludendo dicit Chryostomus, His ergo Ecclesiasticis regulis, & diuina sumptis autoritate documētis, ita adiuuante domino confirmati sumus, vt omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum quibus ab initio fidei ad deum tenditur, deum profiteamur authorē, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita provenire: per quem item fit, vt aliquid boni & velle inueniamur & facere. Quo utique auxilio & munere dei non aufertur liberū arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus & agamus. Nec otiosa in nobis esse patiat, quæ exercēda, non negligenda donauit: vt & nos cooperatores gratiæ dei simus, & in his quæ in nobis ex nostra viderimus remissione languere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimet de interitu vitam nostrā, cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Et cōmentando illam Pauli sententiam, Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu, dicit: Et hoc rursum ad illorum laudem pertinet, qui cōciliarint sibi dei gratiam, vt ipsis esset auxilio in his quæ superant humanam naturam. Quamquam ista benefacta sic vestra sunt, vt tamen humana non sint, sed egent fauore diuino. Quod si deus perficiet, non erit multum negotij, sed oportet habere fiduciam, quod omnia facile perficientur, nimirum illo opitulante. Nec ab hac discedit sententia Ambrosius, enarrans illud Pauli iam citatum: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate: Deum (inquit) bonos cōnatus adiuuare testatur. Omnem enim gratiam semper reportat ad deum, vt nostrum sit velle, perficere vero dei. Nam quis vincere potest: principes ac potestates, rectores tenebrarū harum, spiritalia nequitiae in caelestibus, nisi solus deus, quos causa inuidiæ inimicos habemus? Indignantur enim nos dici filios dei. Hæc

Ephes. 2.

Psal. 137.

Hieronymus

Chryostomus

Ioan. 15.

Ioan. 6.

Psal. 67.

Esaie 53.

Psal. 102.

Philippē. 1.

Ambrosius

Philipp. 2.

Ephesios 6.

ille. Animaduerte opera bona esse ex gratia gratis data, si non sint meritoria, sed moraliter bona: si vero sint meritoria, sunt à gratia gratum faciente, & ipsa charitate informantur. ¶ Vltimam assertionis partem deduximus ex aliquot Augustini interpretationibus, & præferim in psalmos. Siquidem explicans psalmum illum, Regna terræ cantate deo, psallite domino: ostendit primo opera bona debere à dilectione dei proficisci, dicens: Qua distinctione multorum codicum, & auctoritate digniorum consonanti sine dubio præferenda fides, sine dubio commendari mihi videtur, quæ opera præcedit: quia sine bonorum operum meritis, per fidem iustificatur impius, sicut dicit Apostolus: Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam, vt deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem dei. Hæc autē necesse est, vt antecedit fides, vt inde ista, non ab istis incipiat illa. quoniam nullus operatur per dilectionem dei, nisi prius credat in deum. Et quod præ tendimus, ostendit edisserendo versiculum illum, Et opus manuum nostrarum dirige: Id (inquit) mihi videtur habere sententiā, quod omnia bona opera nostra, vnum opus est charitatis. Plenitudo enim legis est charitas. Nam in superiore versu cum dixisset, Et opera manuum nostrarum dirige super nos, isto vltimo non opera, sed opus dixit manuum nostrarum dirige, tanquam vltimo versu volens ostendere, ipsa opera vnum opus esse, id est ad vnum opus dirigi. Tunc enim recta sunt opera, cum ad hunc vnum finem diriguntur. Finis enim præcepti charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Opus ergo vnum est, in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur. Vnde etiam dominus in Euāgelio dicit: Hoc est opus dei vt credatis in eum quem ille misit. Ad hæc, libro 1. contra Pelagium & Cælestinum, cap. 26. dicit: Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonū non facimus, si diligamus? Et si enim dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri: tamen vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur: quia omne quod non ex fide est, peccatum est. Vidēsne ex hac erudita Augustini sententia & exacto iudicio, illorum opera non esse deo grata, qui solo timore poenæ eius præcepta languide faciunt & obseruant? Bene autem & merito rie operamur, & recte viuimus, cum fidelis charitas in nobis operatur, de qua dicit Paulus: Si habuero omnem fidem ita vt montes trāsferam, charitatem autem non habeā, nihil sum. Et, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis credentibus, vt tantæ virtutis præsidio adiuti bona operemur.

Psal. 67.

Roman. 4.

Psal. 89.

Roma. 13.

1. Timot. 1.

Ioan. 6.

Roma. 14.

1. Corint. 13.


Roma. 5.

FINIS DECIMITERTII LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XIII.

CAPVT I.



Aradifus in Eden ad orientem plantatus, erat proprie locus terrenus, nec tamē solum corporaliter paradifum intelligi volumus.]Vtrāque huiusce Affer- tionis veritatē ex Augustino deprompsimus, enar- tante libro 8. in Genesim, cap. 1. illa Moyfi verba, Et plantauit deus paradifum in Eden ad orientē, & po- fuit ibi hominem quem finxit, vbi ita scribit: Non ignoro de paradifō multos multa dixisse, tres tamē de hac re quasi generales sunt sentētiæ: Vna eorum qui tantummodo corporaliter paradifum intelligi volunt: Alia eorum qui spiritaliter tantū: Tertia eorum qui vtroque modo paradifum accipiunt, aliās corporaliter, aliās autem spiri- taliter. Breuiter ergo vt dicam, tertiam mihi fateor placere sententiā: secundum hanc suscepi nunc loqui de paradiso, quod dominus donare dignabitur, vt homo factus ē limo, quod vtrique corpus humanum est, in paradiso corporali collocatus intelligatur, vt quemadmodū ipse Adam, etsi aliquid aliud significat secundum id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui vixit certo numero annorū, & propagata numerosa prole mortuus est, sicut moriuntur ceteri homines, etsi non sicut ceteri ex parētibus natus, sed sicut primitus oportebat, ex terra factus est: ita & paradifus in quo eum collocauit deus, nihil aliud quā locus quidam intelligatur, terra scilicet vbi ha- bitaret homo terrenus. Narratio quippe in his libris non genus locutionis figura- tarum rerum est, sicut in Cantico canticorum, sed omnino gestarum est, sicut in Regnorum libris, & huiusmodi ceteris. Sed quia illic ea dicuntur quæ vitæ hu- manæ vsus notissimus habet, non difficile imō promptissime primitus accipiun- tur ad literam, vt deinde ex illis quid etiam futurorum res ipsa gestæ significave- rint, exculpatur. Hic autem quia ea dicuntur quæ vsitato naturæ cursu intuenti- bus non occurrant, nolunt ea quidam proprie, sed figurate dicta intelligi, atque ex illo loco volunt incipere historiam, id est rerum proprie gestarum narratio- nem, ex quo dimissi de paradiso Adam & Eua conuenerunt atque genuerūt: qua- si verō vsitatum nobis sit, vel quod tot annos vixerunt, vel quod Enoch transa- tus est, vel quod grandæua & sterilis peperit, & cetera huiusmodi. Sed alia est (in- quiunt) narratio factorum mirabilium, alia institutarum creaturarum. Illic enim ea ipsa insolita ostendunt alios esse tanquam naturales modos rerum, alios mi- raculorum, quæ magnalia nominantur: hic autem ipsa insinuatur institutio natu- rarum. Quibus responderetur, sed ideo insolita & ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo, & sine pari factō, in rerum mundanarū constitutione, quā mun- dus? Nunquid ideo credendum non est, deum fecisse mundū, quia iam non facit mūdus: aut non fecisse solem, quia iam non facit soles? Et hoc quidem non de pa- radiso, sed de ipso homine permotus, debuit respōderi. Nunc vero cum ipsum sic credant à deo factum, sicut alius nullus factus est, cur paradifum nolunt ita factū credere, quemadmodum nunc vident sylvas fieri? Ad eos quippe loquor, qui au- thoritatem harū literarum sequuntur: eorum enim quidam non proprie, sed figu- rate paradifum intelligi volunt. Nā qui omnino aduersantur his literis, aliās cum eis atque aliter egimus, quanquam & hæc in hoc ipso opere nostro quantum vale-

Gene. 2.
Augustinus

Roman. 5.

Gene. 5.

mus ita defendamus ad literam, vt qui non rationabiliter moti propter animum pernicacem vel hebetem, credere ista detrectant, nullam tamē inueniant ratio- nem, vnde falsa esse conuincant. Verūm isti nostri qui fidem habent his diuinis libris, & nolunt paradifum ad proprietatem literæ intelligi, locum scilicet amœ- nissimum fructuosum nemoribus opacatum, eundemque magnum, & magno fon- te focundum, cum videant nulla humana opera tot ac tanta vireta syluescere oc- culto opere dei, miror quemadmodum credunt ipsum hominem ita factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut si & ipse figurate intelligendus est, quis genuit Cain & Abel & Serhan & ipsi figurate tantum fuerunt, non etiam homi- nes ex hominibus nati? De proximo ergo attendant istam præsumptionem quo- tendat, & conentur nobiscum cuncta primitus quæ gesta narrantur, in expressio- ne proprietatis accipere. Quis enim eis postea non faueat, intelligentibus, quid ista etiam figurata significatione commoneant, siue ipsarum spiritalium natu- rarum vel affectionum, siue rerum etiam futurarum? Sanè si nullo modo possent salua fide veritatis ea quæ corporaliter hic nominata sunt, corporaliter etiam ac- cipi, quid aliud remaneret, nisi vt ea potius figurate dicta intelligeremus, quā scripturam sanctam impie culparemus? Porro autem si non solū non impediunt, verum etiam solidius afferunt diuini eloquij narrationem, hæc etiā corporaliter intellecta, nemo erit (vt opinor) tam infideliter pertinax, qui cum ea secundum regulam fidei exposita proprie viderit, malit in pristina remanere sententia, si forte illi visa fuerant non nisi figurate posse accipi. Et libro 12. in Genesim, capi- te 32. differens de raptu Pauli vsque in paradifum, & tertium cælum, ostendit cla- re paradifum posse spiritaliter intelligi: Non temere (inquit) affirmamus vtrum in tertio cælo sit paradifus, an etiam in tertium cælum & inde rursus in paradifum raptus sit. Si enim proprie quidem est nemorosus locus, translatō autem ver- bo, omnis etiam spiritalis quasi regio, vbi animæ bene est, merito paradifus dici potest, nō solum tertium cælum, quicquid illud est, quod profecto magnum sub- limiterque præclarum est, verū etiam in ipso homine latitæ quædam bonæ con- scientiæ paradifus est. Vnde & Ecclesia in sanctis temperanter & iuste & pie vi- uentibus paradifus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisquæ delicijs: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gau- dens, quia secundum multitudinem dolorum in corde consolationes dei iocun- dant animam eius. Quanto magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ paradifus dici potest, vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies post omnes dolo- res vitæ huius? Et qui pertinaciter negaret paradifum à deo in Eden plantatum, esse visibilem, in hæresim Seleucianorum incideret, vt ostendit idem Augustinus libro vno de Hæresibus, ad Quod vult deum, capite 59. Adde quod Chrystos- mus enarrans eundem Genesios locum iam citatum, docet manifeste paradifum esse super terram, dicens: Postquam dominus vniuersam suam nobis declarauit benignitatem, & illum propter quem omnia visibilia formata sunt, in medium adduxit, statim incipit in illum beneficia collocare. Et plantauit deus hortum se- cundum orientem. Considera & hic dilecte, quod nisi vt dignum est, de deo ver- ba hæc recipiantur, necesse est vt in profunda errorum detrudamur. Quid enim dicere poterunt & de his verbis, qui omnia quæ de deo dicuntur, humano more accipere audent? Et plantauit deus hortum. quid? dic oro, fossorio ne opus habuit, & agricultura, & alia cura, vt paradisi hortum excoleret? Absit. Iterum enim etiam hoc loco verbum illud, plantauit sic intelligendum, quod imperauerit hor- tum in terra fieri, ita vt productus homo in eo versaretur. Hac enim de causa hor- tum produxit, de quo audi scripturam dicentem: Et plantauit deus hortum in Eden, secundum orientem, & posuit illic hominem quem formauit. Et idcirco nomen loci scripturis inseruit beatus Moyfes, vt non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, & dicere nullum esse in terra hortum, quem vo-

Psal. 93.

Chrystos-
mus

cant paradifum, fed in cælo, & fabulas quasdam eiuſmodi ſomniare. Nam cum diuina ſcriptura, tanta uſa eſt diligentia, & non refugiunt quidam loquacitate ſapientiaq; peregrina inflari, aduerſa ſcripturis loqui, & dicere, non eſſe ſuper terrâ paradifum, multâque alia præter ea quæ dicta ſunt introducentes, quòd non ſicut ſcripta ſunt, ſed alia ratione intelligenda: & quòd ea quæ de terra, de his quæ in cælis ſunt, dicta eſſe arbitrandum ſit, niſi humilitate & congruenti nobis ſermonum familiaritate beatus Moyſes uſus foret, ſpiritu ſancto linguam eius mouente, quo non exciſſent? Quamuis ſacra ſcriptura cum nos tale quiddam docere uult, ſeipſam exponit, & auditorem errare non ſinit. Sed quia pleriq; non ut commodant his qui demonſtrata narrât: & propterea non eos qui magis proſunt, ſed qui magis oblectant, ut audire poſſint, quærunt. Oro igitur ut omnibus illis præcluſis auribus, adamuſſim canonē ſacræ ſcripturæ ſequamur. Et quando audis dilectè quòd plantauit deus hortum in Eden ſecundum orientem, hoc quòd dicit, plântauit, ut decet de deo intelligas, nempe quòd præcepit. At quòd reliquum eſt, crede quòd & paradifus factus ſit, & in illo loco ubi ſcriptura ſignificauit. Cæterum non credere his quæ in diuina ſcriptura continentur, ſed alia quædã ex propria ſententia inferre, opinor plurimū periculi ſecum aduehere his qui talia audent. Et poſuit illic hominem quem formauit. Vide quantum honorē ſtatim homini dedit: extra paradifum quidē formauit illum, ſed mox introduxit, ut re ipſa ſenſu beneficiorum fruere, ſciritq; quantus illi honor eſſet cōceſſus. Et poſuit hominem illic quē formauit. Verbum poſuit iterū ſic intelligamus, pro eo q̄ præcepit illi ut eſſet illic, ut & ex aſpectu & conuerſatione multâ perciperet voluptatem, prouocareturq; ad gratitudinem, intelligens quantis ſit affectus beneficijs, cum nullum adhuc boni ſpecimen præbuiſſet. Ne mireris ergo uerbum hoc, poſuit: perpetuus enim ſcripturæ mos eſt, propter nos, & propter noſtrâ uilitatem, humanis uſi uerbis. Et ut ſcias, uide quomodo ſuperius cum de formatione ſtellarum ageret, eadem dictione ſit uſus, cum dixit: Et poſuit ea in firmamento cæli, non quòd affixerit ea cælo cogitandum (nam unumquodq; eorum ſuum perficit curſum, de loco ad locū tranſiens) ſed ut diſcas quòd in cælo ea eſſe præceperit, quomodo & hominem in paradifo uoluit uerſari. Præterea Ambroſius libro vno de Paradifo, capite 1. Chryſoſtomi ſententiæ accedit, tamenſi interſerat & commiſceat ſermonem de Paradifo ſpirituali: Paradifus (inquit) eſt plurima ligna habens, ſed ligna fructifera, ligna plena ſucci atque uirtutis, de quibus dictum eſt: Exultabunt omnia ligna ſyluarum. Ligna ſemper florētia uiriditate meritorum, ſicut illud lignum quòd plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, cuius folium non deſluet, quia totus in eo fructus exuberat. hic ergo paradifus eſt. Locus autem eius, in quo eſt plantatus, voluptas dicitur: unde & ſanctus Dauid ait: Ex Torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Legiſti enim, Quia fons procedit ex Eden, qui rigat paradifum. Hæc igitur ſanctorum flumina quæ plântata ſunt in paradifo, quaſi profluo quodam Torrentis ſpiritus irrigantur. De quo alibi ait: Fluminis imperus lætificat ciuitatem dei. Eſt autem ciuitas illa quæ ſuſum eſt Hieruſalē libera, in qua diuerſa ſanctorum merita pullularunt. In hoc ergo paradifo hominem deus poſuit quem plaſmauit. Intellige etiam quòd non eum hominem qui ſecundum imaginem dei eſt, poſuit: ſed eum qui ſecundum corpus. Incorporalis enim in loco non eſt: poſuit autem eum in paradifo, ſicut ſolem in cælo, expectātem regnum cælorum, quemadmodum creatura expectat reuelationē filiorum dei. Ergo ſi paradifus eſt in quo erant exorta uirgulta, uidetur paradifus anima eſſe, quæ multiplicat ſemen acceptum, in qua uirtus uina quæq; plântatur, in qua erat etiam lignum uitæ, hoc eſt ſapientia, ſicut dixit Salomon, quia ſapientia non de terra exorta eſt, ſed de patre. Eſt enim ſplendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ. Hęc ille. Hieronymus? Huc accedit quòd dicit Hieronymus de utraque paradifi ratione, enarrans illud

Ambroſius.

Pſal. 95.

Pſal. 131.

Pſal. 35.

Pſal. 45.

Gala. 4.

Prouerb. 8.

Sapient. 7.

Hieronymus?

Ezechielis: In delicijs paradifi dei fuiſti, ubi interpretato nomine Eden, pro deli-
cijs, ita loquitur: Et pulchre ad diſtinctionem paradifum dei nominat, ut osten-
dat eſſe & contrarium paradifum non dei, apud eos qui ueritatem mutant men-
dacio, & paradifum habere ſe iactant. Quo ſermone demonſtrat nequaquam ho-
minem eſſe de quo ſcribitur, ſed contrariam fortitudinem, quæ quondam in dei
paradifo commorata ſit. Non addubito quæ ſcribit Cyprianus Laconica breuitate
in epiftola ad Iubaianum, de paradifi excellentia, debere myſtice intelligi: Ec-
cleſia (inquit) paradifi inſtar exprimens arbores fructiferas, intra muros ſuos in-
tus incluſit, ex quibus qui non facit fructum bonum excidetur, & in ignem miter-
terur. Has arbores rigat quatuor fluminibus, id eſt Euangelijs quatuor, quibus ba-
ptiſmi gratiam ſalutari & cæleſti inundatione largitur. Nunquid de Eccleſiæ fon-
tibus rigari poteſt, qui intus in Eccleſia non eſt? nunquid paradifi porus ſalubres
& ſalutares impartiri cuiquā poteſt, qui peruerſus & à ſemetipſo damnatus, & ex-
tra paradifi fontes relegatus aruit, & æternæ ſitis ſiccitate defecit? Clamat domi-
nus, ut qui ſitis ueniat & bibat de fluminibus aquæ uitæ, quæ eius uenis refluxe-
runt. Videbitur cuiquam fieri non poſſe paradifi terreſtris ſitum eſſe ad orientem.
Nam uel eſſet inter duos tropicos: & hoc dici non poteſt, quia nulla eſt inter
huiusmodi tropicos ſcilicet Cancri & Capricorni regio habitabilis: propter nimi-
um ſolis ardorem, aut igitur deurgit duntaxat uerſus orientem æſtiualem, uel
hyemalem: & hoc non, quia illa regio non eſt temperatiſſima: modo doctiſſimo-
rum hominum iudicio, paradifus ſitum habet in loco amoeniſſimo, & tempera-
tiſſimo. Hunc diſcutit ſcrupū Lyranus in 2. caput Geneſeos, dicens eos qui ſectan-
tur opinionē Ariſtotelis 2. Meteororum aſſerentis inter duos tropicos non eſſe
regionem habitabilem: fateri paradifum terreſtre eſſe ſitum: extra tropicos uer-
ſus orientem æſtiualem uel hyemalem. Alij dicunt quòd inter duos tropicos ſub
æquinoctiali circulo, eſt regio temperatiſſima: & qui horū ſententiæ applaudunt,
exiſtimant paradifum terreſtre eſſe in oriente ſub æquinoctiali.

Ezechie. 28.

Roma. 7.

Cyprianus.

Matth. 3.

Ioan. 7.

Lyranus.

Nume. 25.



Hinees duplex perpetrans homicidium, non contaminauit manum
ſanguine, ſed puriorem reddidit, deoque maxime placuit. Hanc ad-
ſertionem ex libro Numerorum deducemus, in quo legimus domi-
num uehementer ſuccenſiſſe populo Iſraelitico, quòd foediſſimam
& pluſquam nephariam fornicationem cum filiabus Moab perpetrā-
ſet, & adorando deos alienos ſe Beelphegor conſecraſſet, idcirco principes po-
puli iuſſit affigi patibulis: contempto tamen dei imperio, & neglecta eius uindi-
cta, vnus de filijs Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſortum Madianitem
uidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui ſtebant ante fores tabernaculi.
Quòd cum uidiſſet Phinees filius Eleazari, filij Aarō ſacerdotis, ſurrexit de me-
dio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt uirum Iſraelitem in lupa-
nar, & perſodit ambos ſimul, uirum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus. Ceſ-
ſauitque plaga à filijs Iſrael, & occiſi ſunt uiginti quatuor milia hominum. Di-
xitque dominus ad Moyſen: Phinees filius Eleazari, filij Aaron ſacerdotis, auer-
tit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo cōmotus eſt contra eos, ut non ipſe
deletem filios Iſrael in zelo meo, idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœ-
deris mei, & erit tam ipſi quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternū, quia
zelatus eſt pro deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Videtne hunc ſacerdo-
tem diuinæ religionis ſtudioſiſſimum, & uindictæ tanti ſceleris appetentiſſimum,
fornicarios trucidando dei gratiam ſibi conciliaſſe, & huiusce uſtionis ſtudio,
ſedata dei ira, maximum filijs Iſrael cōmodum attuliſſe? Agnoſcis deniq; quan-
tum ualeat iuſtitia, & quātum prodeſſe poſſit promptiſſimum illorum ſtudio,
qui toto Marte omnibuſq; ſui animi uiribus, nituntur inaudita & horrenda per-
ditifſimorum hominum ſcelera exterminare & funditus euellere, de quibus dicit

n. ij.

Matth. 5. & Augustinus Christus: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Enarrans Augustinus in quaestionibus super Numeros, quaestione 52. historiam iam adductam, dicit dominum voluisse secundum legem talia punire flagitia, & sacrilegam audaciam, ut iuberet unumquemque interficere proximum suum. diis alienis nefarie consecratum, atque inter caetera etiam illud Phinees faceret, ac sic ira domini iam placata, non opus fuisse duces populi crucifigi. Hæc sanè seueritas illi tempori congrua, quātum malum sit fornicationis & idololatriæ, prudentium fidei salutis euidenter ostendit. Et libro 1. contra aduersarium legis & prophetarum, capite 16. ostendens longe melius esse à feris dilacerari, quàm in gehennam ignis æterni detrudi. Laudat Phineæ quòd ad placandum dominum in adulteros vindictæ cauerit: Quis autem (inquit) vtriuslibet sexus homo, nò mallet gladio trucidari, etiam illo modo quo trucidauit sacerdos Phinees fornicarios, in ipso complexu nefariæ voluptatis, terribile constituens aduersus execrandas libidines vltionis exemplum, propter quod deo maxime placuit, quis inquam non mallet tali genere mortis interfici? quis non postremò igne consumi, vel ferinis morsibus per ipsa pudenda laniari, quàm mitti in gehennam ignis æterni? Origenes homilia 20. super Numeros, edisserens factum Phinees, ludit allegoria: Hæc (inquit) ædificauerint priorem populum, tibi autem qui à Christo redemptus es, & cui de manibus gladius corporalis ablatum est, & datus est gladius spiritus, arripe hunc gladium, & si vides Israeliticum sensum cum Madianiticis scortatam meretricibus, id est cum diabolicis concupiscentiis volutantem, nolo parcas, nolo dissimules: sed statim percute, statim perime: ipsam quoque vuluam, id est secreta naturæ dissecans & penetrans, illum ipsum peccandi fomitem deseca, ne vltra concipiat, ne vltra generet, & maledicta peccatorum soboles Israelitica castra contaminet. Hoc enim si facias, continuo sedabis iracundiam domini, præuenisti enim iudicij diem, quæ dies iræ dicitur, & furoris, & exterminatio à te fomite peccati, qui nunc vulua Madianitidis mulieris appellatur, securus venies ad iudicij diem. Et ideo surgentes oremus, ut inueniamus paratum semper istum gladium spiritus, per quem exterminentur, & semina ipsa, & conceptacula peccatorum, ac propitius fiat nobis deus, per verum Phinees ipsum dominum nostrum Iesum Christum.

Ephes. 6. Adde quòd Chrysostomus Oratione prima aduersus Iudæos, omnino fauet huic Assertioni, dicens: Phinees, qui duplex perpetravit homicidium, virumque simul cum muliere sustulit, sacerdotio honoratur, adeo non inquinavit manum sanguine, verum etiam puriorem reddidit. Huc accedit quod scribit Cyprianus in epistola ad Iubaianum: Boni militis est, aduersus rebelles & hostes imperatoris sui castra defendere. Gloriosi ducis est, sibi commissa signa seruare, scriptum est: Dominus deus tuus, deus zelans est, qui spiritum dei accepimus, zelum diuinæ fidei habere debemus. Quo zelo Phinees placuit, & pro meritis indignantis iram populo pereunte leniuit. Ad hæc Cyrillus libro quinto contra Iulianum, laudat syncerum Phinees affectum in vltione tanti sceleris: Quoniam (inquit) deus vidit Phinees religioso & sincero zelo armatum, rependere vltionem his qui cultum suum conspurcabant, oblectatus facinore, dimisit alijs ea propter quæ iuste poenā extremā illos ferre oportebat. Enimvero diuina & summa natura semper odit peccatorem, & turbatum iniustitiā cor, sensumque muliebrem, & ad degenerationem ac defectionem à bonis propensum: oblectatur autem in his qui firmi sunt, & recte incedere solent, cauētque ne in vtranque partem cadant, sed mente proficiente firmiter in pietate erga ipsum maneat: sapissimèque, propter unum talem, innumeram multitudinem, & interdum haud mediocriter condemnatam, misericordiam largitur. Vnde & cum omnis Hierusalē olim non vulgaribus culpis obnoxia, & adhortaretur in hoc pia prophetæ mens, certe iterum iustus iudex voluit animaduertere in eos qui sectari solebant, idque alacriter, quæcunque lex damnavat. Quoniam autem pro illa preces faciebat propheta Hieremias, audiebat

statim dicentem, Circumite in vijs Hierusalem, & quærite in plateis eius, si inueniatis virum qui sit faciens iudicium, & diligēs fidem, & propitius ero ei, dicit dominus. Vide igitur quomodo unum pro multis compensandum recipiat deus, & populosam ciuitatem cum vno iusto & bono potius seruet, quàm unum iustum cum multis impijs perdat. Igitur quū tunc quidam omnino declinassent, ruptoque obedientiæ freno perisissent, quomodo non erat gerenda cura eorum qui talia patiebantur? & parua quadam poena intentata, aliorum remorari decebat imperum, timorèque ad meliora firmari ac roborari. Nunquid iniuste agebat deus omnis iustitiæ vel cur hæc absurde facere consideratur? Imò quomodo non est periculosum ipsius arguere iudicia? Præterea Iosephus ostendit libro quarto Antiquitatum Iudaicarum, capite 5. Phineem zelo legis fornicarios confodisse, de quo ita loquitur: Phinees vir & in alijs quidem rebus melior existēs multorum iuuenum, & dignitate patris transcendens coætaneos vniuersos, Eleazari sacerdotis filius, & fratris Moyfi nepos, dolens in his quæ gesserat Samarias, & antequam per licentiam fortior efficeretur iniuria, opere volens vltionem inferre, & iniquitatem necresceret amplius prohibere, dum adhuc qui hæc arripuerant, numine punirentur, animi simul & corporis sic audacia confortatus est, ut non prius decerrare quiesceret, quàm victoriam in eo facto perciperet. Tunc ad tabernaculum Samariæ veniens, ipsum euaginato gladio, & Cozabi simul extinxit. Iuuenes autem omnes, quibus erat virtutis amor, & Phinees imitatores esse videbatur, perimebant eos qui in culpa Samariæ similes existebant. ¶ Decertabit quispiam, Vir ille Israeliticus poterat licite ingredi ad mulierem, eamque in vxorem ducere, sicut Moyfes rem habuit cum Sephora Madianitide, eique fuit matrimonio coniunctus. Igitur Phinees arguendus est homicidij, quòd gladio vtrunq; trauserberauit. Huic responderet obiectioni Lyranus in 25. caput Numerorum, dicens non esse simile de facto Moyfi & illius viri Israelitici: quia quādo Moyfes duxit in vxorem Sephoram, nòdum erat data lex filijs Israel, quæ prohiberet matrimonium cum alienigenis, nec Moyfes suauis suæ vxoris fuit tractus ad idololatriam, sed ecòtrario pertraxit eam à ritu gentilium ad cultum veri dei: cum autem vir ille Israeliticus incendio libidinis exæstuans, concubuit cum Madianitide, verumtamen erant populo dei ne coniugij foedus cum infidelibus & extraneis iniret quorum familiari consuetudine poterat seduci & à religione vnus dei reuocari.

CAPVT III.

Prophetia non omnino immutabilis, consistit in cognitione. Priorem huius Assertionis partem ex aliquot prophetarum oraculis eruimus. Esaias certissimus dei nuntius, prædixerat mortem Ezechia regis Iuda, cui propheticò spiritu afflatus dixerat: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Hæc tamen prophetia quodammodo mutata est, assiduis scilicet & feruentissimis Ezechia precibus, & profusis eiusdem lachrymis. Nam vbi primum audiuit inuestissimum domini clasticum quo ad mortem vocabatur, conuertit faciem suam ad parietem, & orauit dominum, & dixit: Obsecro domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim: fleuitque Ezechias fletu magno. Et factum est verbum domini ad Esaiam, dicens: Vade, & dic Ezechia: Hæc dicit dominus deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, vidi lachrymas tuas: ecce ego adiciam super dies tuos quindécim annos, & de manu regis Assyriorum eruum te & ciuitatem istam, & protegam eam. Intueris lector optime quantum nobis præstent adiumenti sanctæ & deuotæ orationes, ac magna suspiria, ad commuranda insignium prophetarum vaticinia, quæ forsitan secus non murarentur, & ad flectendam dei sententiam. Hieronymus illam edisserens prophetiam, dicit: Ezechias infirmitate sui corporis visitatur, & audit se esse moriturum, ut conuersus ad dominum flectat sententiā eius. Quod quidem & in Ioan. iij.

Hierem. 5.

Iosephus.

Exo. 25. & Lyranus.

Exo. 23. & Deuter. 7.

Esaiæ 38.

na propheta legimus, & in cōminationibus contra Dauid, quæ dicuntur futura, nec facta sunt non deo mutante sententiã, sed prouocante humanũ genus ad notitiã sui, dominus enim poenitens est super malitijs. Hæc ille. Quod si futurũ erat vt aucta voce tanti propheta moretur Ezechias, & id tamen factũ non est, non absurde colligemus prophetiã saltē cōminationis posse mutari. Huic plaudit sententiã Lyranus eandē explicando prophetiam, dicēs propheticũ hoc vaticiniũ, Morieris, & non viues, esse cōminationis siue cōminatoriũ, quod tũc agnoscitur, quãdo reuelatur aliquid futurũ, non prout est in mēte diuina, sed prout est in causis inferioribus, & sic erat de infirmitate Ezechia, quæ erat incurabilis per naturam: non tamē per hoc excludebatur, quin diuina virtute curaretur, & ideo talis propheta nõ semper impletur. Nec quod ille scribit, ab eo quod legimus in Glos. ordin. eiusdē capituli, diffidet: Cum propheta rerum euētus immobili veritate pronuntiet, falsum videtur quod Esaias ait ad regem ægrotantē, Dispone domũ tuã, &c. cū regi poenitenti & oranti, quindecim annos addiderit dominus ad vitã. Similiter de Iona dicitur, q̄ prædicauit Niniuitis, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, & tamē postea ante quadraginta dies, Niniuita misericordiam dei consecuti sunt. Sed dicendũ est q̄ propheta in libro ipso præsciētiã dei, vbi omnia scripta sunt legentes, non omnia percipiebāt, sed quãdam, & eodē modo quo deus permittebat. Legerat enim Esaias in illo libro, q̄ rex Ezechias secundũ opera quæ fecerat, longiorē non merebatur vitã, & secundum rei physicã viuere non poterat: sed nõ legerat q̄ per lachrymas & orationes esset impetraturus. Legerat similiter Ionas in eodē libro, quod Niniuitarũ nequitia, secundũ hoc quod agebant, quadragesima die cõplenda erat, & ita ciuitas eorũ destrueda: sed illud non legerat, q̄ per suam cōminationem essent acturi poenitentiã, & ita misericordiam cõsecuturi. Vterq; igitur quod legerat prædicauit, & quantum ad eos pertinebat, incõmutabilis erat veritas, quia neminem intendebāt fallere. Dicit enim Augustinus: Quicunq; sic credit vt loquitur, etsi non vera loquitur, tamē fideliter loquitur. Deus etiam secundũ quod Gregorius dicit, cap. 6. 16. libri Moralũ, in 22. caput Iob, sententiã mutat, sed non consiliũ. Sententiã debemus intelligere sensum verborũ: consiliũ verò ab aeterna dispositione est. Sententiã verò seruis suis deus reuelauerat, non tamen consiliũ, sed vt eorum cōminationis poenitentiã incuteret populis suis, & sic eorũ misereretur. Videtur tamē quod ea verba quæ dixerunt, in libro vitæ non legissent. Cum enim Esaias simpliciter diceret, Morieris, & non viues: & Ionas, Et Niniue subuertetur, & ista non essent futura: non videntur illa esse in libro dei, quæ non erant futura. Sed sciendũ est quod deus duobus modis aliquas res considerat: secundũ merita, & secundum rei naturã (quæ dicuntur causæ inferiores esse) & secundũ suum cõsiliũ. Vnde Ezechia moriturũ deus præuiderat secundũ meritum vel secundũ physicã, licet non futurũ, & non moriturũ secundum suum consiliũ. Vtrunq; igitur scriptũ erat in libro vitæ, sed alterum suo propheta permisit legēdum, alterũ verò non permiffum est. Verum dixit, nec est deceptus, quia sic legit: nec est mētutus, quia sic credidit: & secundũ illas inferiores causas locutus est, quãuis simpliciter & sine additamento. Si quis videret cecũ, & diceret, Iste amplius non videbit, etiã si diuino cõsilio lumen recipe ret ille, non mētiretur, quia rei physicã, id est naturam est secutus. Eodē modo & Ionas subuersionē Niniuitarũ vidit in mente diuina, quæ tamē futura non erat, quia illud quod vidit, secundum merita eorũ vidit: quod verò cõuersi sunt, cõsilio dei fuit, quod ipse non vidit. Hæc ibi. Quid igitur mutauit prophetiã Ionæ dicitur: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, & hoc secundũ Hebraicã veritatem, aut vt volũt septuaginta interpretes, Et prædicauit & dixit, Adhuc tres dies, &c. Nonne diligētia populi, & ab improba viuēdi cõsuetudine ad virtutē respiciētia? Quis non videt sancta fidelium conuersione deũ mitescere: eiusq; iram vehemēter accensam extingui? Vidit siquidem deus Niniuitarum poenitentiam

2. Paral. 36.

Lyranus.

Glos. ordin.

Ionæ 3.

Ibidem.

Ibidem.

& opera, quia cõuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiã quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Hæc cõmentando dicit Hieronymus: Secundum vramq; intelligentiã, siue tunc vr̄bis Assyriæ, siue quotidie mundi deus populis comminatur, vt agant poenitentiam, qui si conuersi fuerint, ipse quoque vertet sententiã suam, & populi conuersione mutatur. quæ Hieremias & Ezechiel manifestius explicant, nec bona videlicet implere dominum quæ promiserit, si boni vertantur ad vitia: nec mala quæ pessimis comminatur, si illi reuersi fuerint ad salutem. Ita igitur & nunc vidit deus opera, quia cõuersi sunt à via sua pessima, non verba audiuit, quæ solebat Israel. sæpe promittere: Omnia quæcunq; dixerit dominus, faciemus: sed opera conspexit, quia mauult poenitentiã peccatoris quàm mortem: libenter mutauit sententiã, quia vidit opera commutata. Quin potius deus perseuerauit in proposito suo, misereri volens ab initio, neminem enim punire desiderans, quod facturus est comminatur. Sed cum legis Hieronymum attestantem deum non mutare suam sententiã, vt in commētarijs ad Esaiam, & præsertim ad locum iam citatũ, nunc verò fateri ipsum suam vertere sententiã: intellige (ne quid erroris ei impingas) deum ex se & secundum suam præsciētiã nunquã suam mutare sententiã, licet ex conuersione poenitentium, & ignea delicti poenitentia, eius sententiã mutetur. Huic quoq; iudicio accedit quidã interpres Matthæi peritissimus, cuius nomine circumferuntur Chrysofomi commentarij, illum explicãdo locum: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, vbi dicit: Prophetia autem alia est ex præsciētia, & hæc est immutabilis, vt hic: Ecce virgo concipiet. Alia ex iudicio operum, & hæc solet mutari secundum quod verba sonant, non secundũ intellectũ. vt, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, subintelligimus, nisi poeniteat. Item quæ est ex præsciētia, illa impletur dei solummodo operatione, vt quod virgo pareret: Alia impletur hominum administratione, vt de aliquo vt sit iustus. Hæc ille. Huius doctrinam confirmabo ex his quæ dicit dominus apud Esaiã: Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorũ eruam te & ciuitatē istã, & protegam eam. Hæc sanè prophetia fuit prædestinationis, quæ est quando fit reuelatio prophetæ: aliquid futuri, quatenus est in dispositione diuina, & eius præsciētia: & hæc certissime impletur, nec mutari potest, quia diuina præsciētia est immutabilis. Et huic astipulatur interpretationi Augustinus lib. 6. in Genesim, cap. 17. dicit: Multa secundum inferiores causas futura sunt, sicut ibi sunt. sed si ita sunt & in præsciētia dei, vere futura sunt. Si autē ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, vbi qui præscit falli nõ potest. Nam futura dicitur senectus in iuvene, sed tamē futura non est, si ante moriturus est. Hoc autē ita erit sicut se habent aliæ causæ, siue in mundo contextæ, siue in dei præsciētia reseruatæ. Nam secundum quasdam futurorũ causas, moriturus erat Ezechias, cui deus addidit quindecim annos ad vitam: id vtique faciens, quod ante constitutionē mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate seruabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat, hoc enim magis erat futurũ, quod se facturum esse præsciebat. Nec tamē illi anni additi recte dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in alijs causis habuerat: secundũ aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat, secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præsciētia dei, qui ex aeternitate nouerat, quid illo tempore facturum erat, & hoc vere futurũ erat, tunc erat finiturus vitam, quando finiuit vitã. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, vt tali orationi cõcedi oporteret: ille vtique præsciebat, cuius præsciētia falli non poterat, & ideo quod præsciebat, necessario futurum erat. Hæc ibi. Adnotant aliqui in prophetia duo considerari: res prophetatas, & cognitionem prophetiæ. Res prophetata, sunt immediate à causis mobilibus, & mediate ab immobili, scilicet à deo: & quatenus sunt prophetatæ, sunt necessaria: non tamen simpliciter. Et cognitio prophetiæ quæ à præsciētia proficiscitur, est immobilis veritatis. ¶ Posteriorem n. iij.

Hieronymus.

Matth. 1.

Esaiæ 7.

Ionæ 3.

Esaiæ 38.

Augustinus.

1. Reg. 9. assertionis partem ex primo Regum volumine, in quo scriptum est: Qui propheta dicitur hodie, olim vocabatur vidēs: colligimus. Videns ex eo dicebatur, quia dei spiritu & instinctu afflatus, praeoscebat futura: nec etiā potest esse visio absque cognitione. Et praecipue innititur ratio prophetiae eorū cognitioni, quae procul sunt ab humana cognitione. Secundario consistit in locutione, ut propheta eloquatur & annuntiet ad aliorum aedificationē, quae diuinitus didicit: unde dicebat Esaias: Quae audiui à domino, annūtiavi vobis. Spectat etiā ad munus prophetiae, operari res arduas & sublimes, ac miracula, ad cōfirmandum annuntiationē prophetiam. unde Deuteronomij vltimo dicitur: Non surrexit propheta vltra in Israel. sicut Moyfes, quē nosser dominus facie ad faciem in omnibus signis atq; potētis. ¶ At obijciat aliquis: Corpus Helisei mortuum prophetauit, & ossa Ioseph, & nihil cognoscebat: igitur vis prophetiae non innititur cognitioni. Respondeo prophetiam illam solum fuisse assumptā ad argumētum prophetiae, & illū sumitur prophetia pro operatione miraculorū, ita q̄ corpus Helisei edidit miracula. Quod si rursus decertaues de insanis & stolidis prophetis, quibus rerū cognitio non aderat, qui tamen dicebantur prophetae (Nam in Osee scriptum est: Scitote Israel stultum prophetam, & insanum virum spiritualē) dicam illos insanos & deliros prophetas non fuisse veros prophetas, sed falsos. de quibus dicit Hieremias: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Dicunt his qui blasphemant me, locutus est dominus, Pax erit vobis: & omnibus qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerunt: Non veniet super vos malum, illos autem pseudopphetas populi Israelitici seductores, cibavit dominus absinthio, & porauit felle, eosque percussit gladio & fame. Et aliubi, Nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somnatores, & augures, & maleficos, qui dicūt vobis: Non seruietis regi Babylois, quia mendacium prophetant vobis, ut longe faciant vos de terra vestra, & eijciant vos, & pereatis. Dicit quoque Ezechiel: Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident.

CAPVT IIII.

- P**rophetia est donum spiritus sancti, maius dono lingua.] Hae Paulina est assertio, & in primis suadet Paulus ad Corinthios prophetiam esse donum spiritus sancti: Vnicuique (inquit) datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanctorum in vno spiritu, alij operatio virtutū, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hae autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidēs singulis prout vult. Nec quāso scisciteris rationē nisi velis te dedere in praecipitiū, & diuinam offendere maiestatem, cur spiritus sanctus aliquādo malis sua impartitur munera, non autem bonis. nam diuidit singulis prout vult, nec acceptat vilius personam, nec bonis obstringitur, nec ita malis suas opes largitur, ut bonis nō largiatur. omnes siquidem cupit ad se allicere, & ad tuendam Ecclesiae vnitatem connectere. Et ut dicit Chrysostomus in huiusce loci commentarijs: Remedium vniuersale consolationis est, quod ex eadem radice, ex iisdem thesauris, & fontibus omnes accipiant. Quare frequenter huic verbo insistent, quae videntur diuersa esse, exaequat & consolatur, & superne spiritum, filium, & patrem, gratias largietem ostendit. Accedit & Paulinae sententiae quod dicit beatus Petrus: Non enim voluntate humana allata est aliquādo prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines. Er licet prophetia sit donum spiritus sancti, non propterea colligendum est ut qui hoc munere insignitur, dei charitatem habeat. Quandoquidem Paulus manifeste docet prophetiam nō habere necessariam cum ipsa charitate connexionem: Et si habuero (inquit) omnem prophetiam, charitatem autem

nō habeam, nihil sum. nec id scripsisset, nisi facile intellexisset, propheticum munus non aduersari peccato: quod erudite monstrat Augustinus libro secundo, ad Simplicianum, quaestione prima, dicens: Satis ergo apparet inter dona sancti spiritus esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni vita aeterna, regnoque caelorum, aspergantur tamen quibusdam spiritus sancti muneribus, non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis profunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut iam demonstratum est, non perducit ad regnum dei, charitas verò sine prophetia utique perducit ad regnum dei. Cum enim loquens de membris Christi, ait: Nunquid omnes apostoli? nūquid omnes prophetae? indubitanter ostendit etiam eum qui prophetiam non habet, posse in membris Christi numerari. Vbi quem locum haberet, si charitatem sine qua homo nihil est, nō haberet? Nullo autem modo ita diceret, quando de membris ageret, quibus Christi corpus impletur: Nunquid omnes habent charitatem? quemadmodum dixit: Nūquid omnes apostoli? nūquid omnes prophetae? nūquid omnes virtutes? nūquid omnes dona habent curationum? Et cetera huiusmodi. ¶ Sed dicit aliquis, posse quidem fieri, ut prophetiam quisque non habeat, & tamen habeat charitatem, atque ideo Christo annumeratus inheret: sed fieri non posse, ut prophetiam habeat, & non habeat charitatem, nihil enim est homo habens prophetiam sine charitate. ita fortasse quemadmodū possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente, non quia possit inueniri homo, qui mentē non habeat, habens animam, sed quia nihil esset si inueniri posset. Sic etiam dici potest, si corpus figuram habeat, colorem non habeat, videri non potest, non quia sit corpus cui desit color, sed quia si desisset, cerni non posset: ita fortasse dictum est, quod si quis habeat prophetiam, & charitatem non habeat, nihil est: non quia potest in quoquā prophetia esse sine charitate, sed quia si esset, prodesse non posset. ¶ Opus est igitur ad soluendam istam quaestionem, ut ostendamus aliquem reprobum, hoc donum habuisse prophetiae, quod si neminem aliū inuenerimus, hoc iste ipse Saul satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet, non enim eum Iudae 1. tacer scriptura diuino iudicio esse damnatum, & tamen prophetiam habebat: & Nume. 22. quia charitas ei deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israelitico, quam hostis pretio comparauerat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat: dono tamen illo prophetadi, quo aspergebatur, benedicebat inuitus. Nec verba illa parum attestantur huic sententiae, quae in Euangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die: Domine domine coram te manducauimus & bibimus, & in nomine tuo Matth. 7. prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, quibus tamē dicturus est: Non noui vos, recedite à me operarij iniquitatis. Non enim eos mentientes, putabimus ista dicturos in illo iudicio, vbi nullus erit fallēdi locus, aut vllam vocem talium legimus dicentiū, dileximus te. Poterunt ergo dicere, in nomine tuo prophetauimus, cum sint improbi & reprobi: non autē poterunt dicere, dilectionem quam mandasti, tenuimus. Nam si dicent, non eis respondebitur, Non noui vos. In hoc enim cognoscitur (inquit) quia discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis. Exemplum utique huius Saul, resistit superbis nonnullis hereticis, qui vel aliquid boni de muneribus sancti spiritus, negant posse dari eis, qui ad sanctorum fortes non pertinet, cum eis dicimus habere illos posse sacramentum baptisimi, quod cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis vllō modo violandū, aut quasi nō habeant tradendum, sed tamen eos non ideo saluti debere confidere, quia non improbamus quod illos accepisse credimus, sed oportere cognoscere vnitatis societatem vinculo charitatis ineundā, sine qua omnino quicquid habere potuerint, quauis per se sanctum ac venerandum, ipsi tamen nihil sunt, tanto indigniores effecti vitae aeternae praemio, quanto illis donis, non bene vsi sunt, quae in hac vita quae transitoria est acceperunt. Non autem bene vitur nisi chari-

tas, & charitas omnia tolerat, atque ideo non scindit unitatem, cuius ipsa est fortissimum vinculum. Et enarrando psalmum illum, Qui protegit in aquis superiora eius, dicit: Habere multi dona possunt, charitatem non possunt. Hoc ipsum quale donum est, ut non loquamur de donis alijs foris, quia dona dei habent omnes homines, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, dona dei sunt, & non tantum bonis & malis communia, sed etiam bestijs & pecoribus ipsum esse, vivere, videre, sentire, audire, & ceteris fungi sensuum muneribus, dona dei sunt. Sed videte cum qualibus & quam multis communia, & cum eis quos nolis imitari ipsum ingenium acutum habent & pessimi homines, solertem artium industriam habent & turpissimi scenici, diuitias habent & latrones: coniugia, filios, multi mali habent, pulchra dei omnia, nemo negat, sed vide cum quibus communia. Respice ad munera ipsius Ecclesie. Munus sacramentorum in baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon Magus. Prophetia quale munus est? Prophetavit & Saul, malus rex, & tunc prophetauit cum Dauid sanctum persecueretur intedite, non dixi, cum persecutus fuisset, fortasse enim persecutio poenitentiam gessit, & dignus fuit spiritu prophetandi. Non persecutus neque persecutus, sed persequens prophetavit. Misit ad comprehendendum Dauid ministros suos, Dauid vero eo tempore inter prophetas erat, ubi erat & sanctus Samuel: impleti sunt spiritu prophetiae qui misit sunt & prophetauerunt, sed forte bono illi animo venerant, vel ob necessitatem officij sui, vel non facturi quod iustum est. Misit & alios, hoc & in eis factum est, & eorum hoc modo animu interpretemur. Cum illi tardarent, venit ipse furens, anhelans: cedem, sanguinem sitiens innocentis sancti, cui etiam ingratus erat, & ipse impletus est spiritu prophetandi, & prophetauit. Non ergo se iactent qui forte sine charitate habuerint hoc munus dei sanctum, sicut sanctum baptismum: sed videant qualem rationem habituri sunt cum deo, qui sanctis non sancte vtuntur. Tum etiam excutiendo sententiam illius contextus: Vnus autem ex eis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedire vobis, ut vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit: ita de hac re loquitur, Hic docemur etiam homines malos prophetie spiritu futura predicere. Et in eiusdem Euangelij explicatione dicit Chrysostomus, Vides quanta sit pontificalis potestatis virtus? Cum enim pontifex esset, licet indignus, prophetauit, nescius tamen quid diceret, & os tantum gratia, non autem scelestum cor attigit: multi praeterea alij futura praedixerunt indigni, Nabuchodonosor, Pharaon, Balaam. Tum etiam edisserendo illud Pauli testimonium: Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: ostendit multos prophetas fuisse carnales, & nec quidem dei charitate tanquam veste nuptiali exornatos. Nam & illi (inquit) carnales erant, ad quos inquit dominus: Discedite a me, non noui vos, qui operamini iniquitatem. Atqui & daemones eiecerunt, & mortuos suscitauerunt, & prophetias loquuti sunt: itaque potest etiam qui signa facit, carnalis esse. Etenim in Balaam operatus est deus, & Pharaoni futura reuelauit, & Nabuchodonosor, & Caiphas prophetauit, nescius tamen quid diceret, & alij quidem demonia eius nomine a quo longe aberant, expulerunt. Hoc enim non eorum duntaxat gratia qui operantur, fit, sed aliorum quoque, & saepe ab indignis hominibus haec fiunt: Et quidnam admiraris si indigni homines aliorum gratia huiusmodi faciunt, ubi & sanctorum? Etenim Paulus inquit: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollus, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors. Et rursum, quod ipse dedit alios quidem apostolos, alios autem prophetas, alios vero magistros, & pastores, ad purgationem sanctorum in opus ministerij. Nam nisi sic se res haberet, nihil prohibuisset, quin omnia corrumpere videretur. Contingit enim principes quidem malos esse, & sceleribus coinquinatos, sub-

ditos autem mansuetos, & modestos, & laicos religiose vivere, sacerdotes vero impie. Neque debuisset aut baptismum esse, aut corpus Christi, aut oblatio, quae per eos administrarentur, si vbiq; gratia meritum exquireret. Nunc autem per indignos confuevit deus operari, & nihil propter sacerdotis vitam baptismatis gratia leditur. Debuisset enim qui accipit, minui. itaque etsi rarius haec fiant, fiunt tamen. Haec dico ne quis presentium, sacerdotis vitam pensulando, circa religionis nostrae doctrinam scandalizetur. Cum etiam narrat illud Genesios, Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & appellauit nomen illius Noe, dicens: Hic debet nobis quietem prestare a laboribus nostris, & a molestijs manuum nostrarum, & a terra quam maledixit dominus deus, sic loquitur de gratia dei malis concessa: Sed forte quis dixerit, Vnde Lamech hoc habuit, ut tantum vaticinium predicere? Non enim meminit scriptura, quod multa virtute claruerit admirabilis, ne mireris dilecte. Dominus enim noster sapiens & omnipotens, & per indignos saepe concedit praedici magnas mirabileque res. Adde quod Origenes homilia sexta super Numeros, perspicue demonstrat prophetas potuisse peccare, etiam postquam acceperant spiritum dei: Si tibi (inquit) incredibile videtur, prophetas postquam acceperant spiritum, potuisse peccare, ad hunc ipsum Moysen quem habemus in manibus, reuertamur, qui vtiq; maximus est, & eximius prophetarum, ipse de se scribit, & testimonium dat de semetipso, quia peccauerit in eo quo dixit: Audite me increduli, nunquid de petra ista producere vobis poterimus aquam? In ijs enim dictis non sanctificauit dominum, in aqua contradictionis, id est non est fides in virtute dei, & non dixit, quia potens est deus de petra hac educere vobis aquam, sed quasi ex diffidentiae cuiusdam fragilitate respondit, dicens: Nunquid poterimus vobis de petra hac educere aquam? Quia ergo peccatum ei in ijs verbis reputatur a deo, certum est quod haec cum loqueretur, non de spiritu sancto locutus sit, sed de spiritu peccati. Quod si scripturae testimonio tantum propheta Moyses ostenditur aliquando habuisse in se spiritum dei, aliquando vero non habuisse, peccati scilicet tempore: certum est quia & de reliquis prophetis similis forma tenenda sit. Quid autem & de Dauid dicam? qui pro spiritu sancto, tanquam qui a se possit auferri, orat ne auferatur, & dicit: Ne proiecias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. In sequentibus vero tanquam pro culpa ablatum a se munus reposcit & dicit: Redde mihi latitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Dicit quoque Hieronymus libro tertio Dialogorum, aduersus Pelagianos: In prophetis postquam vncti sunt spiritu sancto, inuentus est sermo peccati. Brevissima ratione probabimus prophetiae donu nullo modo pendere a charitate: Prophetia spectat ad cognitionem intellectus praedictis futura, ut deus ordinauerit: haec autem cognitio nullo modo innitur charitati siue gratiae gratum facienti, quae eam in se vim habet, ut reddat animam deo gratissimam. Nam huiusmodi operatio intellectus, praecedit actum voluntatis, quam perficit charitas. Nolumus tamen dicere quin illibata vitae innocentia, & morum integritas, plurimum faciat ad recipiendum munus propheticum. Nam ut pura sit & sincera prophetia, confert maximopere maxima mentis eleuatio, ut tranquillus spiritalia bona contemplari possimus: hoc autem quietum meditandi studiu, molestae rerum humanarum cura, & noxij affectus ac graues peccatorum sarcinae quibus fatiscit spiritus, praepediunt: nec sane tam praepediunt, quam obnubilant, & totum hominem ab honestis disciplinis auocant. Nec sine iusta ratione in libris Regum lectitamus, filios prophetarum simul habitasse cum Heliseo, ut solitariam agentes vitam, & a terrenis occupationibus abducti, liberius synceris rerum diuinaru studijs vacarent, & mundius propheticum munus reciperent. Scriptum etiam coperimus in Ezechiele: Fili hominis sta super pedes tuos & loquar tecum: & hoc ut mens prophetae a deo inspirata, eueheretur ad percipienda rerum diuinarum mysteria. (Posteriorem assertionis partem affirmat Paulus, in eadem

Gene. 5.

Origenes.

Nume. 20.

Psal. 50.

Hieronymus.

4. Reg. 4.

Ezechie 23.

1. Corin. 14.

Chrysofo.

epistola, duobus quidem argumentis validissimis. Sectamini (inquit) charitatem, amulamini spiritalia, magis autē vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, nō hominibus loquitur, sed deo: nemo enim audit, spiritu autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, & exhortationem & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum aedificat, qui autem prophetat, Ecclesiam dei aedificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autē prophettare. Nam maior est qui prophetat, quā qui loquitur linguis, nisi interpretetur, vt Ecclesia aedificationē accipiat. Et in eodem capite dicit: Linguae in signū sunt non fidelibus, sed infidelibus, prophetiē autem non infidelibus, sed fidelibus. Hāc donorum diuersitatem enarrans Chrysofomus, dicit: Cōparat inter se dona, extenuans illud linguarum, non inutile prorsus quidem, nec vtile tamen vehementer per sese ostendens, multū enim ab illo sibi placebant, egregium quiddam esse rati, vt quod primum omnium apostoli tāta cum admiratione obtinuisent. Vnde maiori, quā cetera in pretio fuit. Quo igitur istud apostoli primum omnium tenuerūt? quia proficiscendum quoquo versus fuit. Et quemadmodum eo tempore, cum turris extrueretur, vna lingua in multas secebatur, ita tum quidem multae saepe in vnum quendam hominem confluebant. Idēque Persarum, Romanorum, Indorum, & multorum praeterea linguis, spiritu insulurrante, loquebatur, atque id munus, munus tum vocabatur linguarum, multis scilicet omnino vocibus vtendi facultatem praebens. Hic igitur quo nomine tollat, quo nomine deprimat, videamus. Nā quod inquit, qui linguis loquitur, non hominibus loquitur, nemo enim audit, extenuare vult, monstrans non esse arduum vehementer. Quod porro subiūgit, spiritu verò loquitur mysteria, tollit rursus, ne vel superuacuum vel inutile, temerēque concessum putemus. Qui prophetat autem, hominibus loquitur aedificationem, exhortationem, consolationem. Vides egregium hoc esse munus, vnde mōstrat, nempe quia communiter, pluribus vtile est: vides vt praeferat vbique, quicquid communem respicit vtilitatem. Quid autem? an non hominibus illi loquuntur? Sed non aedificant, tantum re consolantur. Itaque spiritu impelli, concirarique, vtrique commune est, & linguis loquenti, & prophetanti. Sed hoc differunt, quod hic vtilis est audientibus etiam, linguis enim loquentes, qui munus idem non habent, percipere non possunt. Neminem igitur linguē aedificant, inquit? Minime verò, seipsum linguis loquens aedificat, inquit, quod quidē fieri non potest, nisi quae loquatur, norit. Et haecenus quidē de ijs qui quae loquuntur, intelligunt, disputat: intelligunt ipsi, inquit, efferre in alios non possunt. Qui prophetat autem, aedificat Ecclesiam. Quātum igitur priuato publicū differt, tantum prophetia linguis. Vides prudentiam Pauli, neque enim ad nihilum donum redegit, sed non esse commodo tantum, quantum videri volebant, docet: vt quod haberi sufficiat solum. Deinde ne per inuidiam detrudere linguis videretur, nam hoc dono multi pollebāt, eam suspicionem correcturus, Linguis, inquit, loquamini volo omnes, magis verò vt prophetetis. Maior enim propheta est, q̄ linguis loquens, nisi interpretationem qua Ecclesia aedificetur addat. Maius porro & minus, rerum est non contrariarum, sed excellentium, ex quo liquet donum non re prehendi, sed illos ad praestantiora vocari, quae res & sedulitate viri arguit, & animum omni inuidia carentem. non enim vnum, alterūve, sed omnes loqui linguis, inquit, volo, & nō hoc solum, sed etiam prophetare, adeoq; hoc magis quā illud, maior enim qui prophetat, quod cum monstrasset haecenus, etiam deinceps probat, non simpliciter, sed appendice annexo, nisi interpretetur inquit: quasi si hoc possit, propheta sit aequalis, vt cuius rei fructus perueniat iam ad multos, atq; obseruatu quidem dignum est, istuc à Paulo praeter ceteris rebus omnibus requiri. Hāc ille. Adijciunt nonnulli Paulinis rationibus, suasiones non poenitendas. Donum linguarum refertur ad diuersas voces proferēdas, vt sunt: signa veritatis intelligibilis, cuius etiam signa, sunt: quaedam phantasmata quae apparent secundum

imaginariam visionem. Vnde Augustinus libro 12. super Genesim ad literam, capite 9. comparat donum linguarum visioni imaginariē, donum autem prophetiē cōsistit in illuminatione mentis, quae multo est excellētior imaginaria visione. Itē donum linguarum, ad noticiam vocum spectat, donum autem prophetiē ad rerum cognitionem, quae longe est nobilior. ¶ Confiētabitur quispiam, Donum linguae, est donum noui testamenti: prophetiē verò donum, est veteris Testamenti: nouum autem testamentum veteri praefertur, ergo & donum linguae, dono prophetico. Dico in primis donum prophetiē, non esse solum veteris testamenti. Quandoquidem dicit Paulus: Vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinā habet, linguam habet, apocalypsim habet, id est prophetiam reuelationem. Et quis nescit Ioannem Euangelistam esse insignem prophetam non quidem veteris, sed noui testamenti? In cuius Apocalypsi scriptum est: Beatus qui legit & audit verba prophetiē huius. Legimus & in Actis apostolorum alios prophetas, qui ab Hierosolymis venerunt Antiochiam, ē quorum numero vnus nomine Agabus spiritu prophetico praedixit famē magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quae facta est sub Claudio. Et licet in Euangelicis eloquijs scriptum sit: Omnes prophetae & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, non propterea absurde colligendum est, nullos fuisse prophetas post auditum Ioannis praconium. Nam verba illa intelligenda sunt de his quae spectat ad mysteria incarnationis Christi, passionis, resurrectionis &c. Aliter illam dilues rationem: Quod si recipiendum sit donum prophetiē, esse donum veteris testamenti, id intelligendum est ex eo, quod in veteri testamento reperiuntur multae prophetiē denuntiantes aduentū summi prophetae, & quae non parū ad noui testamenti intelligentiā conducunt. Vnde dicit Paulus ad Hebræos 1. capite, Multipharum multisq; modis olim locutus est deus patribus in prophetis: quamuis sint & alia prophetarum portēta & vaticinia, de subuersione Hierusalē, & plerisque alijs rebus. ¶ Rursus obijciat, nec infirmo argumento, Donum linguae quae dei sunt respicit, non autē donum prophetiē, sed quae sunt proximi. Nā dicit Paulus: Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed deo: qui verò prophetat, loquitur hominibus. Respondeo, donū prophetiē non solum inflectere hominem ad proximū, sed etiam ad deum, mente quidem & contemplatione, quod certe nobilius est, quā lingua ad eum moueri. Et cum dicit Paulus: Qui loquitur lingua, non loquitur hominibus sed deo, id sanē intelligas quod non loquitur ad intellectum hominum & vtilitatem, & quidem potissimū, sed ad intellectum dei & eius laudem: prophetiē autem dono ordinatur homo & ad deum, & ad proximum, quod est perfectius donum.

CAPVT V.

Rophetiā ratio falsum non admittens, non semper exigit, vt quae propheta denuntiat, primo intelligat. ¶ Quod iam in praecedenti capite docuimus de prophetico dei munere, nō nihil nobis praestat adiumenti ad stabiliendam priorem huiusce assertionis veritatem. Si enim voluntate humana nō sit allata prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sint sancti dei homines, quis nisi indoctus & insana mente correptus, audebit dicere insignium prophetarum vaticinia scaterere mendacijs? in eorumque libris diuino spiritu conscriptis falsa reperiri dogmata? Quod si errores disseminaret, & falsa vaticinando praediceret, non essent appellandi veri prophetae & sancti dei homines, sed vafri impostores & pseudoprophetae. Et cum eximij prophetae spiritu sancto inspirati futura praedixerint, fieri non potest vt falsa veris inseruerint: & qui aliter sentit demonum astu delusus, maximam deo facit iniuriā. Adde quod eximius propheta non tam praedicit futura, quā ea spiritu prophetico intelligat: quod praecclare docet Augustinus libro 12. de Genesi ad literā, capite 9. dicens: Proinde quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nō dum erat prophe-

Augustinus

1. Corin. 14.

Apocal. 1.
Acto. 11.

Matth. 11.

Hebr. 1.

2. Petri 1.

Augustinus

- ra: magis que propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Vnde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, vbi corporaliū rerum similitudines exprimitur. Itaq; magis Ioseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, & septem boues, quam Pharaon, qui eas vidit in somnis: illius enim spiritus informatus est vt videret, huius mens illuminata vt intelligeret: ac per hoc, in illo erat lingua, in isto propheta: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu per ferum corporaliū imagines videt: & magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed & maxime propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporaliū rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat: sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui regi & somnium quod viderat, dixit: & quid significaret, aperuit. Et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu eius expressæ sunt, & earum intellectus reuelatus in mente. Ad hæc, præclaris sacrorum vatum sententijs & dictis obstringimur credere, quod si absurda queque & falsa comminicerentur, nemo teneretur eis fidem adhibere. Et ab Augustino assignatur ratio libro 11. de Ciuitate dei, capite 4. vbi loquitur de Moyse, eximio quidem propheta, qui multa de deo scripsit & testatus est, quibus credere nos oportet. Quod autem (inquit) deus mundum fecerit, nulli tutius credimus quam ipsi deo. Vbi eum audiuius? Nusquam interim nos melius, quàm in scripturis sanctis, vbi dixit propheta eius: In principio fecit deus cælum & terram. Nunquid nam ibi fuit iste propheta, quando fecit deus cælum & terram? Non, sed ibi fuit sapietia dei per quam facta sunt omnia, quæ in animas etiam sanctas se transfert, amicos dei, & prophetas cõstituit, eis que opera sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur eis quoque angeli, sancti dei, qui semper vident faciẽ patris, voluntatemque eius quibus oportet annuntiant. Ex his vnus erat iste propheta, qui dixit & scripsit: In principio fecit deus cælum & terram. Qui tam idoneus testis est, per quem deo credendum sit, vt eodem spiritu dei quo hæc sibi reuelata cognouit, etiam ipsam fidem nostram futuram tanto ante prædixerit. Huic accedit sententiæ Hieronymus, in primam caput Aggæi propheta, dicens prophetam dei quidem nuntium, esse recipiendum, eo quod domini voluntatem populo nuntiauerit. Et edisserendo illud Ezechielis: Audiui quæ dixerunt propheta, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes, somniaui: plane docet veros prophetas reuelationem diuinam intellexisse: Ad eos (inquit) prophetalis sermo dirigitur, qui credunt somnijs, & omnia quæ cernunt, putant reuelationem esse diuinam, quæ propriè sanctis & seruis dei aperitur. Quod si legerimus Pharaonẽ & Nabuchodonosor impios reges vidisse somnia, quæ vera fuerint, non eorum fuit meriti qui viderunt, sed vt per eorum occasionem sancti viri Ioseph Daniëlque claresceret, & dura corda atque indomabilia tyrånorum propria conscientia sentirent domini maiestatem. Tum etiã prompto studio huic fauet veritati, in præfatione Esaiæ, vbi reprehendit Montanum qui absurde & temere dicebat, prophetas in extasi loquutos esse, vt nesciret quid loquerentur: & cum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent, de quibus apostolus ait: Nescientes quæ loquantur, neque de quibus affirmant: sed iuxta Salomonem qui loquitur in prouerbij: Sapiens intelligit quæ profert de ore suo, & in labijs suis portabit scientiã: etiam ipsi sciebant, quid dicerent. Si enim sapientes erant propheta, quod negare non possumus. Et Moyse omni eruditus sapientia loquebatur ad dominum, & dominus respondebat ei. Et de Daniele ad principem Tyri dicitur: Nunquid sapientior es Daniele? Et David sapiens erat, qui gloriabatur in psalmo, Incerta & occulta sapietia tua manifestasti mihi, quomodo sapientes propheta instar brutorum animantium, quid dicerent ignorabant? Legimus & in alio apostoli loco: Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, vt in

sua habeant potestate, quando taceant, quando loquatur. Quod si cui videtur infirmum, illud eiusdem apostoli audiat, Prophetæ duo aut tres loquantur, & alij diiudicent: si autem alij fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Quia possunt ratione reticere: cum in ditione sit spiritus qui loquitur per prophetas, vel tacere, vel dicere? Si ergo intelligebant quæ dicebãt, cuncta sapientiæ rationis que sunt plena: nec aër voce pulsatus ad aures eorum perueniebat, sed deus loquebatur in animo prophetarũ, iuxta illud quod alius propheta dicit: Angelus qui loquebatur in me. Hæc ille. Cuius verbis auctarij forma, hæc cõnectemus: Ex eo plurimum fidei viris prophetis attribuendum esse censemus, quod spiritu dei & adiutrice eius manu, quid esset credendum, nobis aperuerint, & secreta dei mysteria ad maximam Ecclesiæ vtilitatem reuelauerint. Nemo sanè nescit Mosè suis diffidentem viribus dei gratia prædixisse Pharaonis filiorum Israel hostis infestissimi, ruinam, calamitates, & obstinatã malitiam, & quæ filijs Israel prospere contingerent, si modo diuinis obtemperarent iussis: quæ verò finistre, si ad idololatriam declinando, dei mandata aspernarentur. Et cum tanti muneris prouinciam aspernaretur, ne ad Pharaonem iret, & se ea legatione indignum sentiret, dixit: Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educaam filios Israel de Aegypto: cui tamen respondit dominus, ne hanc ab infirmitate ingenij prætenderet excusationem: Ego ero tecũ & hoc habebis signum, quod miserim te, cunquẽ eduixeris populũ meũ de Aegypto, immolabis deo super montem istum. tandem sanctus propheta deo paruit. Vis aliud testimonium, vt firmissime credas excellentissimos prophetas nulla cõfinxisse mēdacia, sed quod à deo didicerant, fidelibus reuelasse, & ad nos non sine magna vtilitate missos esse? Voluit ad Esaiam vnus de Seraphin, gestans in sua manu calculum, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os eius, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mūdabitur. Et audiui (inquit Esaias) vocẽ domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit? Et dixi, Ecce ego, mitte me. & dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionẽ, & nolite cognoscere. Quis (dic quæso, qui sacra prophetarũ oracula subsannas) misit Esaiam? dominus dices. rursum te pulsabo, quid loquutus est propheta? & an à seipso, an à deo motus est ad prædicendum populo rebelli futura? nec poteris nisi velis sacras calūniari scripturas, dicere Esaiam suo proprio ingenio, & non motrice dei gratia prædixisse futura. Amplius, cum Hieremias ob teneram pueritię etatem fateretur se esse propheticum munere indignũ, & diceret Ah. Ah. Ah. domine deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum: ei dixit dominus, ne pretiosam prophetiæ margaritã rejiceret: Noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcũque mādauero tibi loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te. Et misit dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce cõstitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas & destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Hac fortissima & inuictissima dei manu adiutus Hieremias, operabatur quæ ad peragendum suum munus propheticum spectabant. Tum etiam Ezechiel dixit dominus, Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos, & audiui loquentem ad me, & dicentem, Fili hominis, mitto te ad filios Israel, ad gentes apostatras, quæ recesserunt à me. Dicit Motanus sacrarum literarum imperitissimus, huiusmodi viros, & incredibili sapientia & vitæ sanctimonia clarissimos, in extasi & animi furore prædixisse futura, & non credemus ei: dicat autem respiscendo ab errore, illos nihil mendacij confinxisse, sed à deo inspiratos futura prædixisse, & haud dubie ei applaudemus, & credemus. Sed nescio an in sublimi arrogantię & præsumptionis vertice cõstitutus, in quo heretici suas ostentant phaleras, palinodiam recinere velit. Insuper cum Christus sit finis legis & prophetarum, & ex ijs quæ de ipso scripta sunt in le-

Ibidem.

zacha. 1.

Exo. 3.

Esaiæ 6.

Hierem. 1.

Ezech. 2.

Cyillus. ge & sanctis eius prophetis, deducamur ad fidem in ipsum, unde veneramur ea quae per legem & prophetas praedicata sunt, ut dicit Cyrillus libro septimo, contra Iulianum: Firmissima animi sententia debemus tueri, nihil unquam erroris & falsitatis sacris prophetarum oraculis permixtum fuisse. Huic quoque astipulatur opinioni Origenes, libro septimo, contra Celsum, dicens necesse esse ut nihil mentiantur summi dei prophetae. Et huiusce rei fidem a definitione prophetiae, quam assignat Cassiodorus, in prologo psalmodum, faciemus: Prophetia, est reuelatio diuina, rerum euentus immobili veritate denuntians. Et licet futura contingentia quorum est prophetia, possint non euenire, non tamen eorum falsa erit prophetia. Nam certitudo diuinae praescientiae in ea fertur, ut sunt determinata ad vnum, cuius quidem praescientiae prophetia est similitudo. Et si aliquid est prophetatum, illud erit: sicut si aliquid est praescitum, illud erit: & per consequens necessarium, non respectu nostri, sed quatenus diuinae subest praescientiae. Et illi prophetiae, Morieris & non viues, nihil falsi accidere poterat, quia spectando causas inferiores, ut abunde iam docuimus, & naturam Ezechielis incurabili morbo vexatam, moriturus erat rex ille optimus, & non amplius victurus: cuius mortem proxime imminentem, orationes & lachrymae ab inferis reuocarunt. Nec huic vaticinio, Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur, suberat falsum. Nam vrbs illa spatiosissima, confideratis Niniuitarum scelerebus & demeritis, erat post tres dies collapsura & omnino peritura. ¶ Posteriorē assertionis partem sic suadeo, Daniel habuit complures visiones, & propheticas protulit denuntiationes, quas primo non intellexit, sed earum intelligentiam postea ab angelo est edoctus, nec tamen prophetici nominis rationem simul & denominationem perdidit. Et quod ita dicendum sit, ostendo: In Danielis prophetia legimus, Vidi autē ego Daniel solus visionem, porrō viri qui erant mecum non viderūt, sed terror nimis irruit super eos, & fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium. Et audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam cōsternatus super faciem meam, & vultus meus haerebat terrae. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearū. Et dixit ad me, Daniel vir desideriorum, intellige verba quae ego loquor ad te, & sta in gradu tuo, nunc enim sum missus ad te. Cunque dixisset ad me sermonem istum, steti tremens. Et dixit ad me: Noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego ingressus sum ad verba tua: facile ex hoc contextu perpendimus Danielem ob grandem illam visionem mente consternatum, non subito quid illa insolita visio sibi velle, intellexisse, sed ad eum ieiunij & orationibus afflictum, ut tantae visionis intelligentiam nancisceretur, missum angelum, qui illius sublimis & eximia visionis mysteria ei detexit & manifestauit. Hanc enarrans Hieronymus, dicit: Queritur si statim exauditus est, cur non statim ad eum missus sit angelus. Data est ei per moram occasio amplius deum deprecandi, ut ex eo quod plus desiderat, per laborem plus audire mereatur. Quod autem ait: Et ego ingressus sum ad verba tua, hūc habet sensum: Postquam tu coepisti bonis operibus & lachrymis atque ieiunio dei inuocare misericordiam, & ego accipi occasione, ut ingrederer in conspectu dei, & orarem pro te. Fatetur etiam Lyranus, angelum fuisse missū ut doceret Danielem quae desiderabat scire, prius si quidem viderat infuetam visionem quam non plenē intelligebat, siquidem dixerat: Stupebam ad visionē, & non erat qui interpretaretur. Adde quod cum Abraham immolaturus Isaac, dixit pueris suis: Expectate hic cum asino, ego & puer illic vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos, prophetauit quod ignorabat, ut dicit Ambrosius libro primo de Abraham patriarcha, capite octauo. Nam ipse solus disponebat redire immolato filio, sed dominus per os eius

locutus est quod parabat. Captiose autem loquebatur cum seruulis ne cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu. Hæc ille. Cum ergo dixit reuertemur ad vos, vere prophetauit, & ita accidit ut praedixit, quamuis tunc temporis quod vaticinabatur non intellexerit, & dominus aperuit os eius, ut id diceret, & redeundo nouit quod prius ignorabat. Ad hæc, Nathan erat propheta, & tamen cum consuluit Dauidi ut deo ædificaret domum ad habitandum, dicens: Omne quod est in corde tuo vade, fac, quia dominus recum est, nesciebat quid diceret, quia postea consilium illud retractauit. Nam factus est sermo domini ad Nathan, dicens: Vade & loquere ad seruum meum Dauid, hæc dicit dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? quasi diceret non, quia Dauid erat vir sanguinis. Hæc explicans Glossa ordinaria, dicit: Patet quod prophetiae spiritus, prophetarum mentes non semper irradiat. Spiritus enim ubi vult spirat. Hinc Heliseus ait: Dominus celauit a me, & non indicauit mihi. Quod deus ex dispensatione pietatis disponit, quia dum prophetiae spiritum dat, & subtrahit, prophetantium mentes eleuat in celsitudinem, & custodit in humilitate, ut accipientes spiritum, inueniant quid de deo sint: & rursum prophetiae spiritum non habentes, cognoscant quid sint de semetipsis. Huic quoque accedit sententia Lyranus, dicens Nathan non id dixisse spiritu prophetaico, sed humano, quia postea retractauit verbum suum. Ex hoc etiam patet, quod spiritus prophetiae non semper tangit corda prophetarum, quia aliquando loquuntur instinctu proprio & humano, & non diuino. Denique Hieronymus edifferendo illum Ezechielis locum, Et factus est sermo domini ad me dicens, planè docet diuinum sermonem non semper residere in prophetis, cuius verba sunt hæc: Si semper in prophetis esset sermo dei, & iuge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam tam crebro Ezechiel poneret: Et factus est sermo domini ad me dicens. Sed quia ob humanam fragilitatem, & vitæ huius necessitates, interdum recedebat ab eis. Propterea Ioannes baptista loquitur, Qui misit me baptizare, ipse dixit mihi: Super quem videris spiritum sanctum in specie columbae descendentem & manentem in eo, ipse est. Nunquam enim proprium esset in Christo quod additur, & manentem in eo, nisi ab alijs nonnunquam recederet. Alioquin & ad Moysen loquitur deus: Auferam de spiritu qui est in te, quem vtique non haberet, nisi ad eum a domino descendisset. Hæc ibi. Et quem denique later, Caiphann prophetauit quod Christus erat moriturus pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios dei qui erant dispersi congregaret in vnum, nec quod futurum praedicebat, intellexisse? Præterea Augustinus libro septimo de Ciuitate dei, capite trigesimo secundo, ostendit non omnes prophetas sua vaticinia intellexisse: nec qui intelligebant, omnia intelligebant, sed ex superiore dei afflatu, cuius consilia non omnia erant eis manifesta: vtebaturque deus illis non velut consultis futurorum, sed instrumentis, quibus homines alloqueretur. In illo capite differens de sacramento redemptionis Christi quod nullis retro temporibus defuit, ita scribit: Populus Hebraeus in vnam quandam rempublicam, quæ hoc sacramentum ageret, congregatus est, ubi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex aduentu Christi vsque nunc, & deinceps agitur, pronuntiaretur esse venturum. Insuper Origenes homilia sexta, super Numeros, ostendit prophetas aliquando habuisse spiritum dei, & aliquando non habuisse. ¶ Decertabit aliquis aduersus hanc partem: Scriptum est in Daniele, Intelligentia est opus in visione, ut scilicet authore Lyrano, aliquis dicatur propheta. Tum etiam in tertio capite huius libri, diximus prophetiam consistere in cognitione. Et ex eo prophetia non admittit falsum, quia propheta quæ denuntiat, intelligit, ut monstratum est: igitur prophetiae ratio exigit ut quæ propheta vaticinatur, intelligat. ¶ Istitis respondemus obiectionibus: Cum dicis opus esse intelligentia in visione, id fatemur ingenue, non quod is qui propheta,

confestim sua vaticinia intelligat, sed vt eius intellectus à deo excitetur & eleuetur ad percipiendum quod praefagit. Et licet prophetia, consistat in cognitione, & eximij ac veridici prophetæ intelligant quæ vaticinantur, non tamen necessarium est vt subito quæ prædicunt ventura, intelligant: sed satis est eos sanctis orationibus, lachrymis & ieiunijs preparari & affligi ad nanciscendum prophetiæ intelligentiam, nisi expressam habeant reuelationem: quia tunc certo intelligunt quæ prophetant. Et particula primo, assertioni adiecta, omnia penè argumenta quæ adferri possunt, diluit. loquimur etiam in vniuersum de vaticinandi ratione, quæ & eximij & non eximij prophetis competit. Adnorabis mentem prophetæ bifariam à deo instrui: Vno modo per expressam reuelationem, & hoc modo sua cognoscit vaticinia, eo quòd hæc sunt diuinitus reuelata. Secundo, per quendam instinctum occultissimum, quem necientibus humanae mentes patiuntur, vt dicit Augustinus libro secundo, in Genesim, capite decimosextimo, & tunc propheta non potest plene discernere, vtrum hoc cogitauerit instinctu diuino, vel spiritu proprio. Nec omnia quæ etiam cognoscimus diuino instinctu, sub certitudine prophetica, nobis manifestantur. talis siquidem instinctus, est quid imperfectum in genere prophetiæ, & hæc prophetia est secundum quid appellanda, illa verò simpliciter. Et mens prophetæ quandoque impellitur solum ad apprehendendum rem, & non quatenus est diuinitus reuelata, quod faciebat Caiphas ferens de Christo vaticinium: id enim apprehendebat, Vos nescitis quicquid, nec cogitatis, quia expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, & nesciebat an illud deberet de Christo intelligi. & nonnunquam mouetur ad apprehendendum rem etiam quatenus est à deo reuelata, & hic perfectus vaticinandi modus, eximij prophetis conuenit. Et quia mens prophetæ est deficiens instrumentum, nec omnino perfectum, idcirco non mireris si prophetæ etiam insignes & veridici, non omnia cognouerint, quæ in eorum visis, aut verbis, aut factis, spiritus sanctus intendebat. Supellectilem harum rerum refertissimam reperies, in secunda secundæ sancti Thomæ, quæstione centesima septuagesima tertia, articulo quarto.

CAPVT VI.

Præscientia dei nulla necessitate cogit hominem ad aliquid faciendum vel non faciendum, quam non semper necesse est prædestinationem comitari. Priorè huiusce Assertionis enütiationem eruimus ex Hieronymo exponente illum Hieremię locum: Nolite substrahere verbū, si forte audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala, & poeniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitias studiorum eorum, vbi ita scribit: Verbum ambiguum forsitan maiestati domini non potest cōuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum homini seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius, quasi necessitate vel facere quid, vel nō facere cogatur. Nō enim ex eo quòd deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, deus nouit, quasi præsciens futurorum. Et tamen sciendum iuxta hunc eundem Hieremiam, & si mala prædixerit dominus, & egerit populus poenitentiam, quòd & ipse acturus sit poenitentiam super his quæ facere comminatus est. Et si prospera pollicitus fuerit, & egerit populus negligenter, mutet deus sententiam, & pro bonis mala inferat. Tale quid & illud in Euangelio est: Mittam filium meum, forsitan verebuntur eū. Quod vtrique ex persona dei omnipotentis dicitur. Denique & in præfenti ait: Si fortè audiant & cōuertantur vnusquisque à via sua mala, vt cum illi cōuersi fuerint, & meę sententiæ me poeniteat, & non faciā quod eis facere cogito. Cogito autem facere propter malitias studiorum illorum, quæ si fuerint immutate, & mea sententia commutabitur. Et enarrando illud Ecclesiastę: Quid est quod futurum est: iam vocatum est nomen eius & cognitum, quia homo est, & nō poterit iudicari cum fortiore se, ostendit præscientia dei liberum non tolli arbi-

Augustinus

Ioan. xi.

Hieronymus
Hierem. 26.

Lucæ 201

Ecclesiast. 6.

trium. Nonnulli (inquit) illud in hoc loco significari putant, quòd omnium qui futuri sunt, & hominum corpore circundandorū iam deus vocabulum nouerit, nec possit homo respondere contra artificem suum, quare ita vel ita factus sit. Quanto enim amplius quæserimus, tanto magis ostendi vanitatem nostram, & verba superflua, & non ex præscientia dei liberum tolli arbitrium, sed causas ante præcedere, quare vnusquodque sic factum sit. Huic accedit sententiæ Augustinus disputans artificiosè de præscientia dei libro tertio, de Libero arbitrio, capite tertio, vbi ostendit hominem, non quia deus præsciens est futurorum omnium, necessario fore beatum, aut necessario peccare, contra Euodium cum quo iniuit certamen: siquidem putabat ille quem introducit in disputationis campum, hæc esse contraria & repugnātia, Deus præsciens est omnium futurorum, & homo non necessitate, sed voluntate peccat. Sic enim scribit: Quamobrem quamuis præsciat deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur, vt non voluntate aliquid velimus. Nam & de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negauerim. Sed dico, cum futurus es beatus, non te iniuitum, sed volētem futurum. Cū igitur præsciens deus sit futurę beatitudinis tuę, nec aliter aliquid fieri possit quàm ille præsciuit, alioquin nulla præscientia est, non tamen ex eo cogimur sentire quod absurdissimum est, & longe à veritate conclusum, nō te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse caperis beatus, non tibi aufert præscientia dei, quæ hodie de tua futura beatitudine certa est: sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, nō propterea voluntas non erit, quoniam deus eā futuram esse præsciuit. Attende enim quæso, quanta cecitate dicatur, si præsciuit deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quàm præsciuit, necesse est, vt velim quod ille præsciuit: si autem necesse est, non iam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem. Quomodo ergo non potest aliud fieri quàm præsciuit deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciuerit? Omitto illud æque monstruosum, quod paulo antè dixi, eundem hominem dicere, necesse est vt ita velim, qui necessitate superposita auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est, vt velit, vnde volet cum voluntas non erit? Quòd si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est vt velit, ipsam voluntatem in potestate non habere, occurreret ex eo quod ipse dixisti, cum quærerem, vtrum iniuitus beatus sis futurus: Respondisti enim quòd iam esses beatus, si potestas esset in te: velle enim te, sed nondum posse dixisti. Vbi ego subieci de te, clamasse veritatem. Non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi cum nobis quod volumus deest. Dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non vtrique volumus. Quòd si fieri non potest, vt dum volumus non velimus, adest vtrique voluntas volentibus. Nec aliud quicquam est in potestate, nisi quod volētibz adest. Voluntas igitur nostra nec volūtas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberū quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus. Ita fit vt & deum non negemus esse præsciens omnium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit præsciens voluntatis nostrę, cuius est præsciens ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præsciens. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præsciens: Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur affuturam mihi esse præsciuit. Hæc ille. Sed te velim commonefacere, ne ex istis Augustini verbis, Nec aliter aliquid fieri potest quàm ille præsciuit, colligas tumultuario iudicio præscientiam dei necessitatem rerum secum aduehere, Augustinum noluisse affirmare: quidpiam necessario simpliciter venturū quod deus præsciuit, & de rebus contingentibus sermonem suscipimus: sed quòd stante & fixa dei præscientia, illud necessario eueniet secundum quid. Nec aliter loqui possit.

mus, nec deridenda sunt hæc locutionum elementa, ita quòd volo aperte dicere hæc duo adinuicem pugnare, Deus præsciuit hoc futurum, & hoc non eueniet. Nam si deus hoc præsciuerit venturum, & tamen stante illa præscientia, non eueniret, præscientia dei & eius voluntas esset mutabilis. Nemo enim negat hanc cõsequentiam esse validam: Deus præsciuit hoc futurum, ergo hoc est futurum. sed antecedens non est simpliciter necessarium, loquendo de his quæ ab humana voluntate pendunt: & sicut consequens est contingens, ita & antecedens. Sunt qui dirimunt controuersia hanc, vtendo distinctione sensus compositi & diuisi. Sensus hunc arbitrantur compositum, si deus præsciuerit aliquid futurum, necessario eueniet vt præsciuit, Disiunctus sensus est, licet quidpiã præsciuerit futurum, simpliciter potest non euenire: quod si non sit futurum, nec deus illud præsciuit: non quòd præscientia dei à rerum contingentium euentu pendeat, sed quòd obseruata liberi arbitrij conditione, velit rem fieri quatenus futura est. Et id prætendebat Hieronymus, dicens: Non idcirco aliquid futurum est, quia deus præsciuit illud futurum: itaque non est necesse simpliciter id futurum colligere ex diuina præscientia. Aut quòd præscientia dei non est tota & immediata causa rei futuræ cõtingentis ex libero hominis arbitrio dependentis, & ex hoc aperte intueris, deum pro sua erga nos sapientia, clementia & prouidentia, cõiungere suam præscientiam & voluntatem causis secũdis, sed quia aliquid est futurum, idcirco deus præsciuit. Si spectaremus euentum rei, & non causam, possemus id admittere, Idcirco aliquid futurum est, quia deus præsciuit. Quemadmodum in Euangelio Ioannis legimus: Cũ tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaia impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaia: Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaia, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Excutiendo hæc mytheria, dicit Chrysofostomus: Ecce iterum hanc particulam, Quia, dixit non causalem esse, sed euentus. Neque enim, quia dixit Esaia, non crediderunt, sed quia non erant credituri, ideo dixit. Istis diligenter adnotatis, ad Augustinianam doctrinam, sermonem insectemus. In quarto capite eiusdẽ libri docet Augustinus præscientiam dei nõ aduersari libero arbitrio. Sicut (inquit) tu memoria tua non cogis facta quæ præterierunt, sic deus præscientia sua non cogit faciendã quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita deus omnia quorum ipse author est, præscit, nec tamẽ omnium quæ præscit, ipse author est. Quorum autem non est malus author, iustus est vltor. Hinc ergo iam intellige, quia iustitia deus peccatã puniat, quia quæ nouit futura, non facit. Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccãtibus, quia præuidet peccaturos: nec recte facientibus debet præmia retribuere, quia & recte facturos nihilominus præuidet, immo verò fateamur, & ad præscientiam eius pertinere, ne quid eum lateat futurorum: & ad iustitiam, vt peccatum, quia voluntate committitur, ita iudicio eius impune non fiat, sicut præscientia non cogitur fieri. Idem dicit in opere Sententiãrum, capite 379. Et libro quinto, de Ciuitate dei, capite nono, amplissime docet oppugnando absurdissima Ciceronis placita, qui nixus est dei præscientiam euertere, liberam hominis facultatem nullo modo diuinę præscientię aduersari. Nec (inquit) timemus ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest. Quod Cicero timuit, vt oppugnaret præscientiã, & Stoici, vt non omnia necessitate fieri dicerent, quãuis omnia fato fieri contenderent. Quid est ergo quod Cicero timuit in præscientia futurorũ, vt eam labefactare disputatione deestabili niteretur? Videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine veniẽt, quo vltura esse præscita sunt. Et si hoc ordine veniẽt, certus est ordo rerum præscienti

Ioan. 12.
Esaia 53.

Esaia 6.

Chrysofost.

deo, & si certus est ordo rerũ, certus est ordo causarum. Non enim aliquid fieri potest, quod nõ aliqua efficiens causa præceserit. Si autem certus est ordo causarũ, quo fit omne quod fit, fato (inquit) fiunt omnia quæ fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullũque est arbitrium voluntatis. Quod si cõcedimus (inquit) omnis humana vita subuertitur, frustra leges dantur, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neq; vlla iustitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt. Hæc ergo ne consequantur indigna, & absurda & pernitiõsa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum, atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, vt vnum eligat è duobus: aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum, quoniam vtrunque arbitratum esse non posse: sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiã futurorum. Ipse itaque vt vir magnus & doctus, & vitæ humane plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod vt confirmaretur, negauit præscientiam futurorum: atque ita dũ vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autẽ animus vtrunq; eligit, vtrunque cõfiteretur, & fide pietatis vtrunque confirmat. Quomodo? inquit. Nam si est præscientia futurorum, sequuntur illa omnia, quæ connexa sunt, donec eò perueniatur, vt nihil sit in nostra voluntate. Porro si est aliquid in nostra voluntate, eisdem recursis gradibus eò peruenitur, vt non sit præscientia futurorum. Nam per illa omnia sic recurritur: Si est voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt. Si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum. Si certus causarum ordo non est, nec rerum certus est ordo præscienti deo: quæ fieri non possunt, nisi præcedẽtibus & efficiẽtibus causis. Si rerum ordo præscienti deo certus non est, non omnia sic veniũt, vt ea ventura præsciunt. Porro si non omnia sic eueniũt, vt ab illo ventura præscita sunt, non est, inquit, in deo præscientia omnium futurorum. Nos aduersus istos sacrilegos aulos atque impios, & deũ dicimus omnia scire antequam fiant, & voluntate nos facere quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus, & nouimus. Omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen vbi solet à loquentibus poni, id est in constitutione syderũ, qua quisque conceptus aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum, vbi voluntas dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè vt fatũ à fando dictum intelligamus, id est à loquendo. non enim abnuere possumus esse scriptum in literis sanctis: Semel locutus est deus, duò hæc audiui, quoniam potestas est dei, & tibi domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera eius. Quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc est incõmutabiliter est locutus, sicut nouit incõmutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus à fando fatũ appellare, nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolimus inclinari. Non est autem cõsequens, vt si deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostrę voluntatis arbitrio. Et ipse quippe nostrę voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est deo, eiuşque præscientia continetur, quoniam & humana voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præsciuit, profecto in eis causis etiã nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit. Nam & illud quod idem Cicero concedit nihil fieri si causa efficiens non præcedat, fati est ad eum in hac quæstione redarguendum. Quid enim eum adiuuat, quod dicit nihil quidem fieri sine causa, sed non omnem causam esse fatalem: quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria. Sufficit quia omne quod fit, nõ nisi causa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas causas quæ dicuntur fortuitę, vnde etiã Fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas, sed latentes: easque tribuimus vel dei veri vel

Pal. 61.

quorumlibet spirituum voluntari, ipsasque naturales nequaquam ab illius voluntate seiungimus, qui est author omnis conditorque naturae. iam vero causae voluntariae, aut dei sunt, aut angelorum, aut hominum, aut quorumcunque animalium: si tamen appellandae sunt voluntates animalium rationis expertium, motus illi quibus aliqua faciunt secundum naturam suam, cum quid boni malive, vel appetunt, vel eitant. Tum etiam, in libello Triplicis habitaculi, si tamen sit Augustini, capite quinto, scriptum comperimus; praescientiam dei neminem cogere ad peccandum, ut multi errantes dicunt. Si enim (inquiunt) praesciuit Adam peccaturum esse, non peccare non potuit. Ex quo errore nascitur, Deum causam esse peccati, quod nefas est dicere, & illi tamen suis verbis alligantur. Si enim quod praescientia dei habet, necesse est fieri, ideo voluntate propria homo peccauit, & non alia necessitate: quia in praescientia dei fuit, ut voluntate & libero arbitrio, & non necessitate cogente peccaret. Si ergo praescientia dei non potest vitari, non potuit homo aliter peccare nisi voluntate, nulla alia vi cogente, quia ita deus praesciuit peccaturum: Si ergo voluntarie, non coactus est. Si enim non coactus est ad peccandum, potuit sine dubio non peccare si vellet. Adde quod Origenes enarrans illum Pauli locum: Quos vocauit, illos & iustificauit, dicit: Neque in praescientia dei vel saluti, vel perditionis nostrae causa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est. Nam etsi communi intellectu de praescientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia id scit deus futurum: sed quia futurum est, scitur a deo antequam fiat. Nam & si (verbi gratia) fingimus deum non praescire aliquid, futurum sine dubio erat, quod ita verum Iudas proditor factus est, & hoc ita futurum prophetae praedixerunt. Non ergo quia prophetae praedixerunt, ideo prodidit Iudas: sed quia futurus esset proditor, ea quae ille ex proposito sui nequitiae gesturus erat, praedixerunt prophetae, cum utique Iudas in potestate habuisset, ut esset similis Petro & Ioanni si voluisset, sed elegit pecuniae cupiditatem magis quam apostolici consortii gloriam: & hanc eius voluntatem futuram praudentes prophetae, librorum tradiderunt monumentis. Ut autem scias non in praescientia dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito, & actibus suis, vide Paulum verentem, ne forte cum alijs praedicauerit, ipse reprobos efficiatur, macerare corpus suum, & subijcere seruituti. Hoc aduersus eos qui nobis huiusmodi quaestiones obijciunt, etiam possumus dicere: Si quos praesciuit, illos & praedestinauit: non autem omnes praedestinauit, ergo non omnes praesciuit, & secundum eos erunt aliqua quae ignoret deus. Si vero praescire secundum hanc accipiatur quae supra diximus, hoc est in affectum recipere sibi que sociare, verum erit, quod sicut non omnes praedestinauit, ita neque omnes praescognouit. Sic enim & is dicitur non cognouisse peccatum. Nunquid nam dicemus quod nescierit is quid esset peccatum, id est quod nescierit homicidii peccatum esse, vel adulterium, vel furtum, & his similia? An hoc est quod dicitur nescire peccatum, quia peccato se non miscuit, neque adhaesit ei peccatum? Sicut & alibi scriptum est: Qui seruat mandatum, non cognoscat malum verbum, hoc est non recipiet verbum malum, non credit, non audiet libenter, neque admittet ingredi mentem suam. Ad haec, Tertullianus agens de praescientia dei, libro secundo aduersus Marcionem, ostendit primum parentem potuisse vitare futurum casum, quem tamen deus praesciuerat. De praescientia (inquit) quid dicam, quae tantos habet testes, quantos fecit prophetas? Quaquam quis praescientiae titulus in omnium autore, quae vniuersa utique disponendo praesciit, & praesciendo disposuit certe ipsam transgressionem: quam nisi praescisset, nec cautionem eius delegasset sub metu mortis, igitur si & fuerunt in deo istae facultates, praesci quibus nihil mali euenire homini aut potuisset, aut debuisset, & nihilominus euenit, videamus & hominis conditionem, ne per illam potius eueniret, quod per deum euenire non potuit. Liberum & sui arbitrij & suae potestatis inuenio hominem a deo institutum; nullam magis imagi-

Origenes.
Roman. 8.

1. Corin. 9.

Tertullianus

nem & similitudinem dei in illo animaduertens, quam eiusmodi status formam. **P**osteriorem assertionis partem sic suadeo, Praesciuit deus reprobos, & eos qui mortui sunt in finali impenitentia, quos tamen non praedestinauit. Quia praedestinatio est preparatio gratiae, in hac vita, ad obtinendam in futuro seculo gloriam. Nec addubito Iudam fuisse praescitum a Christo, cuius prodicionem praediderat, dicens: Vnus ex vobis tradet me, & hoc de Iuda, tamen non nominetur, intelligendum est, qui tamen non fuit simpliciter praedestinatus ut fieret conformis imaginis filij dei. Vnde Augustinus enarrans sublimem illam Pauli philosophiam: Quos vocauit, ipsos & iustificauit, dicit: Nec deus praedestinauit aliquem, nisi quem praesciuit crediturum, & secuturum esse sanctorum vocationem, quos & electos dicit. **N**obis tamen aduersari videtur quod dicit Paulus ad Romanos: Quos praesciuit, & praedestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Sed id a Paulo dictum putes de praescientia bonorum, quod ex Origene facile comprobari potest, dicente in hunc modum: Obseruet enim qui studiosus est in scripturis, sicut inuenit scripturam dicere quod malos praescierit deus, sicut in presenti loco de bonis manifeste dicit, quia quos praesciuit, & praedestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Si enim quos praesciuit, hos & praedestinauit conformes esse imaginis filij sui, nullus autem malus conformis potest imaginis esse filij dei: manifestum est quod de bonis tantum dicit, praesciuit quos praedestinauit conformes fieri imaginis filij sui, caeteros vero non modo praescire, sed ne scire quidem dicitur deus. Nouit enim deus eos qui sunt eius. Ad eos autem qui non sunt digni ut sciantur a deo, Saluator dicit: Discedite a me vos operarij iniquitatis, quia non cognoui vos. Sic ergo & in hoc presenti loco quos praesciuit deus, ipsos & praedestinauit conformes fieri imaginis filij sui, caeteri autem praesciri non dicuntur: non quod aliquid latere possit illam naturam quae vbique est, & nusquam deest, sed quia omne quod malum est, scientia eius vel praescientia, habetur indignum. Deinde dicit deum illos cognouisse, quos in dilectione habuit, sibi que sociauit. Huic quoque plaudat sententia Ambrosius, eundem Pauli locum differendo: Istos (inquit) quos praesciuit futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda, ut hi qui credere videtur, & non permanent in fide coepa, a deo electi negentur: quia quos deus elegit, apud se permanent. Est enim qui ad tempus eligitur, sicut Saul & Iudas, non de praescientia, sed de praesenti iustitia.

Ioan. 13.

Roman. 8.
Augustinus

Ibidem.

Origenes.

Matth. 7.

Ambrosius.

CAPVT

VII.

Praedestinationis, & reprobationis negatiue nulla est causa. Antequam haec ex Paulina doctrina probetur assertio, licebit adnotare, praedestinationem diuinam, esse dei voluntatem, qua aliquos ab aeterno praedestinauit ad vitam aeternam: reprobationem vero negatiuam dici, cum deus non vult ordinare aliquem ad vitam aeternam. Huiusmodi autem reprobatio non est actus positius diuinae voluntatis, sed praedestinationis priuatio. Hac excussa adnotatiuicula, Paulinis nitentur argumentis ut nostram tutius & firmitus assertionem stabilire possimus. Loquens Paulus de filijs Rebeccae, scilicet Iacob & Esau: quorum vno, bonorum vocatio & praedestinatio adumbratur: altero vero, malorum reprobatio, dicit: Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Haec si accurate contemplerur, facile animaduertemus Iacob nullis meritis praecedentibus, sed sola dei misericordia praedestinatum esse: Esau vero, nullis demeritis reprobatum. non enim ex operibus, nec vlla animi industria, sed ex sola dei vocatione dictum est: Maior seruiet minori. Et antequam vterum maternum egrederentur, secundum certissimam & infallibilem dei electionem praescitum est, & praescriptum ut Iacob deo esset gratus, Esau vero diuina voluntate abijceretur, & contemptui haberetur. Nec quae in deum

Gene. 25.

Roman. 9.

Malach. 1.

concites tragicédiam, nec obmurmures quòd hùc ad se accersit & allicit, illum vero tanquam abortiuum partum reijciat. nulli siquidem facit iniuriam, cum huic suam largitur gratiam, illi verò nullum confert beneficium, immo habet odio: spiritus siquidem nulli obstrictus, cui vult spirat, & quem vult aspernatur. Et eorum Paulus qui diuinam sapientiam conuelleret ac arguere conantur, proponit argumentum, dicens: Nunquid iniquitas apud deum? quod tamè subito discutit, nec tam discutit quàm quòd inane & vanum esse demonstrat. Absit inquit, Moyfi enim dicit: Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Et vt tibi os loquendi obstruat, nec curiose perscruteris, quæ in secretissima ac abditissima diuinæ voluntatis sapientia latent, ex veteris testamenti doctrina colligit, Igitur non volentis neque currentis, sed prædestinantis est dei. Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra: & hoc de reprobatione intelligas. Deinde firmissimam & ineluctabilem cum ex prædestinatione, tum reprobatione consequutionem efficit: Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat. his ausculta, & hæc animo expende, ne prædestinationis aut reprobationis causam disquiras. Demum subnectit Paulus, Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hac eleganti & perquam vtili similitudine vritur Paulus, volens omnibus fidem facere, deum secundum suam voluntatem posse vnum ad æternas beatorum sedes subuehere, eisque sua liberaliter impartiri munera: alterum verò contemptibile reddere. Huiusce arduæ disputationis mysteria differens Origenes, dicit: Hæc omnia eò spectant, vt illud probet apostolus, quòd si vel Isaac, vel Iacob pro his meritis electi fuissent ad ea quæ in carne positi querant, & per opera carnis iustificari meruissent, posset utique meriti eorum gratia ad posteritatem carnis quoque & sanguinis pertinere. Nunc verò cum electio eorum non ex operibus facta sit, sed ex proposito dei, ex vocantis arbitrio, promissionis gratia, non in filiis carnis impletur, sed in filiis dei, hoc est qui similiter vt ipsi ex proposito dei eligantur, & adoptentur in filios. Completur namque etiam in his illud quod supra exposuimus, quia quos præciuit, illos & prædestinavit: & quos prædestinavit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & glorificauit. Deinde contradicentium consecutionem elidendo, qui arbitrabatur deum esse iniustum, quòd cuius vult miseretur, & quem vult indurat, dicit: Legentè hæc meminisse attentius conuenit similitudinis illius, quam in superioribus libris, de apostoli sermonis dispensatione posuimus, vt tanquam regis cuiusdam domus, quæ multiplicibus ingressibus egressibusque distincta, & ex vno in aliud conclauē ita transeat, vt vix ingredientis indicia, aut egredientis appareant: ita etiam Paulum diuinorum secreta paululum quidem subaperietem videri, non tamen planè apertè pandentem. Denique cum pro his quæ superior dixerat de Isaac & Iacob, quòd per electionem & ex proposito dei antequam aliquid operis boni malivè gessissent deus dixerat vel de illo: Ad hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius: vel de hoc, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, cum in præsentem capitulo introduxisset aliquam personam velut contradicentem sibi, & quæstionem mouentem, & diceret: Nunquid iniquitas est apud deum? Sed non volentis, neque currentis, sed misericordie dei est. & si Pharaonem propterea elegit, vt in ipso potentiam suæ virtutis ostenderet, & si ipse cui vult miseretur, & quem vult indurat, vt quid de hominibus (inquit) queritur? & cur qui peccat, culpatur, cum talis de vnoquoque ipsius voluntas habeatur? Hæc ergo & de his similia commonenti, atque in huiusce mysterij cubiculum proteruius & importunius ingerenti cum increpatione dignissimæ exclamationis occurrit, & dicit:

Exo. 33.

Exo. 9.

Esaia 45.

Hierem. 18.

Sapient. 15.

Origenes.

O homo, tu quis es qui contra respondeas deo? quasi diceret: Tu quis es, qui te in aula regis immergis, & interioris cubiculi ausus es secreta penetrare? Idcirco igitur & nos in talibus suspensio pede tanquam in aula regia positi, pauca sermone, plura silentio transeamus: ipso nobis Paulo apostolo magistro, & duce huius itineris facto. Igitur ex persona contradicentis sibi dicit Apostolus: Nunquid iniquitas est apud deum? & statim in initijs responderet: Absit. vt ad omnia cætera quæ ex persona cõtradicentis obijcienda sunt, ab Apostolo semper responderi videatur, Absit. Iste ergo qui contradicit, vritur & Moyfi verbis, quibus dicit ad eum dominus, Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Quod si est inquit, non ergo volentis neque currentis salus, sed eius cui miserebor: nam Pharaoni (inquit) dicitur, Quia ad hoc ipsum te suscitavi, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntiem nomen meum in vniuersa terra. Vt ex hoc videatur ostendi quòd si ad hoc electus est Pharaon, vt per eum virtus dei in hominibus declaretur, non fuit in eius potestate quòd perijt. Et addidit post omnia: Ergo si cui vult miseretur, & quem vult indurat: hoc est (inquit) quod asseueras tu qui contradicis, quia sine causa conqueritur, & arguit homines deus. Si enim ipse quem vult eligit, & quem vult abijcit, voluntati illius quis resistet? per quem omnia. Illud sine dubio cõtradictio ista molitur, quòd in homine non sit libertas arbitrij, nec habeat vnusquisque potestatem sui vt saluetur aut pereat. Quod autem dixit, Non volentis neque currentis, sed miserentis est dei, ita accipitur, sicut Dauid dicit in psalmo, Nisi dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt qui edificauerunt eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. in quo ostendit non quòd is qui domum ædificat, nihil agat, & otiosus sit, & ita eam ædificet dominus: sed ipse quidem quantum est in homine vim sollicitudinis & laboris expendat, sic vt obstaculis omnibus amotis opus perueniat ad perfectum. Cum ergo per hoc doceatur quòd homo quidem laborem impendat & sollicitudinem, deus autem successum operi tribuat & effectum, pium & religiosum est ideo & bonum, quod in se est operis summa, deo magis quàm homini putare. Sic & cum Paulus plantabat, & Apollo rigabat, deus dare dicitur incrementum. Et additur, Itaque neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat deus. Ita ergo etiam in præsentem loco possumus dicere: Itaque neque qui currit est aliquid, neque qui vult, sed qui effectum dat, deus. Qui enim vult, & qui currit, hoc videtur esse quod est ille qui plantat, & eum qui rigat nihil dicit esse Apostolus: non quòd nihil agant, sed quòd ad comparisonem dei qui incrementum dat operi vel effectum, illi nihil esse ducantur. Erudite docet Hieronymus quæstione decima ad Hedibiam, quid significet illud quod apostolus Paulus disputat, ad Romanos scribès: Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud deum? Absit, vsque ad eum locum, vbi ait: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti fuissetus, & sicut Gomorra similes fuissetus. Quidam (inquit) volentes dei seruare iustitiam ex præcedentibus causis, dicunt electum in vtero Rebeccæ Iacob, & abiectum Esau, sicut & Hieremias & Baptista Ioannes eliguntur in vtero, & ipse apostolus Paulus prædestinatur in Euangeliū antequam nascatur. Nobis autem nihil placet nisi quod Ecclesiasticum est, & publice in Ecclesia dicere non timemus, ne iuxta Pythagoræ & Platonem & discipulos eorum qui sub nomine Christiano introducunt dogma gentilium, dicamus animas lapsas de cælo esse, & pro diuersitate meritorum in his vel in illis corporibus poenas antiquorum luere peccatorum. Multoque melius est simpliciter imperitiam confiteri, & inter cætera quæ nescimus, etiam huius loci obscuritatem refugere, quàm dum volumus dei probare iustitiam, Basilidis & Manichæi hæresim defendere, & Hiberas nanias, Aegyptiæque portenta, sectari. Dicamus igitur vt possumus, & Apostolicæ voluntatis sequentes vestigia, ne punctum quidem (vt dicitur) atque vnguem trāuersum, ab illius sententijs recedamus, fleuerat supra & dolori suo & cõscien-

Psal. 126.

1. Corin. 3.

Hieronymus

Hierem. 1.

Luca 1.

Ephes. 1.

tia testem inuocauerat spiritum sanctū, quod fratres sui & cognati secundum carnem, id est Israelitae, dei filium non recepissent: quorum fuit adoptio & gloria, & testamentum, & legislatio, & cultura, & promissio: ex quibus etiam ipse Christus secundum carnem de Maria generatus est virgine, & tam continuo cordis dolore torquetur, ut ipse optet anathema esse à Christo: id est solus perire, ne omne Israeliticum genus pereat. Et quia hoc dixerat, statim venientem è regione prauidit quaestionem, Quid ergo dicis? omnes qui ex Israel sunt, perierunt? Et quomodo tu ipse & ceteri apostoli, & infinita Iudaici populi multitudo Christum dei filium recepistis? quam ita soluit: Israel in scripturis sanctis dupliciter appellatur, & in duos diuiditur filios: in vnum qui iuxta carnem est, & in alterum qui iuxta reprobationem & spiritum. Abraham duos habuit filios, Ismael & Isaac. Ismael qui secundum carnem natus, hereditatem patris non accepit. Isaac qui de reprobatione generatus ex Sara est, semen dei appellatur. Scriptum est enim, In Isaac vocabitur tibi semē, id est non qui filij carnis, hi filij dei: sed qui sunt filij reprobationis, isti existimantur in femine. Et hoc non solum in Ismael & Isaac accidisse conuincimus, sed etiam in duobus Rebecca filijs Esau & Iacob: quorum alter abiectus, alter electus est. Et hoc totum dicit, ut in duobus prioribus fratribus Ismael & Esau, populum Iudaeorum abiectum esse significet. In posterioribus autem, hoc est in Isaac & Iacob, electum populum Gentium, vel eos qui ex Iudaeis in Christum credituri erant. Et quoniam hoc volens approbare, proposuerat testimonium nascentium geminorum Esau & Iacob, de quibus scriptum est: Maior seruiet minori. Et in Malachia legimus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, venientem è latere quaestionem more suo proponit & disserit: & hac soluta, reuertitur ad id de quo coeperat disputare: Si Esau & Iacob necdum nati erant, nec aliquid egerant boni aut mali, ut vel demererentur deum, vel offenderent: & electio eorum atque abiectio, non merita singulorum, sed voluntate eligentis & abiectis ostendit: quid ergo dicemus? iniquus est deus? Secundum illud exemplum quo loquitur ad Moysen: Miserebor cui misertus fuero, & misericordiam praestabo cui miserebor. Si hoc (inquit) recipimus, ut faciat deus quodcumque voluerit, & absque merito & operibus vel eligat aliquem vel condemnet: ergo non est volentis neque curretis, sed miserentis est dei, maxime cum eadem scriptura, hoc est, idem deus loquitur ad Pharaonem: In hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Si hoc ita est, & pro voluntate sua miseretur Israeli, & indurat Pharaonem, ergo frustra queritur atque causatur, nos vel bona non fecisse, vel fecisse mala, cum in potestate ipsius sit & voluntate, absque bonis & malis operibus, vel eligere aliquem, vel abijcere, praesertim cum voluntati illius humana fragilitas resistere nequeat. Quam validam quaestionem scripturarum ratione contextam, & penè insolubilem, breui Apostolus sermone dissoluit, dicens: O homo tu quis es qui respondeas deo? Est est sensus, Ex eo quod respondes deo, & calumniam facis, & de scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra deum, & iustitiam voluntatis eius incusas, ostendis te liberi esse arbitrij, & facere quod vis, vel tacere vel loqui. Si enim in similitudinem vas fictilis te à deo creatum putas, & illius non posse resistere voluntati, hoc considera, quia vas fictile non dicit figulo, quare me sic fecisti? figulus enim habet potestatem de eodem luto aut eadem massa aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem aequali cunctos sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, ut faciat vnusquisque quod vult, siue bonum siue malum. Intantum autem dedit omnibus potestatem, ut vox impia disputet contra creatorem suum, & causas voluntatis illius perscrutetur. Si autem deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae, apta ad interitum, ut ostenderet diuitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae preparauit in gloriam: quos & vocauit, non solum nos ex Iudaeis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee di-

Roman. 9.

Gene. 21.

Galat. 4.

Gene. 25.

cit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & erit in loco vbi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij dei viui, & cetera quae sequuntur. Si (inquit) patientia dei indurauit Pharaonem, & multo tempore poenas distulit Israelis, ut iustus condempnaret, quos tanto tempore sustinuerat, non dei accusanda est patientia, & infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate dei in perditionem suam abusi sunt. Alioquin vnus est solis calor, & secundum essentias subiacentem, alia liquefacit, alia indurat: alia soluit, alia costringit. Liguatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non est diuersa natura. Sic & bonitas & clementia dei, vasa irae quae apta sunt in interitum, id est populum Israel indurat: vasa autem misericordiae quae preparauit in gloriam, quae vocauit, hoc est nos qui non solum ex Iudaeis sumus, sed etiam ex Gentibus, non saluat irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis praecedentibus: quia alij non susceperunt filium dei, alij autē recipere sua sponte voluerunt. Hae ille. Nosti ex erudita Hieronymi doctrina praedestinationem nullis hominum meritis, sed soli diuinæ misericordiae inniti, nec reprobatione negatiuam ab hominū demeritis & flagitijs pendere. licet fides hominum ad assequendam aeternam vitam felicitatem plurimum conducatur, & infidelitas detradat hominem ad stygias inferorum paludes. Adde quod Augustinus in epistola ad Sixtum presbyterum, nostras tuetur partes, vbi exponendo praescriptam figuli similitudinem fingentis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, dicit: Quia vniuersa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddidit iustitia, honorē donat indebitum gratia, non meriti praerogatiua, non facti necessitate, non temeritate fortunae, sed altitudine diuitiarum sapientiae & scientiae dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen. Nolunt autem ut sit ipsi gloria in iustificandis impijs gratuita gratia, qui eius ignorantes iustitiam, suam volunt constitutere, vel iam conclamantium religiosorum & piorum vocibus pressi, ita se fatentur ad habendam seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, ut sui praecedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare ut retribuat eis, ab illo de quo dictum est: Quis prior dedit illi? & retribuetur ei: & suo putantes praere merito illum de quo audiunt, aut potius audire nolunt, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Deinde inuehitur acriter Augustinus in Pelagianos, & eos qui meritis praecedentibus attribunt superbe praedestinationis rationem, & vsque adeo liberum attollunt arbitrium ut minimam laudis partem diuinæ gratiae tribuendam esse existiment: Hic iterum (inquit) isti liberi arbitrij defensores, imò deceptores, quia inflatores: & inflatores, quia praesumptores: non aduersum nos, sed aduersum Euangelium lo cuturi, quid aliud dicunt, quam id quod Apostolus sibi quasi à talibus diceretur obiecit? Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis resistit? Hanc contradictionem sibimet ipse tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce qui nolunt accipere, quod superius dixerat: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo inuenire possumus quid dicamus: O homo, tu quis es qui respondeas deo? Subinde prudenter te monet, ne velis altius aut sanè curiosius scrutari profunda dei iudicia, cur illum potius quam illum liberet, alioquin ingens tibi immineret praecipitium. Sed auditae iam sententiae mentem infigito, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: Iacob etiam antequam ex utero materno egrederetur, dilexit, Esau autem odio habuit. Hae autem absconsa, & nobis imperuia mysteria contemplando, dicit: Quid enim diligebat in Iacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiae suae donum? Et quid oderat in Esau ante-

Augustinus

Roma. 11.

Roma. 10.

Roma. 11.

quam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligere iustitiam, quam nullam ille fecerat: neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat. Mirum autem cum his coarctantur angustijs, in quanta se abrupta precipitent, metuentes retia veritatis. Ideo (inquiunt) nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praeuidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut aduersitatis obiecta quaestione, non id potius tam breue, tam apertum, tam sicut isti putant, verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici poterit, quod vnum deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse sibi obiecta quaestione, motum exprimens auditoris, quid ergo dicemus? inquit: nunquid iniquitas apud deum? Absit. Hic ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt, futura enim deus opera praeuidebat, quando minori maiorem seruiturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. cum enim dixisset: Absit, ut sit iniquitas apud deum, tanquam ei diceremus: Vnde hoc ostendis? cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, maior seruiet minori. Moyses enim dicit (inquit) Miserebor cui misertus ero, & misericordiam praestabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Vbi nunc merita, vbi opera, vel praeterita vel futura tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda? Nonne apertam prorulit Apostolus de gratuita gratia, hoc est, verae gratiae commendatione sententiam? nonne stultam fecit deus haereticorum sapientiam? Quid autem agebatur ut hoc Apostolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipsorum oppugnet amentia, quod superbia non capiunt, quod sapere nolunt. Qui ignorantis dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiam dei non sunt subiecti. Si non nihil tibi sit iudicij, facile cognosces ex sana & luculenta Augustini doctrina, deum non ex eo dilexisse Iacob, quod futura eius merita praeuiderit. ne quis vanam & inanem ex suis operibus gloriam aucupetur. Nec Esau propter futuram eius malitiam reprobasse, reprobatione quidem negatiua: eumque odio habuisse. quandoquidem quis dignus est odio propter peccatum perpetratum, & non propter futurum scelus, nisi iam praconcepta futuri flagitij nequitia nobis innotuerit: sed antequam Esau in mundum exisset, nihil in vtero materno mali moliebatur: nihil denique in animo gestabat quod dignum esset reprehensione, igitur. His subnectit idem doctor quod conducit magnopere ad extollendam dei in praedestinatis gratiam. Electionem autem gratiae nullis fieri operum praecedentibus meritis, alio loco apertissime idem Apostolus ostendens, sic inquit: Et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae saluae factae sunt: si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Secundum hanc ergo gratiam etiam propheticum testimonium assumens: Sicut scriptum est (inquit) Iacob dilexi Esau autem odio habui. Et continuo, Quid ergo dicemus? inquit: nunquid iniquitas est apud deum? Absit. sed quare absit? an propter opera quae futura praesciebat amborum? imò & hoc absit. Moyses enim dicit: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam praestabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Atque ut in vasis quae perfecta sunt in perditionem quae damnata debita est massa, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia diuina largita sit. Dicit enim (inquit) scriptura ad Pharaonem: Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut glorificetur nomen meum in vniuersa terra. Denique ad vtrumque concludit, ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem iustissimo merito. Tum etiam

Roman. ix.

Roman. xi.

libro vno de fide ad Petrum diaconum, capite 3. perspicue monstrat praedestinationem non esse ex hominum meritis, sed gratuita dei beneficentia. Illi (inquit) cum Christo regnabunt, quos deus gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum, quia enim tales praedestinando preparavit, ut regno digni essent, preparavit utique secundum propositum vocandos, ut obediant: preparavit iustificandos, ut accepta gratia recte credant, & bene viuant: preparavit etiam glorificandos, ut Christi cohaereditates effecti, regnum caelorum sine fine possideant. Ad quod regnum diuersis temporibus per sacramenta, quae ad fidem incarnationis suae Christus instituit, illi perueniunt, quos deus gratis nullo bonae voluntatis, vel boni operis merito praecedente saluauit. Et capite 35. eiusdem operis dicit: Firmissime tene, & nullatenus dubites omnes quos vasa misericordiae gratuita bonitate deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum dei praedestinos a deo, neque perire posse aliquem eorum quos deus praedestinavit ad regnum caelorum, nec quendam eorum quos non praedestinavit ad vitam, vlla posse ratione saluari. Praedestinatio enim illa, gratuita donationis est preparatio, qua nos Apostolus ait praedestinos in adoptionem filiorum dei per Iesum Christum in ipsum. Sed haec facta Ephes. i. non intelligenda, quod praedestinus quatenus praedestinus, perire non potest. Nam deus prauidens finem praedestinatorum, scilicet aeternam gloriam, praordinavit & media siue adminicula quibus in caelum eueheretur. Simpliciter tamen praedestinus potest perire, eo quod praedestinatio non tollit libertatem hominis ad malum flexibilem, nec cogit hominem ut semper bene operetur. Eodem modo reprobis quatenus reprobis non potest ad regnum dei peruenire, potest tamen reprobis male actorum poenitentiam agendo, caelum conscendere. Siquidem dicit Paulus de oleastris in bonam oliuam insertis, quibus Gentiles (quos deus aliquando reiecerat) adumbrantur: Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & focus radicis & pinguedinis oliuae factus es, noli gloriari aduersus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, fracti sunt rami, ut ego inserar. bene. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem dei, si permaneris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potes est enim deus iterum inserere illos. Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quanto magis ij qui secundum naturam inserentur suae oliuae? Hae Paulus. Quis non animaduertit Paulum velle innuere infideles tandiu reprobari a deo secundum praesentem eius iustitiam, quandiu in sua incredulitate perseverant? quos tamen si non permanserint in suo Paganismo & infidelitate, sed fidem amplectantur, bonae & frugiferae inserit oliuae, eosque ad aeternas beatorum sedes vocat. si etiam Iudaei prius inserti non permanserint in sua incredulitate, poterit deus eos iterum inserere, & in pristinum statum reducere. Non absurde nec immerito diximus reprobationis negatiuae nullam esse causam, ita quod non emergebat a praeteritis hominum vitijs. Nam reprobationis affirmatiuae qua deus ordinat aliquem ad poenam aeternam, est aliqua causa: quandoquidem fieri non potest sine hominum demeritis, non enim deus vlciscitur scelus quod commissum non fuerit. Et malefacta, dei iustitia vindicatur. Non enim iuste vindicatur, nisi fuerit voluntate, ut asserit Augustinus libro primo de Libero arbitrio, capite 1. & in epistola ad Sixtum presbyterum, ostendens praedestinationem nullis hominum meritis debere accommodari: reprobationem vero affirmatiuam a demeritis proficisci, sic loquitur: Quaeimus meritum obdurationis, & inuenimus: quaeimus autem meritum misericordiae, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fide praecessisse, in qua esset

Ephes. i.

Roma. xi.

Augustinus.

1. Corint. 4. meritū gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidē vt acciperet fidē? Quid enim habet quod non accepit? si autē accepit, quid gloriatur quasi non accepit? Sicut enim non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem dei, nisi secundum prophetiū eloquium accepisset spiritum sapientiæ & intellectus, cōsiliij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris dei, sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit Apostolus: Non enim accepistis spiritū timoris, sed virtutis, & charitatis, & cōtinentiæ. Ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritū fidei, de quo idem ipse dicit: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur. Non autem merito accepisse, sed misericordia eius, qui cuius vult miseretur, manifestissime ostendit, vbi de seipso ait: Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Hæc ibi. Et licet prædestinatio sit infallibilis, non tamen vlla nostris operibus infertur necessitas, nec liberum tollitur arbitrium. quoniam deus cum præuidit finem prædestinatorū, præuidit & eorundem media, scilicet bona opera quibus æternam gloriam vnā cum dei subsidio consequerentur. Idcirco beatus Petrus nos cohortatur vt honesta opera faciamus, ne plus æquo diuinæ prædestinationi fidētes, oprato sine priuemur, sic enim ait: Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. hæc enim prædestinatum & electū, sicut dicit: Elegit nos deus ante mundi constitutionem, non tamē à præclaris honestæ vitæ officijs destitit. Bonum (inquit) certamē certam ui, cursum consummaui, fidē seruauit. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Nec ab his diuersum est quod dicit Hieronymus in primū Malachię caput: Dilectionē dei vel odium, esse aut ex præscientia futurorum, aut ex operibus. Beatus quoq; Ambrosius enarrans in Paulum quod iam adduximus: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, dicit: Sciendo enim quod vnusquisque illorum futurus esset, dixit: Hic erit dignus, qui erit minor: & qui maior, erit indignus. Vnū elegit præscientia, & alterum spreuit: & in illo quē elegit, propositum dei manet: quia aliud non potest euenire quā scit, & propositum in illo, vt salute dignus sit. Et in illo quem spreuit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit, hoc quasi præscius, nō personarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat. Quidam viri doctissimi dicunt prædestinationis aliquā esse causam respectu effectus, non autem respectu dei prædestinantis, si effectus ille particulariter consideretur. Nam sicut deus præordinauit se daturum alicui gloriam ex meritis, ita præordinauit se daturū alicui gratiam vt gloriam mereretur. Si tamen effectus prædestinationis vniuersaliter consideretur, prædestinationis nulla erit causa. Nam huiusmodi effectus habet pro ratione diuinam voluntatem, ad quam vt in finem destinatur.

CAPVT VIII.

1. Ioan. 5. **P**eccata quædam sunt pro quibus vt purgētur, nemo orare debet. Hanc eruimus Assertionē ex canonica Ioannis epistola prima, in qua scriptū est: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita, peccati non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Quid autem sit peccatum non ad mortē, & etiam ad mortem, explicat Augustinus Sermone 59. in quo agit de dilectione dei: Peccatum (inquit) nō ad mortem est si quisquam non amorem à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita, per infirmitatem aliquam animi non exhibuerit. Peccatum vero ad mortem est, cum post agnitionem dei per gratiam domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam qua reconciliatus est deo, inuidentiæ facibus agitur. Idem libro 1. de Sermone domini
- Augustinus

in monte. Et libro primo Retractionum, capite 19. non nihil addit quo certius & firmiter nostra stabilietur assertio, si is qui peccat ad mortem vsq; in tam scelerata mentis perversitate finierit vitam. Tria sunt si diligenter attenderimus, quæ vetat huiusmodi peccatū flagitiosum, & adeo enorme remitti posse, nec pro eius expiatione fundēdas esse preces. Primum, quod hoc vitio fœdatus oppugnat fraternitatem siue charitatem fraternitatis, quod sanè delictum est maximum, & omnibus odiosum. Alterum, quod aduersus ipsam gratiam, qua deo reconciliatus est ardentissimis inuidentiæ facibus armatur. Tertium, omnium certe deploratissimum, quod is qui peccat ad mortem vsque, in obstinata & scelerata mentis perversitate finit vitam, & misere moritur: quod si eum sui nephādi sceleris poenituerit, antequam hinc demigret, eius peccatum non dicitur esse ad mortem: quandoquidem pugnant hæc duo: hoc peccatum ad mortem vsque perseverat, & de illo quis poenitentia agit. Tum etiam dicit idem doctor egregius libro vno de Vera & falsa poenitentia, capite 4. si modo opus illud sit Augustinianum: Soli peccant in spiritum sanctum, qui impoenitentes existunt vsque ad mortem. Spiritus enim sanctus charitas est deitatis, amor est genitoris, & genitiæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit sui ipsius arram. Qui igitur peccat, & gratia suam recuperare non amat, & nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor & charitas, nec ad eum tendit vnde sumpsit arram, in spiritum sanctum peccat, & nunquam post mortem sicut nec viuens consequetur veniam. Hæc ibi. Ex hac colligam doctrina, peccatē ad mortem eo quod peccat in spiritum sanctum, existere impoenitentem ad mortem vsque. Et libro primo de Sermone domini in monte, differens de discrimine peccati non ad mortem, & etiam ad mortem, ita scribit: Ista differentia peccatorum, Iudam tradentem à Petro negante distinguit, non quia poenitenti vel petenti non sit ignoscendū, ne contra illam sententiam domini veniamus, qua præcepit semper ignoscendum esse fratri petenti vt sibi frater ignoscat: sed quia illius peccati tanta labes est, vt deprecādi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & agnoscere & annuntiare cogatur. Cum enim dixisset Iudas, Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum, facilius tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quā humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multū interest quali poenitentię ignoscat deus. multi enim multo citius se fatentur peccasse, atque ita sibi succentent, vt vehementer se peccasse nollent, sed tamen animam ad humiliandum & obtemperandum cor, implorandamque veniam non deponunt. Quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc fortasse peccare in spiritum sanctum, id est per malitiam & inuidiam fraternam oppugnare charitatem, post acceptā gratiam spiritus sancti, quod peccatum dominus neque hic, neque in futuro seculo dimitti dicit. Et fusius multo id declarat libro vno expositionis epistolæ ad Romanos inchoatæ, dicens: Ille peccat in spiritum sanctum, qui desperans vel irridens, atque contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur: & pacis, per quā reconciliamur deo, detrahat agere poenitentiam de peccatis suis, & in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurādum sibi esse decernit, & in finem vsque perdurat. Ad hæc, in epistola ad Bonifacium de Hæreticis moderate coercentis, explicans hæc Euangelij verba: Quicumque dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remitteretur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, ita loquitur: Non vtique omne quod in spiritum sanctum peccatur factū siue dicto, sed aliquod certū & proprium intelligi voluit. Hoc est autem duritia cordis vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat in vnitatem corporis Christi, quod viuificat spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorū. Cum enim dixisset discipulis, Accipite spiritum sanctum, continuo subiicit, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cui tenueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ dei, quicumque restiterit & repugnauerit,

Matth. 27.

Matth. 22.

Ibidem.

Ioan. 20.

vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vsque in finem huius temporalis vitae non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, hoc scilicet tam grande peccatum, vt eo teneantur cuncta peccata: quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cum de corpore exierit, quoadiu vero hic viuuit, eum (sicut dicit Apostolus) patientia dei ad poenitentiam adducit. Sed si ipse perseuerantissima iniquitate, sicut consequenter adiungit Apostolus: Secundum duritiam cordis sui, & cor impoenitēs thesaurizat sibi iram in die irae & reuelationis iusti iudicij dei, non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro. Vidēsne Augustini verba eò tendere, vt constanti iudicio censetur pro illo non esse orandum, qui suis tererrimis addictus vitijs, diuini muneris largitatem contemnit: & in hac obstinatione mentis, diem claudit extremum? Ferunt & nobis suppetias quae dicebat Heli suis filijs perditissimis: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest deus: si autem in deum peccauerit vir, quis pro eo orabit? quasi vellet innuere, Indignum est pro illo orare, qui suo enormi vitio diuinam maiestatem offendit, nec suffiunt hominis preces ad illud scelus expiandum. Quid autem sit in virum peccare pariter in deum, docte comonstrat Hieronymus in quaestionibus Hebraicis, dicens: In virum peccare, peccatum qualecunque est, leuior que remissio. In deum vero peccare, id est ab eius cultu recedere, impietatis peccatum est, difficilius remissio. Et quoniam cum in virum quis peccat, placato sibi viro, facit sibi deum placabilem: in deum autem cum quis peccat, quis orabit pro eo? Ac si dicatur, per quem, deum sibi in quem peccauit, propitium facere poterit? Nec à luculenta Hieronymi sententia discedit Augustinus, quaestione 55. super Deuteronomium, edificans locum illum: Peccauerunt ei non filij vituperabiles, quae praecedenti auctoritati connectit dicens: Peccare in deum, est in his peccare, quae ad dei cultum pertinent. Sic enim peccabat filij Heli, quibus hoc pater eorum dixit sic existimandum, peccari etiam in homines, qui pertinent ad deum. Nam hoc deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara: Propterea pepercit tibi ne peccares in me. Peccare autem in domino, vel potius peccare in dominum, nisi forte alicubi scriptum occurrat, quod huic sensui resistat, hi mihi videntur non immerito dici, qui piam poenitentiam peccati sui non agunt, vt glorificetur ignoscens dominus. Causam quippe reddens Dauid, cur dixerit, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, subiicit, & ait: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Siue cum dicit deus: Iudicate inter me & vineam meam, siue de domino Iesu Christo intelligatur, qui solus verissime dicere potuit: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, id est quicquam peccati, quod morte sit dignum: sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite, eamus hinc. Tanquam diceret: Etiam si leuissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi: & in me non habebit quicquam, sed surgite, eamus hinc, id est vt patiar: quia in eo quod patior, voluntatem impleo patris mei, non poenam soluo peccati mei. Et quod Hieremias ait: Tibi peccauius patientia Israel, domino vtique suppliciter dicitur in poenitentia cum spe salutis & veniae. Et quod dictum est, Sana animam meam, quia peccaui tibi: hoc idem agitur, vt deus ignoscendo glorificetur, quia magna est eius misericordia super confidentes sibi, & redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, sed tantum vt reuertatur & viuat. Hic & ipse Dauid non solum in psalmo, verum etiam cum eum deus argueret per Prophetam, non sine spe propitiationis domini respondit: Peccaui domino. Medico enim vulneratus videtur quodammodo qui vt sanetur se subdit manibus medici, vt in eo medicinae opus impleatur. In hoc autem cantico prauidebat propheta futuros quosdam qui sic fuerat peccaturi deum offendendo magnis iniquitatibus suis, vt nec poenitentiam agere vellent, & ad deum redire vt sanarentur. De quibus etiam alibi dicitur: Quoniam caro sunt, & spiritus ambulans & non reuertens. Potest etiam sic intelligi, Peccauerunt non ei, se-

cundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi. ¶ At dicit quispiam, Nullum est peccatum quod feruenti contritione & lachrymis deleri non possit, igitur peccatum ad mortem est remissibile: quod si remitti possit, quis vt remittatur orare poterit. Ad haec, deus est infinita misericordia, igitur assiduis precationibus placari poterit, & per consequens pro peccato ad mortem quis audebit orare. Tum etiam dicit Augustinus libro vno de Vera & falsa poenitentia, cap. 4. Sunt quaedam peccata venialia, quae oratione dominica quotidie soluntur, & haec non sunt ad mortem: alia vero quae sunt ad mortem non sic, sed per fructus poenitentiae soluntur. Qui Petrum lachrymantem suscepit, remissionem non negauit baptizatis: iam enim audierat, Tibi dabo clauēs regni caelorum, qui licet postea dominum negauerit, & à se amicos Christi excommunicauerit, per poenitentiam & amaros fletus veniam recuperauit. Et lib. 1. Retract. cap. 19. dicit: De quocumque pessimo in hac vita constituto, non est vtiq; desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. Eiusdem est sententia Ambrosius lib. 1. de Poenitentia, capite 12. dicens Paulum docere non deserendos eos qui peccatum ad mortem fecerint, sed potius lachrymarum panibus, & potu coercendos flebili, ita tamen vt ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat, Et potum dabis eis in lachrymis, in mensura: vt ipsa moestitia mensuram habeat, ne forte abundantiore tristitia absorbeat qui agit poenitentiam, sicut scripsit ad Corinthios Paulus, Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? ¶ Istis occurremus argumentis, caeq; seorsim diluemus. Primi solutio, Admittimus nullum esse peccatum in se, siue in ratione peccati consideratum, quod profluentibus lachrymis & poenitentia deleri non possit: si tamen fuerit peccatum ad mortem vsq; siue in spiritum sanctum, non remittetur, quia is qui tali scelere foedatus est, detractat agere poenitentiam, & misere in duritia & obstinatione sui cordis moritur, & tanta est sui peccati labes vt deprecandi humilitatem subire non possit. Secundi solutio: Nemo nescit deum esse infinita misericordia, nec vllam esse peccati cum diuina clementia comparationem, deumque quantum est ex se semper esse paratum & promptum ad condonandum peccatoribus etiam sceleratissimis veniam: sed culpa in peccantem ad mortem vsque intorquenda est, qui ob peruersam deprauatam voluntatis malitiam, & obduratum animum contemnit agere poenitentiam, & pedicis diaboli irretitus diem claudit extremum. Quod autem ex Augustino & Ambrosio adductum est, non esse deserendos qui peccant ad mortem, & eorum peccata saluberrimo poenitentiae fructu posse solui: hoc concedimus spectando vasa diuinae misericordiae, & si in tam scelerata mentis peruersitate non finierint vitam: quod si ita contigerit, audeamus dicere illos non perpetrasse peccatum ad mortem. Nam cum diximus sectando ymbra diui Ioannis, non esse interpellandum deum pro illo qui peccat ad mortem, firma & inconcussa animi sententia intelligimus. Si (vt dicit Augustinus) in tam scelerata mentis peruersitate finierit vitam. Non enim arbitramur haec duo connecti posse, iste peccat simpliciter ad mortem, & deo gratus moritur. Absurde siquidem dixisset Ioannes, Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, si precibus hominum huiusmodi peccatum quod est in spiritum sanctum, remitteretur: quod si remittatur, cum tamen principio remissionis aduersaretur scilicet spiritui sancto, cuius gratiam pertinaciter oppugnabat, non putes simpliciter fuisse ad mortem. Et hanc ex Hieronymo sententiam confirmabimus, cum enim exponit illum Hieremiae locum, Dixit dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. Cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocausta & victimas, non suscipiam eas, &c. dicit: Stultum est orare pro eo qui peccauerit ad mortem, dicente Ioanne, Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum non ad mortem. ieiunia, & preces, & victimae, & holocausta tunc proficiunt, cum recedimus à vitijs & nemus antiqua peccata. Sin autem in sceleribus permanentes, putauerimus votis atq;

facrificijs redimere nos, vehemēter erramus, iniquum arbitantes deum. Qui enim semel gladio, & fami, & pesti fuerit destinatus, nullis precib⁹ erui potest. Vnde & propheta dicitur, ne frustra roget, quod impetrare nō possit. Afferit & Clithoueus in suis ad Cyrillū additionibus ad 8. caput Euangelij Ioānis, Peccatum ad mortem, esse impoenitentiam, & continuam in peccato ex animi electione perseverantiā. Possū conijcere Ioannem nos monuisse ne oremus pro illo qui mortuus est in peccato mortali, licet antequā ē vita decederet, poteramus interpellare dominum, vt ei veniam condonaret. Nec ab hac coniectura discedit Lyranus edisserens quod iam ex Ioanne prouulimus: Est peccatum ad mortem, scilicet (inquit) finalis impoenitentia, qua quis in mortali peccato moritur. Non pro illo dico vt roget, quia non est orandum pro damnatis. Esti ipso viuente sciretur, quod esset de praecitis, similiter non esset pro eo orandum, vt poenam aeter- nam euaderet, vt dicunt aliqui. Posset tamen quis orare pro eo, vt minus peccaret, & per consequēs minus puniretur in inferno. Sed quia hoc nescitur, eo quod quilibet peccator quandiu uiuit, potest redire ad gratiam, ideo pro omnibus peccatoribus adhuc viuētib⁹ est orandum.

CAPVT IX.

Peccata esse paria haereticus est Iouiniani. Hieronymus refellit lib. 2. aduersus Iouinianū, absurdissimum huiusce imperitissimi hominis errorem, qui in Stoicorū deliria & profundam insaniam delapsus, existimauit peccata omnia esse paria, & eos qui integre suū seruauerint baptismū, aequale post hanc vitam consequuturos praemium: quē validissimis rationibus infectatur, eiusq; inauditam opinionē euertit. Et in primis docet deum non reddere inaequalibus meritis aequalem mercedē. Et ad id suadendum adducit quod Paulus de seipso dicebat: Gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed amplius omnibus illis laboraui: non ego autē, sed gratia dei quae in me est. Veruntamen in eo quod se humiliat, ostendit posse apostolos alios minores, alios esse maiores: & qui utiq; vas electionis dicitur & cunctis amplius laborauit, non est iniustus deus, vt obliuiscatur operis eius, & dispar meritū aequali mercede compēset. Dehinc legimus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur, vnusquisq; autem in suo ordine. Quando vnusquisq; in suo resurget ordine, utiq; diuersa sunt merita resurgentium. Non omnis caro eadem caro, sed alia hominū, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. & corpora caelestia, & corpora terrestria: sed alia quidē caelestium gloria, alia autē terrestriū. alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum. Quod tu scilicet doctus interpretis sic exposuisti, vt diceret spirituales differre à carnalibus. Ergo & spirituales & carnales in caelestibus erunt, & iam non solū oues, sed etiam hirci, tui conscendent regna caelorum. Stella (inquit) à stella differt in claritate, non oues & hirci, sed oues & oues, id est stella & stella. Deniq; (inquit) alia claritas solis, & alia claritas lunae. Ne stellā & stellam totū humanā multitudinis assereres genus, solē posuit & lunā, quos certe inter hircos non poteris numerare. Sic (inquit) erit & resurrectio mortuorum, vt iusti in claritate solis luceāt, & qui in sequenti gradu sunt, lunae splendore rutilēt, vt alius lucifer sit, alius arcturus, alius orio, alius mazuroch, & cetera stellarū vocabula, quae sacratē in Iob volumine continentur. Omnes enim (ait) manifestari nos oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; quae gessit per corpus, siue bonū siue malum. Ac ne forsitan dicas ante tribunal Christi nos manifestari, vt boni bona, mali recipiāt mala: in eadem epistola docet, Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Certe & qui plus, & qui minus seminat, de parte sunt dextra. Et cum vnus sementis genus sit, tamen mensura & numero differūt. Scribit ad Ephesios idem Paulus, Vt nota fieret nunc principatibus & potestatibus in caelis per Ecclesiā mul-

tiplex & varia sapientia dei. Cernis q̄ in diuersis agminibus Ecclesiae, varia & multiplex sapientia dei praedicatur? Necnon in eadem epistola, Vnicuique autem nostrum data est gratia, iuxta mensuram gratiae Christi: non quod mensura Christi diuersa sit, sed tantum gratiae eius infunditur, quantum ualemus haurire. Deinde aduersus eundē Iouinianum cōfligendo, ostēdit planē non esse idem huius & futuri seculi iudiciū: Certe (inquit) dominus & latrones aequali iudicio crucifixi sunt: si idem est huius seculi futuriq; iudicium, ergo qui hic pariter crucifixi sunt, & in futuro similiter habebuntur. Paulus & qui eum uinxerant, simul nauigant, simul sustinent tempestatē, simul nauis fluctibus dissipata, in littus euadunt. Negare non potes quin inter uinctum & uincientes diuersa sint merita, & quomodo vnum Apostoli militūmq; naufragium? Refert postea Paulus apostolus reuelationem, & eos qui in nauis fuerant dicit sibi à domino esse donatos. nunquid is cui donatur, & qui donatur, vnus meriti sunt? Decem sancti peccatricem possunt eruerē ciuitatem. Loth cum filiabus ereptus est de incendio, liberati essent & generi, si exire uoluissent: & certe multa differentia est inter Lot & generos eius. Liberatur Segor vna vrbs de Pentapoli, & quae eiusdem meriti erat, atq; vni sententia subiacebat, cui Sodoma & Gomorra, Adama & Seboim, sancti precibus custoditur. Ecce diuersum meritum in Lot & Segor, & tamen de incendio pariter euadunt. Latrunculi, qui absente Dauid vastauerāt Sicelech, & vxores eorum & liberos in praedā duxerant, die tertia caduntur in campo, & quadringenti homines ascensis camelis fugiunt. Dic aliquam inter eos qui caesi sunt, & qui fugere potuerunt, esse distantia. Demum ostēdit Hieronymus, peccata non esse paria, eo quod non omnium peccatorū vnum est & idem supplicium: quod tamen oporteret, si peccata essent paria. Legimus in Euangelio turrem Siloe cecidisse super decē & octo viros, & obrutos occidisse. Certe iuxta sententiam saluatoris, non soli fuerant peccatores, sed in formidinem reliquorum puniti sunt, vt pestilente flagellato stultus sapientior fieret. Si omnium peccatorū vnum est supplicium, iniuste alius occiditur, & per mortem alterius alius cōmonetur. Etiam in passione Christi omnes declinauerunt, simul inuiles facti sunt, & non fuit qui faceret bonum, non fuit vsque ad vnum. Audebim⁹ igitur dicere sic negasse Petrum & ceteros apostolos qui fugerunt, quomodo Caiphā & Pharisaeos, & clamantem populum, crucifige, crucifige, talem? Huic rationi non nihil addā, Caiphā & Pharisaei, quos inuidiae flamma adurebat, ex eo grauius deliquerunt quā Petrus, quia ex inuidia & certa malitia clamabant, vt Christus omnium innocentissimus affigeretur cruci. Petrus timore mortis imminētis percussus, negauit suum dominum. Hoc autem scelus non nihil excusationis & veniae promeretur, sed ad Hieronymum redeo. Et vt (inquit) de apostolis taceā, eiusdem ne tibi sceleris videbitur reus Annas & Caiphā & Iudas proditor, cuius & Pilatus, qui nolens compulsus est contra dominum ferre sententiam? Quanto maioris meriti fuit Iudas, tanto maioris criminis est: & quanto maioris criminis, tanto maioris & poena. Potentes enim potenter tormenta patiuntur. Rursum sunt peccata leuia, sunt graua. Aliud est decem milia talenta debere, aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo, & adulterio, rei tenebimur: sed non est idem suffundi & torqueri, erubescere & longo tēpore cruciari. Putas nostrū esse quod loquimur? Audi apostolum Ioannē, Qui scit fratrem suum peccare peccatū non ad mortem, petat, & dabit ei vitā, peccanti non ad mortem. Qui vero peccauerit ad mortem, quis orabit pro eo? Cernis quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam: si pro maioribus, difficilis impetratio sit, & inter peccata & peccata, magnam esse distantiam. Vnde & de populo Israel, quia peccauerit peccatū ad mortem, dicitur ad Hieremiā: Noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis deprecationem, & non obstitas mihi, quia non exaudiam te. De eo autem q̄ niteris approbare conuicium, & homicidiū, rhaca & adulteriū, & otiosum sermonē & impietate, vno supplicio repēfari,

nunc breuiter respondebo: Aut peccatorē te negabis, vt non sis reus gehēnā, aut si peccator fueris, etiam de leui crimine duceris ad tartarū. Os (inquit) quod mentitur, occidit animā. Suspico te aliquando vt hominē fuisse mentitum, omnis enim homo mendax, vt sit solus deus verax, & iustificetur in sermonibus suis, & vincat cum iudicauerit. Aut igitur homo non eris, ne mendax sis: aut si quia homo es, mendax fueris, cū parricidis & adulteris punieris. Nulla est enim inter peccata diuersitas, & non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime leuas, quantum irascuntur, quos propter leue quotidianūq; peccatū in exteriores tenebras retrusisti. Denique manifeste docet (enarrando illa Christi verba: Amen dico vobis, tolerabilis erit terrā Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quā illi ciuitati) varijs peccatis diuersa imminere supplicia: Si, inquit, tolerabilis erit terrā Sodomorum & Gomorræorū, quā illi ciuitati quæ non receperit Euāgelium: & idcirco tolerabilis, quia Sodomis & Comorris non fuit prædicatum, huic autē prædicatum sit, & tamen non receperit Euāgelium: ergo & inter peccatores diuersa supplicia sunt. Hæc ille. Quod si excusseris & alterum Euāgelij locum, in quo Christus respondens Pilato sibi vindicanti potestātē vt eum cruci affigeret vel à morte liberaret, dicit in hunc modum: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset. desuper: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatū habet: animaduertes facile peccata non esse paria, sed illa esse longe grauiora cæteris, quæ proxime siue immediate auertunt hominē à deo: qualia sunt blasphemia, mendacium, periurium, inuidia. Illa verò minus graua quæ non abducunt hominem immediate à deo sed mediate, & proxime aduersantur dilectioni proximi, vt fornicatio, adulterium, &c. Beatus quoq; Chrysostrmus huic plaudit assertioni, homilia de Præmijs sanctorum, & gehenna malorū: Haud equè (inquit) idem beatis omnibus in dei regno honos habebitur, siquidem neq; Christi discipulos, inter se pares omnes fuisse constat: tres enim erant, qui cæteris præstarent, quos inter distare etiam videbatur, quippe cum deo vel minima quæque acriori sunt curæ. Astrum enim (inquit) ab astro differt gloria. Tamen si discipuli omnes pro apostolis haberentur, vniuersiq; sint super sedes duodecim confessuri, palāmque sit & sua singulos reliquisse cum Christo, & vitam duxisse singulos: qui tamen cum esset orandi gratia secessurus, tres secum sumpsit, alioquin hos inter neminem præstare asserit, cum dicit: Sedere enim ad dextram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus à patre paratū est. Item & Petrum reliquis præfert, dicens: Petre amas me plus his? Et alibi: Ioannes autem cæteros præter ab eo colebatur. Erit autem diligentissima in omne inquisitio, adeo vt si parua aliqua vel minima proximum excefferis, vel id sit deo curæ futurum, & ita vt ex fulgore superne accepto, beatorum quiuis cognosci possit. Nempe & Loth cum iustior haberetur, haud tamen Abraham par esse iustitia videbatur. Item & Ezechias cum æquior esset, nec tamen Dauid æquitate erat assimilis. Prophetæ insuper omnes cum iustitia abundarent, non erant tamen vel singuli cum Ioanne conferendi. Vbi igitur sunt, qui post tam acerrimā meritorū inuestigationem, nullam fore gehennam arbitrantur? quando & iusti omnes, si vel paruo reliquos antecesserint, haudquaquam paria sunt præmia recepturi, vt illud: Astrum enim ab astro distat gloria. quo ergo pacto facinorosi eadem cum iustis statione futuri sunt? Huiusmodi rerum confusionem, ne deum dixerim, neq; hominum quempiam facturum existimauerim. Quod si liber ex priscorum hominum erratis, & quantum illi inter se distent, & dei quā accuratissimū sit iudicium, patefaciam. Peccauit Adam, peccauit & Eua, ita vt vtrique præuaricati sint: vtque nec pariorum errata, sic ab simili sunt affecti supplicio. Siquidem horum adeo erant peccata diuersa, vt Paulus asserat Adam nihil fuisse fallaciæ perpeffum: quin Eua, quia seducta sit, fuisse præuaricatā, et si non impar esset vtriusque deceptionis conditio, factum tamen est diuina illa & diligentissima inquisitione, vt tanta delin-

quentium argueretur diuersitas, quod Paulus illud dicere compulsus sit. Porro ob fratricidium cruciabatur Cain, cum Lamech, qui hominem paulo post necasset, nullo sit eiusmodi tormento affectus: cumque horum vterque humanum sanguinem fudisset, grauius tamen esset Lamech culpandus, quod Cain exemplo nihil in melius profecisset: sed quoniam neque fratrem admonitus interemit, neque admissi facinoris delatore, qui commissa æderet, indignuit: neque domino de cæde quærenti impudentius respondisset, quin nemine inculante ipse homicidij se arguens damnasset, facilius est sceleris veniam assecutus: Cain vero, quoniam his longe aliena facere est aggressus, cruciatibus & tormentis afficiebatur. Vides quā diligenter inuestigatione deus hominum facta disquirat? Et homilia vigesima septima in Mattheum, edisserens illum Euāgelij locum: Et sanatus est puer ex illa hora, dicit: Non enim pariter commissa in omnibus accipienda sunt, potentes enim potenter castigabuntur. Et qui nouit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit plagis multis: ita plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit poenas. Ideo sacerdos si pariter cum cæteris peccat, magis quā cæteri supplicio punietur. Tum etiam exponēdo parabolam illam: Assimilatum est regnum calorū homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatu est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius vñdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidit autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes, dicit: Perspicias quantum inter peccata & peccata discrimen est? Quantum enim centum denarij à decem millibus talē distat, tantum imò vero multo plus ea quæ in hominem peccata distant ab his quæ in deum committuntur, quod tum differentia personarum, tum crebritate, imò vero continentia peccandi perspiciuntur. Nam cum peccantes nos homo quispiam videat, veriti à peccando desistimus: cum autem deus, quotidie delinquentes perspiciat, nequaquam veremur, sed omnia intrepide facimus, atque dicimus: neque hac ratione solum, verum etiam & propter collata beneficia, & honoris gratiam, quo diuinitus præditi sumus, aduersus deum delicta grauiora redduntur. Ad hæc commentando scripturam illam, Cum autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, statem in loco sancto, qui legit intelligat, dicit: Quid enim illo diuite nequius, qui Lazaro neque de micis quidem dari sustinebat? Qui quoniam cum esset locuples, crudelitatem exercuit, miserabilior cæteris factus, nec stillam aquæ consequi poterat. Nam si duo quidem improbi fuerint, quorū alter diues sit, alter pauperie prematur, quoniam non æquali fortuna hi vtuntur, non eodem ibi, sed qui melioris conditionis hic fuerat, maiori supplicio affligetur. Videmus ergo istum grauius vexatum, qui secūdis dum viueret, rebus abusus est. Quare cum videris inique ditatū, felicitate vti non parua, ingemisce atq; lachryma. Nam hæc prosperitas maiores sibi præparat poenas. Quemadmodum enim multa peccates quotidie si ad penitentiam redire contēnunt, thesaurum iræ sibi thesaurizant: sic qui non modo vexationes huius seculi effugiunt, verum etiam bonis fruuntur, ibi cruciabuntur. Cuius rei non à futuris solummodo rebus, verum etiam à præfenti vita exemplum tibi præstabo. Beatus enim ille Dauid quādo cum Bersabee delictum illud comisit, & per prophetā arguebatur, idcirco vehementius accusabatur, quoniam nimium honoratus à deo, ita spurce labebatur, exprobrationē ipsius à deo audias: Nōne (inquit) in regē re vñxi, & de manu Saulis erui re, & quæ fuerunt domini tui tibi cōcessi, & vniuersam Iudæ ac Israelis domū? Et si hæc pauca tibi essent, alia quoq; tibi adiecissem, cur flagitium hoc fecisti coram me? Non sunt quippe eadem in omnibus p. iij.

peccatis, sed multa variâque supplicia. Nam & atate, & educatione, & dignitate, & ingenio, & vsu rerum atq; prudentia, alijsq; compluribus variâtur. Hæc ille. Et licet authore diuo Iacobo, Qui offenderit in vno, factus est omnium reus: eo quod deo displicet, & poenâ peccato debitam aliquando exoluet, & qui habuerit vnam virtutem, subinde & omnes habebit: non tamen cõsequens est, vt omnia peccata sint paria, vt perspicaciter docet Augustinus in epistola ad Hieronymum, in qua illam Iacobi autoritatē exponit: Nam illud (inquit) de inseparabilitate virtutum, nisi forsitan fallor: tamen si verum memini, quod vix memini, omnibus philosophis placuit, qui easdē virtutes agendæ vitæ necessarias esse dixerunt. Hoc autem de paritate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani, quā eorum vanitatē in Iouiniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autē & defendendis voluptatibus Epicureus: de scripulis sanctis dilucidissime conuicisti, in qua tua suauissima & præclarissima disputatione satis euidenter apparuit, non placuisse authoribus nostris, vel ipsi potius quæ per eos locuta est veritati, omnia paria esse peccata. Et libro vno contra mendacium ad Consensum, cap. 15. dicit: Vnde enim est peccatum, nisi quia iustitiæ contrarium est? Dicatur ergo alia magna, alia parua esse peccata, quia verum est, nec auscultandum Stoicis, qui omnia paria esse contendunt. Meminit & eiusdem hæreseos, libro vno de Hæresibus ad Quod vult deum, capite 82. Et aperitissime demonstrat libro quarto de Baptismo, contra Donatistas, capite 19. vt facilius Iouinianistarum errorem oppugnes, quosdam in inferis secundum diuersitatem peccatorum, acerbius multo quàm alios cruciari. Nec dubitandum est (inquit) ipsas poenas quibus cruciabuntur, qui regnum dei non possidebunt, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias alijs acriores, vt in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum, sint disparia tormenta poenarum. Neq; enim frustra ipse dominus dicit: Tolerabilius erat Sodomis, quàm vobis in die iudicij. Sed tamen ad non possidendum regnum dei, tantundē valet ex vitijs illis quod elegeris mitius, quantum vel plura vel vnum quod perspexeris grauius. Et quia illi possessuri sunt regnum dei, quos ad dexteram cõstituet ille iudex, nec eis qui ad dexteram constitui non merebuntur, aliquid aliud quàm ad sinistram esse remanebit, nulla reliqua vox est, quam sicut hoedi audiant ex ore pastoris, nisi: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, licet ex illo igne sicut dixi, diuersa possint distribui pro criminum diuersitate supplicia. Huic subscribit sententiæ Origenes, homilia nona in Ezechielem, dicens: Quod inæqualia sint peccata, scripturis vtentibus nulli dubium est: alia quippe magna, alia minora ab his esse dicuntur. Cum autem sint inæqualia, hoc est parua vel maxima: forsitan aliquis inquirat, quod inter vniuersa peccata sit maius: & procliuē suscipitur omnium peccatorum esse maius, siue fornicationem, siue immunditiam, siue quodcunq; libidinis inquinamentum. Sunt quidem & ista vere abominabilia atq; polluta, sed non talia quale hoc quod nunc à scriptura quasi maius omnium condénatur, à quo nos obseruare debemus. Quod ergo est peccatum maius omnibus peccatis: vtiq; illud propter quod & diabolus corrumpit. Quod est hoc peccatum in quo tanta sublimitas cecidit, vt elatus in iudicium incidat diaboli? Ait Apostolus: Inflatio, superbia, arrogãtia, peccatum diaboli est, & ob hæc delicta ad terras migravit de celo, vnde: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Dicit etiam Ambrosius enarrans in Paulum, quod dicit Propheta, Beati quorū remissa sunt iniquitates, &c. P salmographū tres gradus fecisse propter delictorum varietatem: quorum Primus gradus, iniquitas est vel impietas, dum non agnoscitur creator: Secundus, grauium peccatorum operibus: Tertius verò leuium. Hi autem gradus omnes in baptisate obliterantur. Hæc ille. Insuper omnibus compertum est non esse idem scelus priuatis & magistratibus manus inferre, & necare patrem & seruum, Præterea, si virtutes non sint pares, nec paria erunt vi-

Iacobi 2.

Augustinus

Matth. 11.

Matth. 25.

Origenes.

Timot. 3.

Iacobi 4.

Ambrosius.

Roman. 4.

Psalm. 31.

ria. Quis enim nescit magnificentiam liberalitatē præstantiorē esse, & iustitiam fortitudine? De hac re disputat Cicero in Paradoxo, cuius disputatio eò tendit, vt non tam Stoicorum sententiam refellere quàm approbare conetur. ¶ Decretabit quispiã, Priuatio non suscipit magis nec minus, vt vnus homo non est magis cæcus quàm alter: sed peccata sunt priuationes, eo quod includunt recessum à ratione: igitur peccata omnia sunt paria. ¶ Respondeo duplex esse priuationum genus. Est enim quædam pura priuatio, quæ corruptum esse aut ipsam corruptionem cõcludit, vt mors est mera vitæ priuatio: & tenebræ priuatio luminis, & huiusmodi priuatio non suscipit magis nec minus. Alia est priuatio secundum quid, & non pura, eo quod non nihil habitus oppositi retinet, & hæc cõsistit in corrupti, & non in ipsa corruptione, qualis est ægritudo quæ priuat debitum humorum contemperamentum, ita tamē quod aliquid eius remaneat, alioqui non remaneret animal viuum. Et hoc priuationis genus suscipit magis & minus ratione eius quod ex habitu contrario remanet. Nam inter ægros vnus est cuius temperamentum humorum magis læditur, quàm alterius, & acrius suam perferentia ægritudinem. Idem dici potest de turpitudine, & hanc priuationis rationem fortiuntur vitia, in quibus debita rationis commensuratio priuatur, non tamen omnino suffocatus est rationis ordo. Idcirco plurimum refert ad grauitatem peccati, vt plus vel minus abscedat à rectitudine rationis. Hac intellecta distinctiuncula, poteris facile diluere argumentum, quod priuatio simpliciter dicta, non suscipit magis neque minus, bene tamen priuatio secundum quid.

CAPVT X.

Peccatum mortale etiam vnicum, excludit hominem à regno dei, eumque æternis poenis dignum reddit.] Aliquot mihi ex Paulo suppetunt testimonia, ad hanc tuendam Assertionem. Depingens Paulus ad Corinthios, eos qui digni sunt vt nunquam ad cælum euehantur, sed ad aëtras inferorum tenebras detrusi, pereant, dicit: An nescitis quia iniqui regnū dei non possidebunt? Nolite errare, & parricidatim id suadet omnibus, Neque fornicarij, neque idolis seruietes, neque adulteri, neque molles, neque masculorū concubitores, neque fures, neq; auari, neque ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regnum dei possidebunt. Attende diligenter quos à beatorū consortio summouet, fornicarios, qui sancta Christi membra libidini prostituunt, eaque scortis copulant. Deinde idolorum cultores, qui pestilentissimo idololatriæ veneno labefacti, magis creaturam quàm creatorē colunt, suspiciunt, & adorant: & hoc nephando scelere digni sunt, vt æterna dei gloria priuentur. Vis plura? sub omnium oculos ponit turpissimū adulterij vitium, quo fidei integritas polluitur, & inita inter virum & vxorē foedera soluitur. Furtum deinde, auaritiã, ebrietatem, & maledicentiam, ac rapinam rejicit & auersatur, eaq; ceter plurimū officere, ne quis absolute huiusce peregrinationis curriculo hinc ad cælum demigret. Quod si ingemiscere debeamus, & vehemēter dolere, quod pro vno peccato mortali exclusus sit nobis æternæ ciuitatis aditus, nec quidē immerito, multo magis vociferari debemus & discrucari, nostramq; humanæ fragilitatis conditionem despiciere, q̄ tantis immergi vitijs, beatorum delicijs priuemur. Idem etiam celeberrimus Ceterum apostolus ostēdit in epist. ad Galat. neminem operibus carnis pollutum, & qui fornicationi, immunditiæ, & ceteris vitijs addictus est, æternā mercedem assequuturum. Eandem quoq; in sceleratissimum quēque, sententiam ad Ephesios protulit. Huic astipulatur assertioni beatus Augustinus lib. 4. de Baptismo cõtra Donatistas, cap. 18. dicens: Neq; enim de folijs hæresibus dicit Apostolus, quoniã qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. Sed non pigeat paululū aduertere quæ simul enumerauerit: Manifesta (inquit) sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorū seruitus, veneficia, inimicitia, contētionēs, amulariōnes, animositates, dissensionēs, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comestationes, & his si-

p. iij.

milia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. Constituamus ergo aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis feruentem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli utique dubium est, propter hoc solum quod hæreticus est, regnum dei non possessurum. Constituamus alium fornicatorem, immundum, luxuriosum, avarum, vel etiam apertius idolis dedicatum, veneficum, discordiosum, contentiosum, æmulum, animosum, seditiosum, invidum, ebriosum, comessatorem, sed catholicum: nunquid propter hoc solum quod catholicus est, regnum dei possidebit? agens talia de quibus sic concludit Apostolus: Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. Si hoc dicimus, nos ipsos seducimus. Nam sermo dei non nos seducit, qui nec tacet, nec parit, nec vlla adulatione nos decipit. Ideo quippe & alibi dicit: Hoc autem scitote cognoscetes, quonia fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & dei. Nemo vos seducat in anibus verbis. Non est ergo quod de sermone dei conquæramur. Dicit omnino, & aperte ac libere dicit, eos qui male viuunt, ad regnum dei non pertinere. Et in cap. 19. præcedentibus subnectit hæc: His igitur omnibus vitijs circumspecto catholico non adulemur, nec ei quia Christianus catholicus est, impunitatem quæ scriptura diuina non promittit, promittere audeamus. Nec si aliquid vnum habeat ex ijs quæ dicta sunt, debemus ei societatem supernæ illius patriæ polliceri. Ad Corinthios enim singula enumerat, in quibus singulis subauditur, quod regnum dei non possidebunt: Nolite (inquit) errare, neque fornicatores, neque idolis feruentes, nec qui alijs vitijs numeratis obsequuntur, regnum dei possidebunt. Non autem qui hæc omnia vitia simul habuerint, regnum dei non possidebunt, sed neque illi, neque illi: ut in singulis hoc subaudias, quod nulli eorum regnum dei possidebunt. Sicut ergo hæretici regnum dei non possidebunt, sic auari regnum dei non possidebunt. Tum etiam Hieronymus loquens in epistolam Pauli ad Galatas de operibus carnis, dicit: Nec refert vno quis à beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excludant. Nec ab hac dissidet sententia quod asserit Ambrosius, enarrando illum Pauli locum, Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno dei & Christi: Quia causa (inquit) amouenda sunt hæc, ostendit, quia talis fuerit, partem in regno celorum non habebit, quod est patris & filij. Nec defunt nobis præclara ex euangelicis literis testimonia, ad eandem rem comprobendam: Christus docens in monte suos discipulos, dicebat: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit consilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Paspicis & quidem dilucide pro vno scelere mortifero hominem æterno supplicio dignum esse. Qui temere & incandescete ira vocat suum fratrem fatuum, eum intellectu & prudentia spoliatur, ut dicit Chrysostomus, & subinde omni nobilitate, quæ obrem pro hoc cõuitio reus est gehennæ ignis. Cui sane subscribit Hylarius Canone quarto in Matthæum, dicens: Piaculi magni periculum est, quem salem deus nuncupauerit, eum contumelia infatuati sensus lacessere, & stultorum intelligentiam salientem, stultæ intelligentiæ exasperare maledicto. Istiusmodi igitur æterni ignis erit pabulum, ita quicquid lex in ipsis quidem operibus damnauit, Euangeliorum fides pro contumeliosa tantum verborum facilitate condemnat. Rursum, dicit Christus: Omnis qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Qui igitur non profiteretur fidem Christi, eo tempore quo teneretur profiteri, aut negat Christum esse deum, dignus est ut perpetuo delicijs paradisi priueretur, & ad densissimas inferorum tenebras conijciatur. Item spiritus blasphemia non remitteretur: & qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remitteretur ei, neque in hoc seculo neque in futuro. Agnoscis blasphemiam spiritus ita labefactare mentem hominis

Ephes. 5.

I. Corin. 6.

Hieronymus

Ambrosius.

Ephes. 5.

Matth. 5.

Chrysostomus.

Hylarius.

Matth. 10.

Matth. 12.

& cõtaminare, ut eam foelicissimo sanctorum consortio prorsus indignam reddat. Dicit quoque rex caelestis in extremo iudicio, ijs qui neglexerunt suppeditare alimoniam pauperibus, nec peregrinos in suo receperunt hospitio, nec denique nudos cooperuerunt. Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Chrysostomus homilia sexta, in secundâ Pauli epistolam ad Timotheum, dicit elemosynam solam neglectam, hominem gehennæ ignibus tradere, & ibidem docet ex solo vno defectu nos in gehennam mitti. Et homilia septuagesimatertia, Ad populum, dicit: Cum nobis vnum adest delictum, potest nos ad ipsam perditionis barathrum deducere.

Matth. 25.
Chrysostomus.

CAP. V. T. XI.

P

Ecceaturnæ fruitioni repugnat. Hanc decerpemus Assertionem ex Augustino. Priusquam tamen quod ex Augustiniana doctrina nobis erit commodissimum proferamus, hac ratione cõtendamus: Nemo potest æterna frui gloria nisi sit beatus, beatitudini autem repugnat peccatum: igitur & æternæ fruitioni. Minorem suadeo ex his quæ scribit Augustinus libro vno de Moribus Ecclesiæ catholice, capite tertio, dicens: Beatus autem quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque sit: neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiam si optimum sit. Nam & qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria & beatitudo in homine vno simul habitare cõsueuerunt: nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, vbi beata vita inueniri queat, cum id quod est hominis optimum, & amatur & habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligit? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum: nec quisquam qui eo fruitur, non est beatus: præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beate viuere cogitamus. Hæc ille. Sed quis non animaduertit peccatum impedire, ne homo habeat quod synccere amat, nec præsto habet quod diligit: igitur qui sordet peccatis, nullo modo est beatus. Consectanea est etiã peccato miseria, & gratiæ beatitudo. Quod si ob mortifera scelera quis in extremam corruat miseriam, fieri non poterit ut dura peccatorum sarcina præfocatus, perenni beatorum foelicitate fruatur. Tum etiam dicit idem Augustinus libro primo de Doctrina Christiana, capite tertio: Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus vtendum, aliæ quæ fruuntur & vruntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt: istis quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, peruenire atque his inharere possimus. Nos verò qui fruimur & vtimur, inter vtrasque constituti, si eis quibus vtendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam desectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur, inferiorum amore præpediti. Et capite quarto, ostendit non esse fruendum his terrenis delicijs, sed duntaxat beatitudine æterna, & primo explicat, quidnam sit, frui & vt: Frui, est amore alicui rei inherere propter seipsam: Vt autem, quod in vsum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam vsum illicitus, abusus potius, vel abusus nominandus est. Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beate viuere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri, & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus, vel marinis vehiculis quibus vtendum esset, ut ad patriam qua fruendum erat peruenire valeremus. quod si amoenitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conuersi ad fruendum his quibus vti debuimus, nollemus cito viam finire, & peruersa suauitate implicati alienaremur à patria, cuius suauitas faceret beatos. Sic in huius mortalitatis vita peregrinantes à domino, si redire in patriam volumus,

Augustinus

Roma. r. vbi beati esse possumus, vrendum est hoc mundo, non fruendum, vt inuisibilia dei per ea que facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est vt de corporalibus temporalibusque rebus aeterna & spiritalia capiamus. Ex definitione ipsius fruitionis, ita ratiocinabimur, Frui, est amore alicui rei inherere propter seipsam, sed peccatum vetat ne quis perfecto amore inherat deo propter se: igitur pugnat hanc adinuicem, Socrates vitio squallet, & tamē aeterna gloria fruitur, siue delectatur. Nihil siquidem coinquinatum intrabit in regnum caelorum. Et libro vno de Spiritu & anima, capite sexagesimoquinto, dicit: In illa aeterna beatitudine & perfecta, deo tripliciter fruemur: Videntes eum in omnibus creaturis, & habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundus erit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa trinitatem, & gloriosam illam sine vilo anigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim est vita aeterna & perfecta, vt cognoscamus patrem & filium cum sancto spiritu, & videamus deum sicuti est: id est, non eo modo sicuti inest nobis aut creaturis, sed sicuti est in semetipso. Verum quam magna est beatitudo illa, & quam abscondita ab oculis nostris. Oculis non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, quanta charitas, quanta suauitas, quanta iucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax dei est in illa, quae exuperat omnem sensum & intellectum, & quanto magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli donatum est experiri, nullus conetur effari. Adde quod si peccatum stare posset cum fruitione diuinae essentiae, illius ciuitatis aeternae voluntas non careret omni malo, nec esset ab omnibus vitijs immunis, quod est absurdissimum, & contra Augustinum dicentem libro vigesimo secundo, de Ciuitate dei, capite trigesimo. Erit ergo illius ciuitatis, & vna in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter aeternorum iocunditate gaudiorum, oblita culpam, oblita poenarum, nec tamen ideo suae liberationis oblita, vt liberatori suo sit ingrata. Deinde dicit, Non erunt memores sancti preteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleatur de sensibus eorum. Et capite secundo eiusdem operis dicit: Quia non fruitur deo natura angelica preuaricatrix, ideo est misera: ergo ex aduerso argumentabor, Quia fruitur deo natura angelica, in bono permanens, ideo est beata. quod si scintillulam peccati apud se retineret, non esset dicenda beata. Idem libro decimo, de Trinitate, capite decimo, dicit: Fruimur cognitjs, in quibus voluntas ipsa propter seipsa delectata coquiescit, sed quis tam stolidus est & adeo demens, vt audeat dicere voluntatem vitio deprauatam, & adhuc peccatorum laqueis irretitam conquiescere, & rebus summe desideratis oblectari? Nobis quoque fauet Chrysostomus priore paronesi ad Theodorum lapsus, loquens de perfectissimo beatorum statu: Concipe (inquit) animo statum vite illius, quantum homini concipere datur. nam iuxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest, ex ijs tamen quae audimus, ceu per anigmata coniecturam quantulumcumque faciemus. Abeunt dolor, tristitia, & gemitus. Quid igitur ea vita beatius erit? Non est cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit contumeliosum, nec inique oppressum, nemo exasperatum, aut irascentem, aut inuidem, nemo ardentem absurda concupiscentia, aut moerentem propter sumptum necessarium, aut a magistratu vapulatem. Omnis enim affectuum turba, quae hic sedata est, perimetur: omnia erunt pax, letitia, gaudium: omnia serenitas, & tranquillitas: omnia dies & splendor & lux, lux non quae nunc est, sed plane alia, quae hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni. neque enim occulitur illic aut nocte, aut congressu nubium, nec vrit neque inflammat corpora, nam nox non obubrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec aestus, nec alia huius generis immutatio, sed omnino alia est conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligent: non est illic senium, nec senectae mala: quaeque obnoxia sunt corruptioni, in medio & in pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit vbi que incorruptibilis

Ioan. 17.
1. Ioan. 3.
Esaia 64.
1. Corin. 2.

Chrysosto.

gloria, & quod omnium longe est maximum, continua fruuntur conuersatione cum Christo, vna cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus contemplare caelum, animaduerte permuratum fore habitum totius creaturae, nihil enim huiusmodi vt nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit ac praclarus, & quantum plumbo aurum vibrans ara, tantum hac rerum praesentium specie futurus ille decor illustrior erit, quemadmodum beatus Paulus ait: Quoniam & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis. Etenim nunc suae corruptionis particeps, multa patitur, quae ferre corpus contingit: tum vero haec vniuersa reiciet, nobisque exhibebit elegantem & incorruptibilem habitudinem, incorruptibile nanciscetur anima corpus, quae & ipsa in melius formabitur. Vnde putas tum similtas: vnde pugna: iucundus nimirum concentus erit in hoc, quod omnes sancti perpetuo inter se consentient, nullus illic calumniator timendus, nullae demonum insidiae, nulla mina, nulla mors, nec ea qua hic extinguimur, nec altera, quae hac multo est acerbior, omnis harum rerum expectatio desijt. Hec ille. Ex cuius pulchra & eleganti doctrina, haec forma racemationis colligemus: In Elysijs campis nullae sunt contumelie, nullae oppressiones, nullus denique qui commoto animo & efferuescente iracundia, in alterum exasperetur, nulla fordida voluptatis concupiscentia, nulli luctus, nullae pariter inuidiae, & de ceteris vitiorum generibus idem dici potest, sed iucundissima beatorum harmonia, ac serena omnia & tranquilla. Quare mihi coniungere videtur miseriam cum summa foelicitate, qui nescio quibusdam argutiolis moti, dicunt peccatum summae fruitioni non aduersari. Scotus inter Scholasticos doctores solertissimus & ingeniosissimus, dicit in tertio Sententiarum, distinctione secunda, questione prima, Lumen gloriae & charitatem consummatam, non repugnare formaliter peccato. Sed nihil video quod tam facile, tam denique prompte repellere possit peccatum, quam splendidissimum diuinae gloriae lumen, & charitas consummata, quae nihil turpitudinis, nihil denique vitij ferre potest. Sed ille forsitan ad absolutam dei potentiam confugit, nec tamen potest esse perfecta & continua aeternae beatitudinis fruicio, iuncta peccato. Sed Scotica Scotistis discutienda relinquo.

Roman. 8.

Scotus.

Matth. 18.

Augustinus

CAPVT XII.



Peccata dimissa redeunt, vbi fraterna charitas non est. Hae Augustiniana est Assertio, quam ex Evangelica parabola deprompsit, in qua legimus seruum cui dominus misericordia commotus omne debitum dimiserat, ea inhumanitatis & crudelitatis insania erga suum conseruum laborasse, vt noluerit eius commisereri. cum autem dominus hanc agnouit ingratitude, gratiam quam illi contulerat, abstulit, eumque iracundus tradidit tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. hac autem parabola, dei erga peccatores benignitas & misericordia adumbratur, qui gratiam nobis praestitam, apud se reuocat, vbi nostri fratris commisereri nolumus. Et huic parabolae sententiam explicans Augustinus, libro primo de Baptismo, contra Donatistas, capite duodecimo, in quo disquirat, An sic accedenti ad sacramentum baptismi peccata dimittantur, ita loquitur: Nam redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, dominus apertissime docet in Evangelio, de illo seruo, quem cum inuenisset debitorem decem milium talentorum, deprecanti omnia dimisit. Ille autem conseruum suum qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, iussit eum dominus reddere quae ei dimiserat. Tempus ergo quo accipitur indulgentia per baptismum, tanquam tempus est reddendae rationis, vt omnia debita quae inuenta fuerint, dimittantur. Non tamen ille seruus postea dedit conseruo suo mutuum pecuniam, quam cum ille non posset reddere, non eius miseratus est, sed iam ei debebat conseruus eius cum ipse rationem domino suo reddens, tanti numeri debito solueretur, nec dimiserat conseruo suo quod ei debebat, & sic accesserat vt ei dimitteret dominus, hoc indicat verba conserui dicen-

ris: Patientiam habe in me, & omnia reddā tibi. Alioquin diceret, iam mihi hoc dimiferas, cur iterum reperis? Hoc & ipsius domini verba manifestius aperiunt, ait enim, Egredius autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Non dixit cui iam debitum centum denariorum dimiserat. Si enim dimiserat, non ei debebat. Quia ergo dixit, debebat ei, manifestum est, quod non dimiserat. Et melius quidem fuerat, atque hoc potius congruebat tanto debitori reddituro rationem, & expectanti misericordiam domini sui, ut prior ipse conseruo dimitteret quod ei debebatur, & sic ad rationem reddendam, vbi misericordia domini imploranda erat, accederet. Nec tamen illud quod nodum conseruo dimiserat, impediuit dominum eius, quo minus in illo tempore accipiendae rationis dimitteret ei omnia quae debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput eius propter odiorum perseverantiam, rursus omnia continuo replicata sunt? Sic non impeditur baptismi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiam si odium fraternum in eius cui dimittuntur animo perseverat. Soluitur enim hesternus dies, & quicquid superest soluitur, etiam ipsa hora momentūq; ante baptismum, & in baptismo. Deinceps autem reus esse continuo incipit non solum consequentium, sed etiam praeteritorum dierum, horarum, momentorum redeuntibus omnibus quae dimissa sunt peccatis, & haec saepe contingunt in Ecclesia. Et libro 3. eiusdem operis, capite decimotertio, sciscitādo, An remissio peccatorum per baptismum apud hereticos fiat, dicit: Si fit illic remissio debitorum per baptismi sanctitatem, rursus debita redemit per heresis, aut schismatis obstinationem: & ideo necessarium habet huiusmodi homines venire ad catholicam pacem, ut heretici & schismatici esse iam desinant, & eorum quae in illos redierat, peccatorum purgationem, in unitatis vinculo charitate operante mereantur. Hieronymus eandem disserens parabolam, nostrae fauet assertioni: Si quis nostrum (inquit) commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, maiora crimina decem milium talentorum rogantibus dimittuntur, si & ipsi dimittant minora peccantibus. Si autem ob factam contumeliam sumus implacabiles, & propter amarum verbum perpetes habeamus discordias, nonne nobis videmur recte redigendi in carcerem, & sub exemplo operis nostri hoc agere, ut maiorum nobis delictorum venia non relaxetur? Tum etiam Chrysostomus exponens illius parabolae conclusionem hanc: Sic faciet vobis pater meus, si non dimiseritis vniūquisque fratri suo de corde vestro peccata ipsorum, dicit: Diligenter igitur studemus, ne quenquam odio habeamus, si volumus ut nos quoque a deo diligamur, utque quavis decem millium talentorum rationes essent referendae, misericordia motus cuncta nobis remittat. Sed iniuria me vexavit, inquit. Miserere igitur eius, non auertaris ab eo, sed lachrymis & fletu ipsi auxiliator: non enim tu, sed ille deum offendit. Tu autem si pertuleris, valde deo te approbasti. Praeterea tecum crebro verte, quia Christus ad crucem iturus, ipse quidem gaudebat, de crucifigentibus autem lachrymabat. Quem ita imitari debemus, ut quo magis perseverat persecutores nostri, eo largiores lachrymas pro ipsis effundamus, innumera enim nobis hinc bona, illis autem non pauca incommoda comparamus. Sed coram (inquit) omnibus, & verbis & verberibus me duriter vexavit. Coram igitur omnibus de decore, atque infamia se notavit, & multorum aduersus seipsum aperuit ora, ubique maiores subtexuit coronas, & multos praecones patientiae ac magnanimitatis tuae constituit. Sed clam (inquit) apud alios mihi detraxit. Et quid hoc est? huius enim rei ratione deus, non illi qui detrahentem audierunt, petiturus est. Accedit quod poenas sibi multiplicauit, non de delictis suis solum, verum etiam de his quae de te oblocutus est, rationem redditurus: praeterea apud homines tibi detraxit, & apud deum sibi detractum est. Quod si haec tibi satis non sunt, cogita quia deo apud homines, quos maxime diligebat, diabolus detraxit, & vnigenito filio similiter. Nam si patrem familias (inquit) Beelzebub vocarunt, quid facient fami-

Hieronymus

Chrysostomus

Matth. 12.

liaribus eius? Nec oblectauit solum iniquissimus ille demon, verum etiam fides sibi adhibita est; nec minima, sed maxima ei crimina intulit, daemoniacum, seductorem, & aduersarium deo appellans. Sed magnis oppressus sum artibus ab eo (ais) qui beneficio meo conspicuus est. Ideo maxime tibi gaudendum est, quia deo qui tam ad probos quam improbos, solem oriri facit, similis factus es. Quod si arduum, ac vltra vires tuas imitatio dei tibi videtur, quamuis studiose difficile non sit, tamen quoniam teruo iudicio excedit, age ad seruatorum eius venias imitatione: Imitare Ioseph, qui ad seruitutem usque fratrum iniuria traditus, beneficio suo sponte ipsos subleuauit. Imitare Moysen, qui vel post mille iniurias pro populo deprecabatur. Imitare beatum Paulum, qui quamuis mille à ludæis afflictionibus quotidie premeretur, Anathema tamē esse pro salute ipsorum volebat. Imitare Stephanum, qui dum peteretur lapidibus, ut hoc peccatum lapidantibus remitteretur, orabat. Haec omnia cogitantes omne irae incendium extinguamus, ut & nostra deus delicta penitus remittat. Et hom. 1. in Acta apostolorum, ostendens omnia baptismi condonari peccata, dicit: Pro his delictis quae post baptismum commissa sunt, tantam damus poenam, quasi & illa reuocata sint, ac multo etiam grauiore: iam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex. Quod autem his grauior poena debeat, audi quid dicat Paulus: Qui spernit legem Moysi, sub duobus aut tribus testibus, absque misericordia morte luit poenas. Quāto putatis grauiore vindicta dignus censetur, qui filium dei conculcarit, ac sanguinem testamenti immundum duxerit, ac spiritui gratiae contumeliā fecerit? Accedit & Chrysostomi sententia Theophylactus, eundem Euangelij locum explicans: Cogita (inquit) quantum malum sit vindictae cupiditas, quandoquidem etiam donationem dei reuocat & irritat: tamen si dona dei ea sint, quorum non poeniteat illum, reuocatur tamen hac ratione & irritantur. Ad haec, Ambrosius dicit: Donate inuicem si alter in alterum peccat, alioquin deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio reuocabit sententiam, per quam misericordiam dederat: sicut in Euangelio de seruo nequam legitur, qui in conseruum suum impius deprehensus est. Adde quod Gregorius dicit: Ex dictis Euangelicis constat, quia si ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rursus exigitur quod iam nobis per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. ¶ At decertabit aliquis: Quod omnino in nihilum decidit, idē numero resummi non potest: sed peccatum dimissum omnino in nihilum decidit, & extinctum est: igitur idem numero resummi non potest. Nec deus eandem numero maculam iam poenitentia detersam, rursus imputabit homini, nec de illa bis suam feret sententiam. Argumentum istud ostendit, peccata iam dimissa nullo modo secundum se redire, nec quantum ad maculam, nec denique quantum ad reatum. Sed ex eo dicuntur redire & imputari, ut dicit Petrus Lombardus 4. Sententiarum, distin. 22. quia propter ingratitude ita reus constituitur peccator ut ante fuerat, sic quod homo per peccatum subsequens, post remissionem praecedentium delictorum vilissimam ingratitude notam sibi contrahit. Et sic peccata dimissa redeunt quantum ad effectum, scilicet quantum ad ingratitude. Et hoc confirmari potest ex eo quod scriptum est de Poenitentia, distin. 4. cap. Qui recedit, in quo scriptum est: Peccata dimissa redire dicuntur, quia quisquis post acceptam remissionem peccatorum ad vomitum redierit, tanto grauius punietur, quanto magis benignitate dei abusus, singulorum remissionis acceptae ingratus exitit.

CAPVT XIII.

Poenitentia dei munus, conceditur relapsis in vitium. Priorem huiusce Assertionis partem ex illo Hieremiae loco desumam: Conuerte me, & conuertar, quia tu dominus deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi poenitentiam. Tanta siquidem est humanae naturae fragilitas, ut nisi diuino iuuetur auxilio, ad dominum conuerti non potest: hac autem adiuta gratia, redit ad deum quem multis vitijs offenderat, & diffuentes

Matth. 5.

Gen. 37. 43.

44. 45.

Exo. 32.

Roman. 9.

Acto. 7.

1. Timot. 5.

Theophyl.

Ambrosius.

Petrus Lombardus.

De Poenitentia, Distin. 4.

Hierem. 31.

ab oculis lachrymas sui sceleris repurgandi gratia profundit, eique plausibiliter
 Hieronym⁹ affurgit quem olim contempserat. Enarrās Hieronymus illa Hieremię verba, dī
 cit: Ergo id ipsum quod agimus poenitentia, nisi dei nitamur auxilio, implere non
 possumus. Postquam enim cōuerteris me, & ad te conuersus fuero, tunc cognoscā
 quia tu dominus deus meus es, & nequaquā errores mei atque peccata interficient
 me. Et postquam conuertisti me, egi poenitentiam. Vide quātum sit auxilium dei,
 & quā fragilis humana conditio, vt hoc ipsum quod agimus poenitentiam, ni-
 si nos dominus antē conuerterit, nequaquam implere valeamus. Hęc ille. Et licet
 poenitentia sit donum dei, non propterea consecrarium erit, vt in detergendis
 animi fordibus nihil humanum operetur arbitrium: huic enim gratiā & liberali
 dono libera facultas cooperatur, nec eam finit esse vacuum si iram dei placare ve-
 lit. Hęc quoque tueretur assertionem Chrysoſtomus homilia sexta, in Matthæum,
 Chryſosto. dicens: Dei est humiliatam dare animam, tremētē, pressam, pudicam, poeniten-
 tem atque compunctam. Hęc enim sunt dei munera, quia & nos talibus potissi-
 Ephesios 6. biles lucta virtutes: aduersus spiritalia nequitia, & contra huius mundi princi-
 patus & potestates pugnandum est, ac studendum, & semper oprandum vt ferum
 Ambrosius. illum superemus exercitū. Tum etiam Ambrosius libro decimo, super Lucam,
 ad vigesimūsecundū caput Euāgelistę, differens de lachrymis quas Petrus de lar-
 gissimo cōpunctionis fonte pro abstergenda sua culpa excussit, planē docet pec-
 catorem nō posse suum lugere peccatum, nisi dominus eum respexerit: Bonę (in-
 quit) lachrymę quę lauant culpam. Denique quos Iesus respicit, plorant delictū.
 Lucę 22. Negavit primo Petrus, & non fleuit, quia non respexerat dominus: negavit secū-
 do, non fleuit, quia adhuc non respexerat dominus. Negavit & tertio, respexit Ie-
 sus, & ille amarissime fleuit. Respice domine Iesu, vt sciamus nostrū deſere pec-
 catum, lauare delictum. Vnde etiam lapsus sanctorum vtilis. Nihil mihi nocuit
 Augustinus. quod negavit Petrus, profuit quod emendauit. Nec Augustinus transuerso quidē
 vngue ab hac discedit sententia, libro primo, de Cratia Christi, contra Pelagium
 & Cælestium, capite 45. vbi ita scribit: Ipsam denique poenitentiam quam procul-
 dubio volūtas agit, domini misericordia & adiutorio fieri vt agatur. in decimo
 eiusdē operis libro beatus dicit Ambrosius, ita loquens: Bone lachrymę quę cul-
 pam lauant. Denique quos Iesus respicit, plorant delictum. Refert & quę iam ex
 Ambrosio adduximus, cuius verbis hęc adiicit: Legāt isti Euangelium, & videāt
 dominum Iesum tunc intus fuisse, cum à sacerdotum principibus audiretur: apo-
 stolum verò Petrum foris & deorsum, in atrio cum seruis ad focum tunc seden-
 tem, nunc stantem, sicut veracissima & concordissima Euangelistarum narratio-
 ne monstratur. Vnde non potest dici quod corporalibus oculis eum dominus vi-
 sibiliter admonendo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est, Respexit eum do-
 minus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia
 dominus latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua
 visitauit Petrū, interioris hominis vsque ad exteriores lachrymas mouit & pro-
 duxit affectum. Ecce quemadmodū deus adiuuando adest voluntatibus, & actio-
 nibus nostris. Ecce quēadmodum velle & operari operatur in nobis. Facit & plu-
 Roman. 2. rimum ad hęc confirmandam veritatem, quod dicit Paulus ad Romanos, Ignoras
 quoniam benignitas dei ad poenitentiam te adducit? quasi velit innuere, non
 te latere debet deum esse paratissimum, vt te à sentina vitiorum, si vt decet, eius
 opem postules, explicet: vt post lachrymarum pluuias, serenitas mentis sequa-
 tur atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dis-
 soluatur. quod si ad Eremum poenitentia adducaris, nihil de tuis viribus præsu-
 mas, nec tantum beneficiū tuis studijs tuęque diligentię attribuas, sed hanc gra-
 tiam deo optimo referas acceptissimam: qui vt tua expiarentur scelera, illas re-
 quisiuit lachrymas, quę non ostentationi proficiunt, sed compunctioni, quę fun-

duntur occulte, quęque ex intimo cordis dolore profluunt, quę intra conscientię
 thesaurum, & pectoris arcana celatur, quę per afflictas genas nullo hominū teste
 voluūt, quę summo in silentio & quiete defiliūt, quę ex tribulatione & tristitia
 nascuntur, quęque solius dei oculis offeruntur. ¶ Ad suadendum secundā assertio-
 nis partē nobis Ezechiel pr opheta suppeditat argumentum. In cuius vaticinijs le-
 gimus dominū dixisse, ne quis de eius misericordia desperet: Si impius egerit poe-
 nitentiam ab omnibus peccatis suis quę operatus est, & custodierit vniuersa præ-
 cepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium
 iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus
 est, viuet. Nec intelligenda sunt dūtaxat hęc domini verba de illo, qui semel la-
 psus est in peccatum, sed etiam si frequenter relapsus multis occalluerit vitijs. Nā
 antequam è carcere corporis soluatur, potest ingemiscendo ad vberimum diui-
 nę misericordię fontem confugere, in eoque sordes animi proluere, & quam ali-
 quando admisit culpam, detestari. Nec solum vult dominus deus nobis vnus de-
 licti, veruētiam omnium veniā condonare. Huius prophete locum excutiēs Hie-
 Hieronym⁹ ronymus, dicit: Si is qui prius fuit impius atque peccator, postea egerit poeniten-
 tiā, & ad meliora conuersus, pristina peccata deleuerit, nō iudicabitur vetustate,
 sed in dei suscipietur gregē in nouatione virtutis. Eadem penē sunt quę in eodem
 Ezechielis volumine legimus: Dic ad eos, viuo ego, dicit dominus deus, nolo mor-
 Ezechie. 33. tem impij, sed vt cōuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimi-
 ni à vijs vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel? Tu itaq; fili hominis,
 dic ad filios populi tui, Iustitia iusti non liberabit eum, in quacūque die peccauerit:
 & impietas impij non nocebit ei, in quacūque die conuersus fuerit ab impie-
 tate sua. Prius fiebat sermo ad eos, authore Hieronymo, qui volūt agere poeniten-
 tiam, & iustitia, peccata delere, vt cum fiducia cōterrantur, & pleno animo agant
 poenitentiam. Hic autē ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, imò im-
 pietatum suarum desperant salutem, & dicunt, iniquitates nostrę, & peccata no-
 stra super nos sunt, & in ipsis tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? Et est
 sensus, Cum semel nobis mors proposita sit, & vulneribus nostris nulla medici-
 na possit restituere sanitatem, quid necesse est laborare, & frustra cōsumi, & præ-
 sentem vitam non cum desperatione transigere, vt saltem hac fruamur, quia fu-
 turam perdidimus? Quibus responder deus, non velle se mortem impij, sed vt re-
 uertatur & viuat. Et apostrophā facit ad impios desperantes, conuertimini à vijs
 vestris pessimis. Atque vt sciamus qui sint impij ad quos loquitur, sequens sermo
 demonstrat: Quare moriemini domus Israel? Vita autē & mors in hoc loco, non
 Psal. 114. hęc significatur qua omnes cōmuni cum bestijs lege nature vel viuimus, vel mor-
 te dissoluimur, sed illa de qua scriptum est: Placebo domino in regione viuorum.
 Et anima quę peccauerit, ipsa morietur. Et à speciali cōmonitione qua Israel do-
 mui loquebatur, ad generalē transit disputationem, quod & iustum præteritæ nō
 saluēt iustitię, si nouis sceleribus fuerit occupatus: & peccatorem, vel impium an-
 triqua peccata non perdant, si operibus iustitię, veteres emendarit errores: desim-
 que non præterita in vtroque iudicare, sed præsentia: Si dixerō (inquit) iusto vita
 viues, & ei præmia iustitię pollicitus fuero, confisusque ille peccauerit, omnes iu-
 stitię eius pristina, obliuioni tradentur, & præfenti iniquitate morietur: nec mea
 est mutata sententia, cum non possim eidem homini peccatori reddere quod iu-
 sto promiseram. Econtrario si peccatori & impio fuero comminatus, & dixerō:
 Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur, & ille egerit poenitentiam, bonis que ope-
 ribus veterem emēdarit errorem, ita vt iudicium faciat & iustitiam, pignus resti-
 tuat, rapinamque reddat, in mandatis vitę ambulet, nec faciat quicquam iniustū:
 Iona 3. nōnne debet vita quę Christus est, viuere, & nequaquam mori? cum comminatio
 Ioan. 14. peccatoris iustum punire non debeat. Et in epistola ad Rusticum, ostendit mani-
 feste, locum poenitentia concessum esse relapsis in vitia, & qui peccatum peccato

2. Reg. 11. accumularunt. David (inquit) adulterio iunxerat homicidium, & tamen conuersus ad lachrymas, Miserere ait, mei deus secundum magnam misericordiam tuam: Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Magnum enim peccatum, magna indigebat misericordia. Vnde iungit & dicit, Multū laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui (rex enim eram, alium non timebam) & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Conclufit enim deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur. Tantūque profecit, vt dudum peccator & poenitens transferit in magistrum, & dicat: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Confessio enim & pulchritudo coram eo, vt qui sua confessus fuerit peccata, & dixerit: Putruerunt, & corruptę sunt cicatrices mee à facie insipientiæ meę, fœditatem vulnerum in fanitatis decorem commutet. Qui enim abscondit iniquitatem suam, non prosperabitur. Achab rex impijssimus, vineam Nabuthę cruore possedit, & cū Hiezabel non tam coniugio sibi, quàm crudelitate coniuncta, Helię increpatione corripitur: Hęc dicit dominus, occidisti, & possedisti. Et iterum, In loco in quo linxerunt canes sanguinē Nabuthę, sibi lingent sanguinē tuum. Et Hiezabel canes comedent ante muros Iezrael. Quod cū audisset Achab, scidit vestimēta sua, & posuit saccum super carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in cilicio, factusq; est sermo domini ad Heliam, dicens: Quoniam reueritus est Achab faciem meam, non inducam malum in diebus eius. Vnum scelus Achab & Hiezabel, tamen conuersus ad poenitentiam Achab, poena differtur in posteros, & Hiezabel in scelere perseuerans, presenti iudicio condemnatur. Loquitur & dominus in Euangelio: Viri Niniuitę surgent in iudicium cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia egerunt poenitentiam in predicatione Ionę. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Drachma perit, & tamen inuenitur in stercore: nonaginta nouę oues relinquuntur in solitudine, & vna ouis quę aberrauerat, pastoris humeris reportatur. Vnde & latitia angelorum est super vno peccatore poenitentiam agente. Quanta fœlicitas vt de salute nostra exultent cęlestia? De quibus dicitur: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorum. Nullum in medio spatium, mors & vita sibi contraria sunt, & tamen poenitentia copulantur. Luxuriosus filius totam prodegerat substantiam, & procul à patre, vix porcorum cibus inedia sustentabat. Reuertitur ad parentem, immolatur ei vitulus faginatus, stolam accipit & anulū vt Christi recipiat vestimentum, quod dudum polluerat, & audire mereatur: Candida sint semper vestimenta tua. Receptoq; signaculo dei, proclamet ad dominum: Pater peccaui in cælum, & coram te, & reconciliatus osculo, dicat ad eum: Signatum est super nos lumen vultus tui domine: iustitia iusti nō liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & iniquitas iniqui non nocebit ei, quacunque die conuersus fuerit. Vnumquemque iudicat sicut inuenerit. Nec preterita cōsiderat, sed presentia, si tamē vetera crimina nouella conuersione mutantur. Septies cadit iustus, & resurget. Si cadit, quomodo iustus? Si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per poenitentiam semper resurgit. Et non solū septies, sed septuagies septies delinquenti, si conuertatur ad poenitentiam, peccata donantur. Cui plus dimittitur, plus diligit. meretrix lachrymis pedes saluatoris lauat, & crine detergit, & in typū Ecclesię de gentibus cōgregatā meretur audire: Dimittuntur tibi peccata tua. Pharisei iustitia perit superbia, & publicani humilitas cōfessione saluatur. Istis accessionem ex Chrysofomo desumptam adiiciemus, qui differendo scite & copiose illum Pauli locum ad Hebręos, Esau poenitię locum non inuenit, quāuis cum lachrymis inquisisset eam, eo qđ nō respuit vt debuit, ita loquitur: Vis videre integram poenitentiā? aduerte Petrum qualiter poenituerit, postquam negauerat Christum. Narrans namque Euangelista eius histo-

riam: Et exiens (inquit) plorauit amare. Idcirco illi remissum est tam grande peccatum, quia sicut debuit, poenitentiam gessit: Quamuis necdum illa vera hostia pro nobis erat oblata, necdum erat & sacrificium factum, necdum quoque peccatum erat absumptū. Adhuc enim dominabatur, adhuc tyrannico more sauebat. Et vt agnoscat quod non tantum ex negligentia venerat illa negatio, quantum ex eo quod dereliquerat deus, volens eum eradire, vt cognosceret humanę naturę modum, & non esse contradicendum magistri sermonibus, neque vellet sapere ceteris altiora, sed sciret quia sine deo nihil potest fieri, & quia nisi dominus edificauerit domum, in vanum laborant edificantes eam. Propterea enim etiam ad ipsum solum dixit Christus: Quoniam petiuit Satanas veritatem te, sicut qui ventilat triticum, & non permisi, ne deficiat fides tua: fortassis enim alta sapiebat, merito cōscientiæ suę fretus, quod plus diligeret Christum: propterea plorauit amare, & cetera fecit, quę post ploratum de illo similia referuntur. Quę sunt autem ista? Videlicet quod se postea commisit mille periculis, & ex multis fortitudinis eius robor ostenditur. Etiam Iudas poenituit, sed male: laqueo se namque suspendit. Poenituit etiam, sicut iam dixi, & Esau, sed male, magis autem iste neque poenituit: lachrymę quippe illę non erant poenitię, sed animi violēti, & indignationis extortę, quod ex eius operibus aperitur. Poenituit & Beatus David, dicens: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymisque meis stratum meum rigabo. Et peccatum quod ante multum tempus admiserat, post tantos annos, tantęque generationes lugebat, veluti de recenti tempore perpetratum. Poenitentem quippe non conuenit indignari, neque exasperari, quin potius contineri sicut condēnatum, & fiduciam non gerentem, & veluti qui per misericordiam saluari desiderat, veluti reprobum, & mille supplicia promerentem. Si hęc secum cogitauerit, non irascetur, non indignabitur, sed luctu macerabitur, plorabit, ingemiscet, lamentabitur diebus ac noctibus. Poenitentię non oportet peccatū suum obliuioni contradere, sed dominum deprecari, vt deus quidem peccati eius non meminerit, ipse autē nunquam debet obliuisci: si autē nos peccati nostri memores simus, deus obliuiscitur eius. A nobismetipsis percipiamus sententiam, nosmetipsos accusemus, tunc demum propiciabimus iudicem verū. Peccatum enim confessione minuitur, confessione verō contempta pergit in peius. Peccato namque si accesserit impudentia, & irreuerentia veri iudicij, quomodo poterit euitari, ne in illud denuo decidatur? Non igitur negemus obsecro peccata nostra, neque nos impudentia duos efficiat, sponte nostra peccata puniamus, ne pendamus non sponte supplicia. plura leges apud eundē, Tomo secundo, in homilijs de Poenitentia: in quibus ostendit, poenitię locum concedi relapsis in vitium. Tum etiam, si relapsis non esset confugiendum ad profuentissimū poenitię fontē, eisq; non pateret respiciendi via, desperarent certe de amplissima dei erga peccatores misericordia, quod est inauditum, & quod etiam refellit Augustinus libro, vno Enchiridij ad Laurētium, capite sexagesimo quinto, dicens: Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, dei desperanda est misericordia agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati. in actione autem poenitię, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatū deus non spernit. Verum quia plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quęcunque alia signa procedit, cū sit coram illo cui dicitur: Gemitus meus à te nō est absconditus, recte constituuntur ab ijs qui Ecclesię præsunt tempora poenitię, vt fiat etiam satis Ecclesię, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eā quippe non remittuntur, ipsa namq; proprie spiritum sanctū pignus accepit, sine quo non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus dimittuntur, consequantur vitam æternā. Et homilia vigesima prima, aperit res.

piscentiæ campum, his qui rursus in vitium collapsi sunt: Quisquis (inquit) peccasti, & dubitas agere poenitentiam pro peccato tuo, desperado salutem tuam, audi David agentem. Ad te Nathan propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama: audi gementem, & congemisce: audi flentem, & collachrymare: audi correctum, & collatere. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est enim ad David regem Natha propheta. Ille autem non consideravit regni sui sublimitatem, sed humilis & mitis non respuit verba precipientis. Non dixit ad prophetam: Tu cum sis pauper & humilis, quomodo ausus es mihi loqui regi? Rex sublimis prophetam audiuit, plebeus humilis Christum audiat. Audi ergo hæc quicumque aliquod crimen capitale fecisti, & dic cum illo, Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam misericordiam confitetur. Beatus quoque Cyprianus, in Epistola ad Nouatianum hereticum, ostendit non esse inutilem poenitentiam post lapsum: Demus (inquit) totis viribus fidei nostræ deo laudem, demus plenam confessionem, quandoquidem super poenitentia nostra gaudeant virtutes celorum, gaudeant angeli omnes, gaudeat & Christus qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena & clementi moderatione cessare à facinore horratur, dicens: Conuertite vos, & redire ab impietatibus vestris, & non erunt vobis iniquitates vestre ad poenam, projicite à vobis omnes impietates vestras quas fecistis aduersum me, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et ut quid vos morti traditis domus Israel? Non enim desidero mortem peccatoris. Ego sum, ego sum qui deleo facinora tua, & commemorabor te. Tu autem in mente habe & iudicemur. Dic tu facinora tua prius ut iustificeris. Dum pater fratres indulgentiæ aditus, deum plenis satisfactionibus deprecemur. Ad hæc, Tertullianus libro de Poenitentia, docet quantum commodi nanciscamur ex dolore preteriti delicti: Poenitentiam (inquit) ita inuade, ita amplectare, ut naufragus alicuius tabule fidem. Hæc te peccatorum fluctibusmersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Adde quod Ambrosius libro primo de poenitentia capite vndecimo, elidit errorem Nouatiani, veniã post lapsum negantis, & præfertim ex illo Matthæi loco: Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et capite duodecimo, ad confutandum eundem errorem, profert psalmum illum: Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis delicta eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. vides ex hoc loco dominum omnibus promittere misericordiam. Et Origenes, homilia 15. super Leuiticum, dicit dominum venisse ut dimitteret contractos in remissionem, & salutem delicta sua consentientibus præberet. Huc accedit, quod dicit Gregorius homilia 12. in illud Euangelij, Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam: Quia deus (inquit) post peccata poenitentiam suscipit. Sed quis nescit hæc etiam intelligenda esse de his qui à gratia dei excidetes, rursus sordibus vitiorum se cõtaminarunt? At decertabit aliquis, videtur Paulus in Epistola ad Hebræos occludere viã respiscentiæ, his qui in vitia collapsi sunt, sic enim dicit: Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam. Hoc diluit argumentum Chrysoctomus, in suis ad eandem Epistolam cõtmentarijs, dicens: Non poenitentia exclusa est, sed renouatio per laucarum regenerationis. itaq; baptisimus cuique homini vnicus, iterari non debet: poenitentia quoque cum baptisimo suscepta, vnica est & semel recipienda: at vero post susceptum fidei laucarum, quoties in peccatum prolapsi fuerimus, si reuertamur ad dominum, poenitentia concedenda est. Rursus obijciat, Scribit idem Paulus in eadem Epistola, Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: igitur si non superstit hostia placationis pro peccatis, non erit dandus peccatis poenitentia locus. Verum

Paulus inibi non secundam, neque tertiam peccatorum remissionem aufert, sed hostiam quæ Christus est, in cruce iterum offerendam: quandoquidem resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sciscitabitur quispiam, An qui positus in vltima necessitate egritudinis sue, acceperit poenitentiam, & mox recõciliatus exit de corpore, securus hinc discedat. Huic quæstioni respondet Ambrosius, in Exhortatione ad poenitentiam agendam, dicens: Fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non presumo dicere, quia bene hinc exit. Non presumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. fidelis bene viues, securus hinc exit, agens poenitentiam dum sanus est, & recõciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Et paulopost dicit: Ages poenitentiam ad vltimum, & recõciliatus si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus. poenitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite. Ego illud planius expono, ne aliquis me male intelligat. Nunquid dico damnabitur: non dico: sed nec liberabitur, dico. An aliud mihi dicis, sancte episcope? Quid tibi dicam nescio, dixi non presumo, non promitto, prorsus nescio de dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari, vis quod incertum est euadere? Age poenitentiam dum sanus es. Si enim agis veram poenitentiam, dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Eiusdem est sententiæ Augustinus, homil. 41. de Vere poenitentibus. Nec ab his diuersum est quod dicit Gregorius exponens homilia 12. in varios Euangeliorum locos, illud Christi verbum, de fatuis virginibus: Amen dico vobis, nescio vos: Ibi (inquit) iam à deo non potest mereri quod perit, qui hic noluit audire quod iustit: quia qui tempus congruè poenitentia perdidit, frustra ante regni ianuam cum precibus venit. Hinc est enim quod per Salomonem dominus dicit: Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consiliu meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me. Ecce aperiri clamant, & repulsionis suæ dolore compulsi, appellationem dominantis ingeminant, dicentes: Domine, domine aperi nobis. preces offerunt, sed nesciuntur, quia tunc velut incognitos dominus deserit, quos modo suos per vitæ meritum non agnoscit. Vbi apte quoque generalis ad discipulos exhortatio subinfertur, cum dicitur: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

C A P V T XIII.

Poenitentia publicè non est secundus locus in Ecclesia. Hæc Augustina est Assertio, in Epistola ad Macedonium: in qua abunde docet, Sacerdotes debere pie intercedere pro promittentibus Ecclesiasticam poenitentiam: Intantum (inquit) hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam poenitentiam, post altaris reconciliationem: vel similia, vel grauiora committant, & tamē deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit, quam ante tribuebat largissima munera vitæ ac salutis. Et quamuis eis in Ecclesia locus humillimè poenitentia non concedatur, deus tamē super eos sue patientia non obliuiscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat: Aut date mihi eundem iterum poenitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit: quantum meis opibus adiuuor, & humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria danabili quidem apud dominum, sed apud homines plerisque etiam laudabili. Aut si me ab hac nequitia reuocatis, dicite vtrum mihi aliquid proficit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissima voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenauero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me poenitendo vehementius quam prius excitauero, si miserabilius ingemuero, si fleuero vberius, si vixerò melius, si pauperes sustentauero largius, si charitate que operit multitudinem peccatorum flagrauero ardentius, quis nostrum ita destit. q. ij.

pit, vt huic homini dicat, Nihil tibi ista proderūt in posterū, vade saltē vitę huius suauitate perfruere: auerrat deus tam immanē sacrilegāmq; dementia. Quāuis ergo caute salubritēq; prouisum sit vt locus illius humillimę poenitentię semel in Ecclesia cōcedatur, ne medicina vilis, minus vtilis esset egroris, quę tātō magis salubris est, quātō minus contēptibilis fuerit, quis tamē audeat dicere deo, Quare huic homini qui post primā poenitentia, rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterū parcis? Quis audeat dicere erga istos nō agi quod apostolus ait, Ignoras, quia patiētia dei ad poenitentia te adducit? Aut istis exceptis esse definitū quod scriptū est, Beati omnes qui confidunt in eū, aut ad istos non pertinere quod dicitur, Viriliter agite, & cōfortetur cor vestrū, omnes qui speratis in dominū. Cum igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia dei, vt in hac tēporali vita, moribus emendatis, non damnentur in eternū, qui nullius quę sibi prębeatur expectat misericordiā, quoniam nemo est illo beator, nemo potētor, nemo iustior, quales nos esse oportet homines erga homines, qui hanc vitam nostrā quantacunq; laude commēdemus, eam sine peccato esse nō dicimus. Quod si dixerimus, nos ipsos sicut scriptū est, decipimus, & veritas in nobis nō est. Hanc etiā Augustini de publica poenitentia sententiā recenset Gratianus de Poenitentia, dist. 3. capite Intantū, sed suppressit rationē propter quā poenitentię publicę nō est secundus locus in Ecclesia. Ne (inquit Augustinus) medicina vilis, minus vtilis esset egroris, quę tātō magis salubris est, quātō minus contēptibilis. Tum etiā dicit Ambrosius lib. 2. de Poenitentia, cap. 10. loquēs de illa poenitentia publica quę iterari nō debet: Merito reprehendūtur qui sepius agendā poenitentiam putant, quia luxuriātur in Christo. Nā si vere agerent poenitentia, iterandam postea nō putarent, quia sicut vnū baptisma, ita vna poenitentia, quę tamē publice agitur. Nam quotidiani nos debet poenitere peccati, sed hęc delictorū leuiorū, illa grauiorū. Facilius autē inueni qui innocentia seruauerint, quā qui cōgrue egerint poenitentia. Ad hęc, dist. 50. cap. Si quis post remissionē, scriptum est: Est quādā poenitentia quę solēnis appellatur, quę solū semel tantū in Ecclesia conceditur. Et capite Poenitētes, ostendit Gratianus secundū pręscriptū Concilij Agathensis, quomodo imponenda est hęc poenitentia: Poenitentes tēpore quo poenitentia petunt, impositionē manuum, & ciliciū super capita sua à sacerdote (sicut vbique statutum est) cōsequantur. Si autē comas non deposuerint, aut vestimenta nō mutauerint, abijciantur, & nisi digne poenituerint, nō recipiantur. iuuenibus etiā poenitentia nō facile committenda est, propter etatis fragilitatē: viaticum tamē omnibus in morte positus nō est negandum. Deinde ostēdit in subsequenti textu quę sint obseruanda in solenni poenitentia: In capite quadragesimę omnes poenitētes qui publicā suscipiunt aut susceperūt poenitentia ante fores Ecclesię, se repręsentēt Epi scopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terrā demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. ibi adesse debent decani, id est archipresbyteri, presbyteri parochiarū, & presbyter poenitentiu: qui eorum poenitentia & cōuersionē diligenter inspicere debēt, & secundū modum culpę, poenitentia per prefatos gradus inuigere. post hęc eos in Ecclesia introducant, & cū omni clero septē poenitentiales psalmos in terra prostratus episcopus cū lachrymis pro eorū absolutione decāter. Tunc resurgēs ab oratione iuxta quod Canones iubēt, manus eis imponat, benedictam aquā super eos spargat, cinerē prius mittat, deinde cilicio capita eorū operiat, & cū gemitu crebris suspirijs denūtiat eis: Quoniā sicut Adā proiectus est de paradiso, ita ipsi p peccatis ab Ecclesia abijciūtur. postea iubeat ministris, vt eos extrā ianuas Ecclesię expellāt, clerus verō prosequatur eos cum respōtorio scilicet, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, vt vidētes sanctā Ecclesia pro facinoribus suis tremefactā atque commotā, non parui pendant poenitentiam. in sacra autē domini coena rursus ab eorum decanis, & eorū presbyteris, Ecclesię liminibus repręsententur. Hanc poenitentia nulli vnquam clericorū

agere conceditur, atq; huiuscemodi poenitentes ad clerum admitti prohibentur. Adde quōd Origenes differens homin. 15. super Leuiticū, locum illum, Qui ven. Origenes, dederit domum intra vrbis muros, habebit licentia redimēdi, donec vnus im. Leuit. 25. pleatur annus, nō subtrahit solēnem poenitentiam quę pro grauissimis delictis iniungi solet. Si nos (inquit) aliqua culpa mortalis inuenerit, quę nō in crimine mortali, nō in blasphemia fidei, quę muro Ecclesiastici & apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morū vitio consistat, hoc est veditisse domum, quę in agro est, vel in vico, cui murus non est. Hęc ergo veditio huiuscemodi culpa semper reparari potest, nec aliquādo tibi interdicitur de cōmissis huiuscemodi poenitudinē gerere. In grauioribus enim criminibus semel tantum, vel raro poenitentia conceditur locus. Ista verō crimina quę frequenter incurrimus, semper poenitentia recipiunt, & sine intermissione redimūtur. Dicunt quidā viri doctissimi, poenitentiam publicā pro grauioribus & notorijs scelēribus irrogandā peccatori, ex eo solēniter fieri, quia publica culpa puniēda est publica poena: vt quī ex horrēdo & enormi scelere perpetrati sunt scandalum, auftera poena fatientur & edificentur. Hęc etiā poenitentia est alijs ad terrorē, quando insigni poena & cōfusione punitur in hoc mundo qui grauissimū scelus commisit. Nec tam graue & formidandū poenitentię genus adigit hominem desperationis laqueo, imō sanē quę castigat, à pedicis diaboli & æternis supplicijs vindicat. Nā illos qui aliquo temporis interitio ab Ecclesia exularūt, finito poenitudinis tempore reuocat ab exilio ad pristina Ecclesię libertatē, eosq; à vitijs respiscētes, arctissimo amicitie vinculo, sanctissimis Ecclesię mēbris connectit. Et hęc poenitentiam existimat Petrus Lombardus, 4. Sententiarū, Dist. 14. capite, Illud, non esse iterandam, propter reuerentiā sacramenti, vt non vilescat, & cōtempribilis fiat hominibus. Adde quōd non repetitur propter significationem. Quia signum est expulsiōnis. Adde de paradiso. Eriam quēdā est professio eam perpetuo conseruādi. Ab hac autē poena fiunt immunes clerici, non quidē propter fauorem personę, sed ordinis. Quia agens publicā poenitentiam, non debet sacris initiari ordinibus. quōd si episcopus talem ordinauerit, debet priuari potestate ordinādi, nisi exposceret Ecclesia necessitas, vt huiuscemodi minister alios ordinaret. Nec per poenitentiam publicā siue solēnem, sacerdos diuulgat peccatum cōfitentis. quōd enim publicū est, ex se amplius publicari non potest, potissimū quantū ad illos quibus iam innotuit tale peccatū. cum igitur talis poenitentia nulli iniungi debeat nisi pro peccato publico, sacerdos nullo modo peccatum cōfentis propalat: publicatur autē correctio poenitētis & innotescit per poenitentiam publicā, nec id quidem malū est.

CAPVT XV.

Pilatus condēnando Christum, minus peccauit quā Iudei accusando, & qui clamando eū occidere voluerūt. Hanc ex Euangelicis scripturis Assertionem deducam. In Euangelio Matthei scriptū comperimus, quid Pilatus principibus sacerdotū edacissima inuidia in Christū desauientibus responderit: Quē vultis dimittam vobis, Barrabā, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quōd per inuidiā tradidissent eū. Pilatus nullo inuidię stimulo mouebatur ad enecandū Christum, imō desiderabat maxime in exordio accusationum liberare Christum à morte, quę sciebat esse innocentē & iustum: sed ex eo, deliquit, quōd adiudicādo Christum morti, nō obseruauerit iustitiā & equitatem, quā ex officio tenebatur obseruare. debuit enim cognita Christi innocentia, quem falso accusabant Iudei, & quorū vafrae conpirationes intellexerat, potius cedere magistratui, quā iniquā in Christum ferre sententiā. Et quia etiam timebat offendere Cæsarem, & volebat fauorem Iudæorum sibi demereri: idcirco lata in Christū sententia permisit vt Iudæi Christū affigerent cruci. Principes autē sacerdotum, & seniores, rācore, odio & inuidia exalperari in Christū, non potuerunt caninam & plusq; ferinam animi rabie domare, do. q. iij.

nec animaduertihe filiū dei sententia iudicis adiudicatū esse turpissimę morti. Peccatū autem homicidij quod ex rācore, odio & inuidia procedit, lōge deterius est & grauius eo, quod ex fragilitate & timore proficitur. Chrysofomus exponēs hęc Pilati verba, Non audis quāta aduersus te isti testantur? dicit: Volebat ipsum satisfaciēte liberari. & paulopōst: Vides (inquit) quā diligēter ille prouidebat, vt eos ab hoc scelere liberaret. Et hoc non nihil habet virium ad suadendū peccatū Pilati minus fuisse peccato Iudeorū, qui sola inuidia cōmoti adegerunt Christum supplicijs. Sed quōd deliquit Pilatus iniquā ferendo aduersus Christū sententiā, nec omnino excusari debeat, ostendit idem Chrysofomus, edisserens locum illum: Tūc dimisit eis Barrabā, Iesum autem flagellatū tradidit eis vt crucifigeretur. Cur (inquit) flagellis cedit? Aut quasi condēnatum, aut quasi formam iudicio quandā afferens, vel vt Iudeis gratā rem faceret. Et certe resistere atque repugnare debuisset, præsertim eū ipse dixerit, Accipite vos, & secundū legem vestram iudicate ipsum. Etiā ex eo quod dicit Petrus, in prima Epistola Canonica: Tradebat autē iudicanti se iniuste, cognosces Pilatū deliquisse. Nam is qui iudicauit Christum iniuste, vt obiret mortem, erat Pilatus. Adde quōd Hieronymus enarrans verba hęc, Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciā de Iesu qui dicitur Christus: nostrę patrociniatur assertioni, dicens: Multas liberādi Saluatoris Pilatus occasiones dedit. Primū, latronem iusto conferens. Deinde inferens, Quid igitur faciā de Iesu, qui dicitur Christus? Hoc est, qui rex vester est. Cūq; responderēt, crucifigatur, non statim acquieuit, sed iuxta suggestionem vxoris, quę mandauerat, Nihil tibi & iusto illi, ipse quoq; respondit: Quid enim mali fecit? Hoc dicēdo, Pilatus absoluit Iesum. At illi magis clamabāt, dicentes: Crucifigatur, vt impleretur quod 21. psalmo dixerat: Circūdederunt me canes multi, & congregatio malignārium obsedit me. Et illud Hieremiz, Facta est mihi hęc hereditas mea, sicut leo in sylua, dederūt super me vocem suam. Esaia quoque in hac sententiā congruente: Expectaui vt facerent iudiciū, fecerunt autem iniquitatem & non iustitiam, sed clamorem. Et explicādo quod historia subnectit: Videns autem Pilatus quōd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus corā populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti, vos videritis, ita scribit: Pilatus accepit aquam iuxta illud propheticum, Lauabo inter innocentes manus meas, vt in lauaero manū eius, gentilium opera purgarentur, & ab impietate Iudeorum, qui clamauerunt, crucifige eū, nos alienos faceret, quodāmodo hoc contestans & dicens: Ego quidē innocentem volui liberare, sed quoniam seditio oritur, & perduellionis mihi contra Cæsarem crimē impingitur, innocens ego sum à sanguine iusti huius. Iudex qui cogitur contra Christum sententiam ferre, non dānat oblatum, sed arguit offerentes, iustū esse pronuntians qui crucifigēdus est. Vos (inquit) videritis. Ego minister sum legum, vestra vox sanguinē fundit. Hęc ille. Videtur tamē Hieronymus, omnino excusare Pilatū cum dicit, Iudex qui cogitur contra Christum sententiā ferre, non damnat oblatum: sed si plene intellexeris mentem Hieronymi, nō existimabis Hieronymum voluisse innuere Pilatum nihil mali, nihil denique vitij admisisse, ferendo sententiam aduersus Christum. Nam legerat in Euangelio Ioannis, Christum dixisse Pilato: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatū habet. peccauerat ergo Pilatus cum adiudicauerat Christū morti, minus tamen quā Iudas sui præceptoris proditor sceleratissimus. Nec cogebatur simpliciter Pilatus leuē illam & iniustam ferre sententiā, quia vt diximus poterat magis timendo deū quā homines, suo cedere officio: sed cogebatur secundum quid, ad declinandas seditiones quę subortæ fuissent, nisi Christum manibus Iudeorum crucifigendum tradidisset, & ne odium Cæsaris incurrisset. cum igitur dixit Hieronymus, non dānat oblatum; significare voluit, quōd iudex ille nō ram damnat oblatum, quā qui ex inuidia postulant innocentem occidi, & ad subeundum atrocissimum mortis tormētum adiudicari.

Illi adiudicabant Christum morti, lingua detractrice, & infana inuidia, iste verò metu, & vt plausibilem Iudeorum fauorem aucuparerur. Nec huic reclamant sententię Theophylactus, edisserendo Euangelicam hanc sententiam: Vtrum vultis dimittā vobis, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quōd propter inuidiam tradidissent eum: Pilatus (inquit) studebat absoluere, tamen lenitius quā oportebat: debebat enim se pro veritate obijcere. Primum quidem interrogabat dominū, Non audis quid illi contra te testificentur? interrogauit autē vt si Christus se excusaret, haberet occasionē absoluendi eum. At quū non defenderet se Christus, sciens se non dimissum iri, quantūuis se excusaret, aliam viā inuenit Pilatus, & confugit iam ad consuetudinem, quasi sic diceret: Si non vt innocentē dimittritis Iesum, etiam si damnatus sit, detis tamen hoc festo. Quomodo suspicari potuisset Pilatus, quōd innocentē ad crucifigendum peterent, & reū dimitterēt? Sciens igitur non esse reum, sed inuidia traditum, ideo interrogat eos. Vnde ostendit se plus quā equum erat molliorem, oportebat enim pro veritate periclitari. Hęc si calūnijs Iudeorū & pertinacissimę inuidentię cōferantur, qui nullo modo cupiebāt Christum à morte eripere, quod tamē Pilatus conabatur, apertissime demonstrant Pilatū condemnando Christū minus peccasse quā Iudeos, inexorabili sententiā petentes Christū crucifigi. Et paulopōst agens de pretextata & simulata Pilati lotionē, vt se à tanto crimine purgaret, dicit: Quomodo nō absoluit illū? quia non erat integrum dimittere illum, qui de tyrannide accusabatur. Verū oportebat causas inquirere illū, num milites conscriberet, num arma fabricaret: nūc autem quasi mollis & mutus cedit, & idcirco nō caret reprehensione. Nam quū peterent illi insignē illum malefactorem, dedit: de Christo autē interrogat: Quid igitur faciā de Iesu? quū Iudex esse poterat ipsum vt eripere, sicut & Paulū tribunus militum, illi autē dicebant: Crucifigatur. Non solū occidere volentes illum, sed & malā causam impingebant. Crux enim pessimorum supplicium erat. Porro lauatur, vt purum se ostendat, nō ignarus odij, iustū enim nominans Iesum homicidij illū tradidit. At illi in se suscipiunt vltionem, huic homicidio dignā, qua & grauari sunt. Ad hęc, Augustinus omnino nostrę fauet assertioni edisserendo psalmum illum: Dormiui conturbatus: Vnde (inquit) turbatus? Quibus turbātibus? videamus quomodo indurat malam consciētiā Iudeis volentibus excusare se ab interfectione domini. Nam propterea eum, sicut loquitur Euangeliū, iudici tradiderunt, ne ipsi eū occidisse viderentur. Cū enim dixisset eis iudex tunc Pilatus, Accipite eū vos, & secundū legem vestram iudicare eum. Responderunt, Nobis non licet interficere quēquam. interficere non licet, tradere ad interficiendū licet? Quis autem occidit? Qui audito clamore cessit, an qui clamādo vt occideretur extorsit? Ipse dominus dicat testimonium à quibus occisus est, vtrum ab illo Pilato, qui nolens eū occidit, vnde etiam eū flagellauit, & veste ignominiosa circūdedit, & flagellatum ad eorum oculos produxit, vt iam pena flagellorum eius satiare, eū occidi non extorquerent. Propterea etiam cum videret eos perseuerare, sicut legimus, lauit manus suas, & dixit, innocēs ego sum à sanguine iusti huius. Videritis vtrum ille innocēs, qui vel cessit clamātibus: multo magis tamen illi nocentes, qui clamando eum occidere voluerunt. Sed nos interrogemus & audiamus dominū, quibus tribuat mortem suā, quia dixit: Dormiui turbatus, interrogemus eū & dicamus, Quoniā dormiui turbatus, qui te persecuti sunt? Qui te occiderūt? Nunquid forte Pilatus qui militibus dedit in ligno suspendendū, clavis transfigendum? Audite. Qui? Filij hominum, id est, illos vtiq; dicit, quos persecutores passus est. Sed quomodo ipsi occiderunt, qui ferrū non ferebant, qui gladiū non strinxerunt, qui impetum in eum non fecerūt ad occidendū? Vnde occiderūt? Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorū gladius acutus, id est, Noli attendere inermes manus, sed os armatum: inde gladius proceffit, quo Christus occideretur, quomodo & de ore Christi, vnde & Iudei occiderētur.

Habet enim ille gladium bis acutum, occidentis & resurgentis: & resurgens percussit eos, & diuisit ab eis quos faceret fideles suos. illi malum gladium, ille bonum: illi sagittas malas, ille bonas. Nam habet & ipse sagittas bonas, verba bona, unde sagittis cor fidele ut ameretur. Ergo alia istorum sagittarum, & alius istorum gladii. Filij hominum dentes eorum, arma & sagittae, & lingua eorum machera acuta: lingua filiorum hominum, machera acuta, & dentes eorum arma & sagittae. Quando ergo percusserunt, nisi quando clamauerunt, Crucifige, crucifige! Et commendo quod scriptum est in Euangelio Ioannis: Exinde querebat Pilatus dimittere eum, subindicat nec quidem obscure Pilatum minus peccasse quam Iudaeos, qui tanquam truculentissimae fere perturbatione liuoris in Christum insaniebant. Exinde (inquit) itaque intelligendum est, propter hoc, id est ex hac causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quamuis minus peccans quam Iudaei, qui eum illi tradiderant occidendum. Sermone autem 118. reddit rationem quare Pilatus condemnans Christum morti, dignus sit reprehensione: quia quem ore absoluit, corde condemnauit: ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Iudex enim bonus & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiae cedere debuit, nec timere. Eiusdem est sententiae Cyrillus exponens illum Euangelij locum: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: Ille (inquit) origo & via impietatis fuit. Pilatus autem ex formidine ministrum Iudaeorum se prebuit. Et quod ad tuendam nostram assertionem facit plurimum, ostendit attingendo locum illum: Tunc tradidit eis illum ut crucifigeretur, Iudaeorum clamoribus victus: sententiam eorum Pilatus turpiter sequitur, iubetque illum crucifigi, in quo nihil cause potuit inuenire. Sed Iudaeis tota haec temeritas adscribenda est, ipsi enim origo & caput impietatis huius fuerunt, a qua tamen Pilatum non absoluimus. Causa enim una cum illis & ipse fuit. Nam cum posset furor Iudaeorum reprimere, non modo id non fecit, sed Christum etiam eis tradidit. Nec id simpliciter, sed ut crucifigatur. Huic quoque subscribit sententiae Origenes, homilia 35. in Matthaeum, exponens haec Pilati verba: Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes, crucifigatur. Volens (inquit) eis pudorem tantae iniquitatis incutere Pilatus, dicit eis, Quid ergo faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Non solum autem, sed & mensuram colligere volens impietatis eorum: illi autem nec hoc erubescens, quod Pilatus Iesum Christum esse confitebatur, nec modum impietatis seruantes, dixerunt omnes, crucifigatur, quibus respondit Iudex: Quid enim mali fecit? Contra hoc nihil habentes quod responderet, amplius clamauerunt, non deponentes, sed augentes iram, animositate, blasphemiam, & dixerunt: Crucifigatur. Pilatus autem videns quod nihil proficeret, Iudaico usus est more, volens eos de Christi innocentia non solum verbis, sed etiam ipso facto placare si voluerint: si autem noluerint, condemnare: faciens non secundum aliquam consuetudinem Romanorum. Accepit enim aquam in conspectu omnium, & lauens manus suas, dixit: Innocens ego sum a sanguine huius, vos videritis. Et ipse quidem se lauit, illi autem non solum se mundare noluerunt a sanguine Christi, sed etiam super se susceperunt, dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Propter hoc rei facti sunt, non solum in sanguine prophetarum, sed implentes mensuram patrum suorum, facti sunt rei in sanguine Christi, ut audiant deum sibi dicentem: Cum expanderitis manus vestras ad me, auertam oculos meos a vobis, manus enim vestrae sanguine plene sunt. Propterea sanguis Iesu non solum super eos factus est qui tunc fuerunt, verum etiam super omnes generationes Iudaeorum, post seque usque ad consummationem. Propterea usque nunc domus eorum derelicta est eis deserta. Pilatus autem oblitus verborum suorum bonorum quibus coeperat defendere innocentiam Christi, declinans ad malum, non solum tradidit Iesum, sed etiam flagellis eum tradidit, ut crucifigerent eum. Propterea Ambrosius libro 10. suorum commentariorum in Lucam, agens de reprehensione Herodis & Pilati, dicit:

Psal. 56.

Ioan. 19.

Cyrillus.

Origenes.

Matth. 23.

Esaie 1.

Ambrosius.

Et si uterque reum non pronuntiant, alienae tamen crudelitatis studiis obsequuntur. Lauit quidem manus Pilatus, sed facta non diluit: iudex enim nec inuidiae cedere debuit, nec timori, ut sanguinem innocentis addiceret. Insuper Lyranus exponendo verbum illud Euangelicum, Accepta aqua, lauit manus coram populo, dicit: Ad hoc ut Iudaei totum peccatum super se acciperent, & ipse immunis esset a peccato. Sed hoc non sufficit ad omnimodam eius excusationem, quia cum esset iudex tenebatur ex officio seruare iustitiam, & ideo grauiter peccauit faciendo contra eam, ad habendum populi fauorem: minus tamen peccauit quam Iudaei, quia eius motiuum fuit minus malum. Iudaei enim ad occidendum Christum moti sunt per rancorem & odium: Pilatus autem propter timorem Caesaris, & fauorem Iudaeorum habendum. Haec ille. Videtur tamen Cyprianus nostrae aduersari assertioni, Sermone de Passione domini, reprehendens acerbe Pilatum frustra funestas manus in praetorio abluentem: Illi (inquit) se proditione, tu parricidio te condemnas: illi lingua, tu ferro occidis. Huius tamen viri vnde cumque doctissimi sententia, nec nostram eluctatur assertionem, nec praenominatis doctoribus aduersatur. Licet enim Iudaei una cum Iuda se proditione condemnarint: Pilatus vero parricidio sese contaminauerit: non propterea colligendum erit, Pilatum grauius quam Iudaeos deliquisse. Nam illorum proditioni iuncta erat inuidia pariter & blasphemia, quae non mediocriter scelus illorum adaugebat: Pilati vero parricidio, connexus erat timor, qui non nihil faciebat ad extenuandum ac imminuendum peccatum.

Lyranus.

Cyprianus.

CAPVT XVI.



Et rus negando Christum, peccauit mortaliter.] Hanc suadeo Assertionem. Quicumque negat fidem Christi, siue Christum, quem confiteri tenetur etiam cum discrimine vitae, peccat mortaliter: Sed Petrus negauit Christum quem confiteri tenebatur etiam cum discrimine vitae, igitur peccauit mortaliter. Maiorem affirmo ex verbis Christi dicentis: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Christus autem ex eo abnegat illum, quia ab eo contemnitur, & qui nomen eius coram persecutoribus non est professus, redditur indignus vita aeterna, & a paradisi foribus exulat. Ad haec, dicit Paulus ad Romanos: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem: igitur qui Christum metu mortis & sufferendi supplicij negat, cum interrito & inuito animo confiteri deberet, nihil habet commercij cum his qui aeternae salutis felicitate perfruuntur, sed dignus est ut ad inferos protrudatur. Minorem autem nostri ratiocinij ex Euangelio Matthaei deducam, Cum Petrus federet foris in atrio principis sacerdotum, accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilaeo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Excunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc coepit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. Nec tibi licet, ut Petrum vehemèti timore percussum, vindices a crimine, eumque excuses, hanc Euangelicam calumniari scripturam, & dicere Petrum non negasse Christum, sed hominem. Nam praecedentibus & subsequenter locis conuinceris. Siquidem ancilla primum introducta dicebat: Et tu cum Iesu Galilaeo eras, & reformidando mortem, continuo dixit discipulus qui prius temere & nimia cum audacia dixerat, Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: Nescio quid dicis, & acerbationis amentia correptus, dixit secundae ancillae etiam cum nota periurij: Non noui hominem, quem (dic quae so) hominem, praeter Christum abnegabat? Sciebat enim Petrus Christum esse verum deum & hominem. Et huic accedit iudicio Augustinus, Tractatu 66. in Ioannem, exponens locum

Matth. 10.

Roma. 10.

Matth. 26.

Ibidem.

Augustinus

illam, Amen amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges. An apostolus Petrus (inquit) sicut eum quidam fauore peruerso excusare nituntur, Christum non negauit, quia interrogatus ab ancilla, hominem se nescire respondit, sicut alij Euangelistae testantur expressius? Quasi uero qui hominem Christum negat, non Christum negat, & hoc in eo negat quod factus est propter nos, ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Christum deum, ut hominem negat, non pro illo mortuus est Christus, quia secundum hominem mortuus est Christus: qui negat hominem Christum, non reconciliabitur per mediatorem deo. Vnus enim deus, & vnus mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Et libro vno contra mendacium ad Consensum, cap. 6. ostendit Petrum ex eo peccasse quod ore non deprompserit veritatem, quam obstringebatur depromere, licet eam in reclusam tenuerit: Quis (inquit) ita euascat, ut existimet apostolum Petrum hoc habuisse in corde quod in ore, quando Christum negauit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lachrymis diluit, quod ore negauerat, si saluti sufficiebat quod corde credebat? Cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu puniuit mendacium quod ore deprompsit: nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad iustitiam, sed ore non confessus est ad salutem. Quapropter illud quod scriptum est, Qui loquitur veritatem in corde suo, non sic accipiendum est, quasi retenta in corde veritate, loquendum sit in ore mendacium: sed ideo dictum est, quia fieri potest ut loquatur quisque ore veritatem quae nihil ei profit, si eam in corde non teneat, id est si quod loquitur ipse non credat. Adde quod Chrysostomus loquens de grauissimo lapsu ipsius Petri, ad locum illum, Tunc coepit anathematizare, quia non nouisset hominem, dicit: O res nouas & mirabiles, quando capi magistrum vidit, adeo efferbuit, ut stricto gladio feruum percussit: quando autem magis indignari, inflammari, succedique debebat, tot tantaque opprobria videndo atque audiendo, tunc abnegauit. Quis enim indignatione non insaniret nefandissima illorum facta conspiciens: pauore tamen ille omnino superatus, non modo non indignatur, sed pernegat, ac miseræ uilisque puellæ uerba ferre non potest: nec semel modo, nec secundo, sed etiã tertio negat, & hoc in breuissimo tempore, nec coram iudicibus, foris enim erat. Sedebat enim (inquit) in aula foris, & cum in portam exisset, eum aggrediuntur, nec lapsus suum ipse antea sensit, ut Lucas dicit, quam in eum Christum respexisset. Ita non solum negauit, sed etiam quamuis gallus cantasset, casum suum tamen à seipso non sensit, sed magistri admonitione indiguit. Hæc ille. Et exponendo hæc Petri uerba quæ ex iactantia & præsumptione prodierant, Et si omnes scandalizati fuerint in te, tamen ego non scandalizabor, dicit: Quamuis omnes id patiantur, ego tamen solus non patiar: ita hæc res sensim eum ad tetrum & insolens crimen deuehebat, quem reprimere Christus uolens, quoniam nec prophetæ, nec sibi obtemperauit, negationem fieri permisit. Idcirco enim testantem quoque prophetam adduxit, ne quid repugnare auderet, quare Petrus cum uerbis non crederet, à rebus ipsis eruditur. Ut autem credas hac de causa permissione diuina Petrum negasse Christum, audias: Ego (inquit) deprecatus sum pro te, ut non deficiat fides tua. hoc enim ut uehementius eum tangeret, dicebat: significans eius casum multo peiorem esse aliorum casu discipulorum, ac ideo maiori etiam patrocínio indigere. Duplex enim crimine erat, tum quia repugnauit ac restitit: tum quia cæteris seipsum præposuit. Imò uero etiam tertium non paruum crimen eum commisisse dixerim, quia sibi totum imposuit. Nec diceret Chrysostomus Petrum commisisse tetrum & insolens crimine, si leuissimo crimine (quod ueniale uocamus) in hac negatione dominum offendisset. Et apertius multo docet libro primo de Pœnitentia (ubi ostendit pœnitentiam momento temporis factam, esse uilem, modo sit feruida) Petrum abnegando Christum, maximum crimen perpetrasse: Quemadmodum (inquit)

Ioan. 13.

1. Timot. 2.

Psal. 14.

Matth. 26.
Chryso. 1.

Ibidem.

Lucæ 22.

anima pigritans atque negligens, quanquam multum ad pœnitentiam tēporis accipiat, nihil operatur magnum, neque sibi ipsi deum per desidiā conciliat. Sic qui proposito excitato feruet, atque multa cum solertia pœnitentiam ostendit, breui temporis momento longæui temporis peccata delere poterit. Nonne tertio Petrus negauit? nonne uilis cuiusdā ancillæ uerba rimens? quid ergo oportuit ne illum ad pœnitentiam multos annos terere? Nequaquam, sed eadem nocte lapsus est & erectus, uulnusque & medicinam accepit: agrotauit, atque ad priorem rediit sanitatem. Qualiter & quomodo? Flens & lugens. Magis autem non modo flens, sed multa cum solertia, multoque cum proposito. Propterea Euangelista non dixit, quoniam solum fleuit, sed fleuit amare. Et qualis (inquit) quantaque fuerit lachrymarum vis, sermo non poterit explicare, ipse autem rerum exitus manifeste ostendit. Etenim crudelem post illum casum (nam nullum negationi par malum) sed tamen post malum, iterum eum ad priorem honorem reuehit, & Ecclesiæ primatum gubernationemque sibi per uniuersum mundum tradidit, quodque omnium est sublimius, ostendit eum nobis ad dominum maiorem apostolorum omnium charitatem habuisse: Petre (inquit) diligis me plus his? huic autem ad uirtutis rationem nihil sanè par fuerit. Tum etiam homilia nona eiusdē operis, dicit non paruum fuisse reatum proprium dominum negasse, sed magnum & fortem, eum tamen lachrymæ deleuere. Nec immerito dicit reatum Petri abnegantis Christum fuisse magnum, quia mendacio addidit periurium & blasphemiam. Nam coepit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. Memini tamen me legisse in commeterarijs Ambrosij super Lucam, ad locum illum, Mulier non noui illum: Nam etsi negauit Petrus, non tamen peierauit, quia nec dominum peieraturum esse memorauerat, pace tamē tanti uiri dixerim, peierauit. Nam (ut iam diximus) in Euangelio Matthæi scriptum est, Coepit detestari & iurare, quia nō nouisset hominem. Eiusdem iuramenti meminir Marcus, dicens: Ille autem coepit anathematizare & iurare, Quia nescio hominē istum quem dicitis. licet enim Lucas & Ioānes non meminerint huius iuramenti & anathematis, tamen compertum est ex cæteris Euangelistis Petrum iurasse quod non nouisset hominem, scilicet Christum, qui erat deus & homo. Nec uerba hæc ad alium hominē quam ad Christum referuntur, nisi uelis sacras deprauare scripturas, & in absurdissimum & plusquam philosophicum sensum detorque. Si enim non negasset Christum tanquam uerum hominem & uerum deum, cur suam negationis culpam agnoscendo in amaras prorupisset lachrymas? Dico ergo quod uolauit iuramentum, & uiolando mentitus est. nam iurando quod non nouerat hunc hominē, scilicet Christum, quem Marcus subindicare uidetur, mentiebatur: nam frequenter eum nouerat, quare ita iurando peierabat. Dicit etiam Lyranus in Matthæum, his uerbis, Coepit detestari & iurare, significari iuramentum per execrationem. Et inualidum est hoc argumentum, dominus non memorauerat Petrum peieraturum, ergo non peierauit. Sicut non recto consequio concludes, Dominus non memorauerat Petrum anathematizaturum, ergo non anathematizauit. Et quāuis Christus non dixerit Petro, cum anathemate & iuramento me negabis, tamen sciebat futurum eius lapsus cum anathemate & iuramento. Denique Ambrosius exponens hunc Lucæ contextum, Et post pusillum alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus uero ait: O homo non sum. dicit: Itaque non Christi discipulum se negauit, sed hominis negauit esse discipulum. Itaque & Petrus & Paulus hominē negauerunt, quem dei filium ferebantur. Hæc ille. Nec tamen huic interpretationi cōnieuo, nec assentiri possum: nam sensus huius, Non sum, hic est: Non sum ex nomenclatura siue numero discipulorum Christi. Nam homo ille dicens Petro, Et tu de illis es, loquebatur de discipulis Christi. Quare cū negauit se esse ex ordine discipulorum istius hominis scilicet Christi, negauit ex consequio se esse discipulum Christi. Imò ex Euangelicis literis manifestissime probabo Petrum negasse Christū deum

Ioan. 21.

Matth. 26.

Lucæ 22.

Ambrosius.

Marci 14.

Lyranus.

Lucæ 22.

Matth. 26. Siquidem Christus dixit Petro: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gal-
 Marci 14. lus cātet, ter me negabis, me scilicet Christum verū deum. Et huic accedit senten-
 Lucæ 22. tiæ Hieronymus, enarrans locum illum, Et iterum negavit cum iuramento, quia
 Ioan. 18. non noui hominē: vbi reprehendit illos qui dixerunt Petrum non negasse deum
 Matth. 26. sed hominem: & esse sensum, Nescio hominem, quia scio deum: Hoc (inquit)
 Hieronymus quā frivolum sit, prudens lector intelligit, si defendūt apostolum, vt deum men-
 dacij reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mēritus est dominus qui dixe-
 rat, Amen dico tibi, quia hac nocte antequā gallus cantet, ter me negabis. Cerne
 quid dicat, me negabis, non hominem. Hæc ille. Non hominem, intellige non pu-
 rum hominem, siue solum hominem. Intellige etiam conditionalem illam, suppo-
 sita, siue (vt fertur) stante reuelatione. Nam seorsim antecedens illius conditiona-
 lis, scilicet iste non negavit, est simpliciter possibile: & consequens impossibile,
 mēritus est dominus: sed si reuelationem siue prædictionem illam addideris an-
 tecedenti, aut intellexeris latere in antecedente, non tibi videbitur antecedens
 esse possibile. Nam huiusce copulatiuæ partes non coherent, Petrus non negavit
 Christum, & tamen Christus reuelauit quod à Petro negaretur. Ista tamen copu-
 latiua est possibilis: Christus reuelauit Petro quod ab eo abnegaretur, & tamē sim-
 pliciter poterat Petrus non negare Christum: quod si non neget, auferitur subin-
 de huiusmodi reuelatio. Sed de hac disputatione plussatis. Nec astipulari possum
 Origenes. Origeni dicenti homilia 35. in Matthæum: Non erat possibile Petrum tunc Ie-
 sum confiteri, nec tamen erat reprehendendus, non confitens Iesum: Quoniam
 ad confidentes dicitur: Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui
 loquitur in vobis. Si enim non erat possibile Petrum tunc confiteri Christum, er-
 go erat impossibile Petrum tunc cōfiteri Iesum, quod est absurdum. Nam si erat
 impossibile Petrum tunc confiteri Christum, liberum eius arbitrium non erat
 tunc flexibile ad vtrunque, vt scilicet negasset aut non negasset. Adde, vt absur-
 da absurdis iungamus, quod necessario negasset Christum. Nam ex aduerso, Si
 non necessario, igitur poterat non negare Christum, quod aduersatur Origeni. Et
 vltra necessario negavit Christū, igitur eius peccatum non erat voluntarium: quod
 si eius peccatum non fuerit voluntarium, non igitur erat peccatum, nec peccabat
 negando Christum, quod nullus sanæ mentis auderet dicere. Nam Petrus suum
 peccatum abluuit lachrymis. Mihi videtur & aliter labi Origenes, dicēdo Petrum
 non esse reprehendendum non cōfitemem Iesum. Nam vt abunde docuimus te-
 nebatur coram persecutoribus confiteri Christum, idcirco non caret reprehē-
 sione quod eum non sit confessus. Et diluam argumentum quo nititur Origenes ad
 1. Corin. 12. suadendum non fuisse possibile Petrum tunc Christum confiteri. Nemo potest di-
 Ioan. 7. cere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: & quia tunc non erat in hominibus
 spiritus sanctus, eo quod nondum Iesus erat honorificatus: igitur tunc temporis
 non poterat Petrus profiteri nomē Christi. Si velit intelligere spiritum sanctum,
 id est gratiam spiritus sancti nulli hominum nec mulieri in passione Christi trās-
 fusam fuisse, hoc non recipio. Nam virgo Maria mater Christi, non fuit in cruce
 Matth. 27. filij sui destituta spiritus sancti gratia. Etiam Centurio & qui cum eo erant custo-
 dientes Iesum, cum dixerūt: Vere filius dei erat iste, spiritus sancti gratia illustra-
 ti, affurrexerunt Christo, eumque sincera fide professi sunt esse filium dei. Nec Io-
 Marci 15. seph nobilis decurio, vir bonus & iustus, fidem Christi abiecerat, nec dei spiritu
 Lucæ 23. destitutus erat. Si vero velit Origenes dicere quod nodum erat in hominibus spi-
 ritus sanctus in specie visibili, sicut apparuit apostolis in festo Pētecostes, hoc ad-
 mittimus, sed nihil ad persuadendum quod præterdit. Si enim Petrus nimirum
 confusus viribus liberi arbitrij, postulasset continuis precibus, & vt decebar gratiā
 spiritus sancti sibi fieri adiutricem vt non negasset Christum, forsitan non fecisset
 tanti sceleris præcipitium, sed eum permisit dominus ob elationem animi & præ-
 sumptionem labi: vt lapis, humanæ naturæ fragilitatem agnosceret. ¶ Obijciat

aliquis, Petrus ex surreptione peccauit. Peccatum autem surreptionis & infirmi-
 tatis non est mortale: igitur Petrus negando Christum, non peccauit mortaliter.
 Adnotes, vt hanc rationem diluere possis, surreptionem bifariam considerari.
 Vno modo, vt opponitur deliberationi, & sic Petrus nō peccauit ex surreptione.
 Alio, vt aduersatur electioni, & sic ex surreptione peccauit: quia non peccauit ex
 electione, quasi ex certa malitia, sed ex passione timoris: falsis autē surreptio non
 excusat peccatum mortale, sicut patet in incontinente, qui concupiscentia ada-
 ctus, eiusque stimulis titillatus, fornicatur, tamen habuerit propositum cōtinen-
 di. Minus tamen peccauit Petrus ex infirmitate & timore supplicij, abnegando
 Christum, quā si eum ex electione & certa malitia negasset. Et hoc præterdere
 videtur Augustinus Sermone 124. dicēs: Exiguæ culpæ permittitur subiaceret an-
 tus apostolus, vt emendatus elationis vitio, atque correptus, integro vestiatur mo-
 derationis & clementiæ indumēto. Non quod illa culpa non fuerit mortalis, sed
 quia Petrus timore perculsus, facilius veniam sui delicti obtinuit, quā si idem
 scelus ex certa & dedita malitia perpetrasset.

CAPVT XVII.

P

Aulus nunquam in perpetuum optauit Anathema fieri pro fratribus
 suis. Hæc suadeo Assertionem. Anathema omnibus modis separat à
 Christo, sed Paulus nūquam voluit etiā pro salute suorum fratrum, per-
 petuo separari à Christo, scilicet tam carne quā spiritu: igitur nun-
 quam optauit in perpetuum fieri anathema pro fratribus suis. Maior
 est Chrysofomi, Sermone de Anathemate. Minorem sic probo, Si Paulus voluif
 set pro salute suorum fratrum perpetuo separari à Christo, scilicet tam carne,
 quā spiritu, desiderasset perpetuo separari à charitate Christi, quod est absouū
 & inauditum. Nam eo amoris incēdio in Christum flagrabat, eaque sincera cha-
 ritate in saluatorem nostrum efferuescebat, vt nullis vnquam tormentis ab eius
 amore diuelli potuerit. Quis (inquit in epistola ad Romanos) nos separabit à cha-
 ritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an perse-
 cutio, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, asti-
 mati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui
 dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita, neq; angeli, neque prin-
 cipatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitu-
 do, neque profundum, neq; creatura alia, poterit nos separare à charitate dei quæ
 est in Christo Iesu domino nostro. Huic etiā subscribit assertioni Hieronymus,
 questione 9. ad Algasiam, vbi hanc eandem excutit quæstionem, cuius vis & in-
 telligentia desumitur ex illo Pauli loco ad Romanos: Optabam ego ipse anathe-
 ma esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Si
 enim (inquit Hieronymus) in deum tantæ est charitatis, vt nec metu mortis, nec
 spe vitæ, nec persecutione, nec fame, nec nuditate, nec periculo, nec gladio, possit
 separari à charitate eius, etsi angeli quoq; & potestates, & vel præsentia, vel futu-
 ra, & omnes cælorum fortitudines, & excelsa pariter ac profunda, & vniuersa si-
 mul creatura ei ingruat, quod nequaquam potest fieri, tamē non separetur à cha-
 ritate dei, quam habet in Christum Iesum: quæ est ista tanta mutatio, imò inau-
 dita prudentia, vt pro charitate Christi nolit habere Christum? Et ne ei forsitan
 non credamus, iurat & confirmat in Christo, & conscientiæ suæ testem inuocat
 spiritum sanctum, se habere tristitiam non leuem ac fortuitam, sed magnam &
 incredibilem, & habere dolorem in corde, non qui ad horam pungat & trans-
 eat, sed qui iugiter in corde permaneat. Quo tendit ista tristitia? ad quid proficit
 incessabilis dolor? Optat anathema esse à Christo & perire, vt alij salui fiant. Sed
 si consideremus Moyfi vocem rogantis deum pro populo Iudæorum, atque di-
 centis: Si dimittis eis peccatum suum, dimitte: si autem non vis, dele me de libro
 tuo quem scripsisti. Perspiciemus eundem & Moyfi & Pauli erga creditum sibi

Augustinus

Chrysof.

Roman. 8.

Psal. 43.

Hieronymus

Roman. 9

Exo. 32.

Ioan. 10. gregem affectum. Pastor enim bonus, ponit animam suam pro ouibus. Mercenarius autem cum viderit lupum venientem, fugit: quia non sunt eius oues. Et hoc ipsum est dicere: Optabam anathema esse à Christo, & Dele me de libro quem scripsisti. Qui enim delentur de libro viuientium, & cum iustis non scribuntur, anathema fiunt à domino. Simulque cerne Apostolū quantæ charitatis in Christum sit, vt pro illo cupiat mori, & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem, non in perpetuum, sed impræsentiarum. Qui enim perdidit animam suam pro Christo, saluam eam facit. Vnde & de quadragesimotercio psalmo assumit exemplum, Quoniam propter te mortificamur tota die, reputati sumus vt oues occisionis. Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu: suum sanguinem fundere, vt multorum animam conferuentur. Quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis veteris instrumenti testimonij probari potest: & ne leuem putemus esse tristitiam, & modicam causam doloris, iungit & dicit: Pro fratribus meis & propinquis iuxta carnem. Quando propinquos appellat & fratres iuxta carnem, in spiritu à se ostendit alienos. Quorum est (inquit) adoptio, quæ significantius Græce dicitur *υιοθεσια*, de quibus quondam dominus loquebatur, Filius primogenitus meus Israel. Et filios genui & exaltau. Nunc dicit: Filij alieni mentiti sunt mihi. Et quorū gloria, vt de cunctis Gentibus eligerentur in peculiarem populum dei: & quorum testamenta, vnum in littera, alterum in spiritu, vt qui prius in carne seruiant ceremonij legis abolitæ, postea seruiant in spiritu, mandatis Euangelij sempiterni. Et legislatio ad vtrumque respondet, & noui & veteris instrumenti. Et cultus, id est vera religio, & repromissiones, vt quicquid repromissum est patribus, compleretur in filijs. Et quod omnibus maius est, ex quibus Christus de Maria genitus virgine. Et vt sciremus quis iste sit Christus, causas doloris sui vno sermone comprehendit, qui est super omnia deus benedictus in secula. Amē. Et iste tantus ac talis, ab eis non recipitur de quorū stirpe generatus est. Et nihilominus laudat iudicij veritatē, ne sententia dei, in propinquos & fratres suos displicere videatur, & vel austera esse vel nimia. In quibus igitur tanta fuerunt bona, doler cur nunc tanta mala sint. Adde quod Origenes lib. 7. in epistolam ad Romanos, huic accedit sententiæ, ostendens dilucide Paulum non absurde optasse fieri ad tempus anathema à Christo: & quemadmodum Christus ad tempus pro salute nostra voluit mori, ita Paulus saluis suorum fratrum cupidissimus, voluit ad tempus fieri anathema à Christo, id est ab eo alienus fieri. Et præter illam rationem quam adduxit Hieronymus, Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdidit eam, inueniet eam: hanc adfert non vulgarem: Quid ergo mirum si Apostolus pro fratribus suis anathema fieri velit: qui sciat eum qui in forma erat dei, exinanisse se de ea, ac suscepisse formam serui, & factum esse pro nobis maledictum? Quid ergo mirum si cum dominus pro seruis maledictum sit factum, seruis pro fratribus anathema fiat? Hæc autem arbitror, quod & Moyses, cum peccasset populus, dicebat ad dominum: Et nunc si quidem remittis eis peccatū, remitte: si autem, dele me de libro vitæ quem scripsisti. Quid ergo, inferiorem vis Moyfi Paulum videri? Ille deleri se petit de libro vitæ pro fratribus suis, Paulus non debet optare anathema esse pro fratribus suis? Sed fortasse dicat aliquis, quod Moyses hoc offerens, salutem populo meruit impetrare: Paulus verò optat quidem, sed non est auditus. Quid si ostendam tibi magis Paulum auditum esse quàm Moysen? Omnes enim illi qui per Moysen exierant, ceciderunt in deserto: posteri verò eorum qui terram promissionis acceperunt, etiam nunc iactantur ab ea exules, & extorres. Paulus verò, audī quid dicat de Israel: Nolo vos (inquit) fratres ignorare mysteriū hoc, quia cæcitas ex parte Israeli contigit, donec plenitudo Gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Vides ergo quod exauditus est Paulus, & quia se obtulit anathema, saluam meruit fratribus: & ideo mihi videtur illa omnia præmississe, quod nulla vis

eum à charitate dei diuellere, vt cum se offert anathema pro fratribus suis, non lapsum eius passibilem iudices: sed sicut ille qui inseparabilis est à patre per naturam, & immortalis in mortem venit, & in infernum descendit: ita & iste imitando magistrum, cum separari à Christi charitate non possit, in Christo anathema fiat pro fratribus suis, deuotione vtique, non præuaricatione. Hæc ille. Itaque propterea deuotio & propensissimus erga suos fratres animus eum impulit, vt temporaneum anathema deligeret: quod tamen non liceret præuaricationis forma desiderare: non enim facienda sunt mala, vt eueniant bona. Ad hæc, Chryso-
Chryso-
Roman. 3.
 stomus homilia prima de Laudibus sancti Pauli, ostendit Paulum cum optauit anathema fieri pro suis fratribus, solum distulisse æternæ vitæ præmium, quod finita hæc peregrinatione erat consequuturus: Si Pauli (inquit) zelum diligenter inspicias, tanto eum inuenies celsiorem, quanto ille prophetis ceteris eminebat. Quid enim verbis illis reperitur æquale, qui gloriam domini zelando, dicebat: Quoniam optabam ego anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Propterea è cælis, sibi propositis præmijs & coronis, tardauit atque distulit, dicens: Permanere autem in carne necessarium est propter vos. Propterea non solum istam quæ cernitur, sed illam quoque quæ intelligitur creaturam, nequaquam sufficere sibi credidit, ad ostendendum zelum & charitatem qua ardebat in Christum, sed etiam aliam quæ non est, sermone formauit, vt quod tota voluntate cupiebat, exprimeret. Et homilia 2. de Laudibus eiusdem generosissimi athletæ, nobis haud obscure subindicat retardari ad tempus à gloria æterna, vt mul-
Philip. 1.
 ti à dæmonum ac peccatorum laqueis eripiantur, & tandem saluentur, non esse malum, imò sanè eligendum: Præmium (inquit) erat Paulo dissolui & esse cum Christo, permanere autem in carne, certamen: sed tamen propter Christi desiderium præmia differebat cupiditate certaminis, idque magis necessarium esse ducebat, è regione verò anathema à Christo fieri optabat. Certamen hoc erat & dolor, magis autem & supra certamen, supraque omnem dolorem. At vero esse cum Christo erat præmium singulare, Paulus tamen propter Christum illud maluit, quàm istud eligere. Et huic suffragatur sententiæ Theophylactus, docens amplissime in suis ad eandem Pauli epistolam commentarijs, quare Paulus vehementissime in deum charitate incensus optauerit anathema fieri pro Israelitis: Cui enim (inquit) vniuersi deum criminaretur, quod Hebræos quos antea adoptione & gloria dignissimos iudicasset, fuissentque Christi progenitores, eiecisset & affecerit ignominia: & his postmodum gentes suffecerit, qui sui nullam habuissent antea notionem, eoque & diuinam providentiam obtrectarent plerique & maledictis insectarentur, tanquam nullam in hos æquitatem seruasset deus, utpote qui suos sefellisset maiores, quos suis ornare beneficijs promississet. Dolens itaque Paulus, & pro dei gloria turada, & istorum maledictis perculsus, optabat se anathema fore, dummodo detractores huiusmodi salutem assequerentur, & abolerentur eorum in deum cõuitia. Vides vt Paulus pro sua in deum ardentissima charitate cupientissimus sit, & si fieri liceret, se se vel à cœtu sanctorum qui deo assistunt sepositum iri, & gloriæ illius æternæ fruitione. Non tamè à dei amore feiungi, quemadmodum plerumque consuevere parentes, qui dulcissimo sese liberorum commercio abdicant, vt absentes gloriam pariant, cum nihil interea illi omittant pristina in liberos charitatis, qui etiam abiectos se, & inglorios haberi perperunt, vt illi prouehantur honoribus. Ipse igitur (inquit) qui res innumeras gesserim, & deum ultra quàm fert humana natura coluerim, cupiditate teneor & ingenti, dei ob gloriam (si dici fas est) vel à dei excidere gloria. Quod sanè dictum non gloriam tollit, sed vendicat potius. Nec dicit Paulum optasse perpetuo priuari æterna gloria, nam huiusmodi desiderium esset inane & vanum, sed quod si fieri liceret, paratus erat pro salute suorum, priuari fruitione æternæ gloriæ. Nec (vt tandem concludit vir ille peritissimus) dictum Pauli tollit gloriam, sed potius vendi

Theophyla.

Ambrosius. cat. Tum etiam Ambrosius edifferens eundem scrupulum, asserit Paulum dixisse, Optabam, & non opto: quia scit fieri non posse, ut tam honestum membrum nullo precedente vitio abscinderetur à corpore Christiano, affectum tamen & dilectionem cetera genus suum ostendit. Præterea Lyranus nostram tuetur assertionem, enarrando eundem Pauli locum, quem existimat dupliciter posse intelligi. Vno modo referendo ad tempus in quo persequeretur Christum in membris suis, ut Actorum octavo capite fit manifestum, & hoc ex zelo Iudaicæ legis, & sic optabat esse anathema à Christo, id est ut à Christo separaretur. Alio modo referendo ad tempus post conversionem suam, in quo prædicabat fidem catholicam, & tunc aliquando optabat separari à Christo, per dilationem suæ gloriæ ad tempus, ut intenderet conversioni Iudæorum ad fidem Christi. Unde dicit ad Philippenfes: Desiderium habens dissolui & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium est propter vos. Hunc ultimum dicendi modum recipio, non autem primum, cui reclamant Hieronymus, Origenes, Chrysostomus, Ambrosius & Theophylactus: & nec quidem pilum habet veritatis, nec intelligentiæ huiusce contextus accedit, sed luge deficit & euariat. Quis enim tam tardo & obtuso est ingenio, ut diceret Paulum optasse à Christo separari, cui nunquam antea fuerat coniunctus? Separari enim & alienari ab amicitia alicuius, præsupponit illi qui ab amicitia excidit, aliquando fuisse illi amicum, à cuius familiaritate & necessitudine semotus est. Paulus autem eo tempore quo persequeretur Christum & erat Christianis infestissimus, nondum erat coniunctus Christo amicitia, neque etiam fide, nisi velis ad æternam illam præscientiâ & prædestinationem confugere. Idcirco non est verisimile nec credibile Paulum hoc excellenti desiderio optasse fieri anathema à Christo ante suam conversionem pro suis fratribus. Sed quæso attende & inspicere præcedentia ex quibus pendet hoc desiderium. Paulus ingenti dolore torquebatur, quæ agnosceret suos fratres ei qui à deo, & quidem suis vitij & incredulitate, quos tamen prælegerat, & Gentiles illis suffectos esse, eorumque primariam gloriam vendicasse. Et ut à pristinis vitij respiceret, nec tantis beneficijs perpetuo priuareretur, optabat Paulus suorum amantissimus, ad tempus fieri anathema à Christo pro suis fratribus. Sic enim loquitur in exordio illius capitis: Veritatem dico in Christo Iesu, non metior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Si quis igitur apte & apposite velit alicuius authoris doctissimi subsequenter sententiam interpretari, debet diligenter inspicere ad ea quæ antecedunt, & conferendo subsequenter præcedentibus agnoscat si illa sint inter se consentanea vel dissentanea. Nec scripsimus hæc, ut quicquam Lyrano, viro sancto doctissimo, detraheremus, eiusque studia & labores conuelleremus, sed ut moneremus lectorem ne plus fidei interpretationibus, quam proprio authori tribuerent, & sicubi in difficiles sacrarum literarum locos inciderent, lectu digna prudenter expenderent. Adijciemus & alteram rationem, ut nostra plenius assertio comprobetur. Nulli licet appetere perpetuo priuari gloria æterna, & omnino perire, etiam pro salute suorum fratrum, ergo nulli licet appetere perpetuum anathema pro suis fratribus: consequentia est optina. Nam qui appetit perpetuo fieri anathema à Christo pro suis fratribus, desiderat perpetuo separari à Christo, & ab eius amicitia diuelli. Et id etiam aduersatur ordini charitatis, nam magis obstringor mihi succurrere, quam alteri: nec debeo velle danari & deijci in ignem æternum, ut meus saluetur proximus.

CAPVT XVIII.

Regulatorium esse, sacræ testantur literæ. Hanc Assertionem primum suffulciemus ex illo loco secundi libri Machabæorum, Vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim milia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret,

2. Mach. 12.

superfluum videretur & vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur. Nec obscuranda est hæc authoritas Lutherianorum calumnijs & cachinnis, qui nihil aut parum fidei ac virtutis illis libris deferunt, eo quod non sunt in canone Hebræorum. licet enim Hebræi libros illos catalogo sacrarum librorum non ascripserint, Ecclesia tamen maioris longe authoritatis quam Hebræorum synagoga, insignes & eruditos illos libros nomenclaturæ canonicarum scripturarum adiecit: quam qui contemnit, & Christum contemnit: & qui ei adhæret, eiusque sanctiones recipit, Christo placet, & apud deum & homines bene audit. Et quoniam Ecclesia vniuersalis certissima Christianorum regula, non tam nobis consultit, quam præcipit, ut firmissime credamus esse quendam ignem purgatorium, non debemus ab ea desciscere, nec lato vngue ab utilissimis eius monitis discedere. Crede igitur lector optime quod sacrosancta Ecclesia credit, & non errabis, nec vllum unquam in fide facies præcipitium. quod si ab eius censura tuæ pertinaciter adhærendo opinioni digrediaris & euaries, in laqueos diaboli incidēs, in quos inciderunt hæretici, & sacrarum scripturarum calumniatores importunissimi, qui plus fidei & authoritatis suo quam Ecclesiæ iudicio tribuerunt. Contra tibi hac admonitione orationem conuerto ad institutum. Duo videtur adnotamenta nobis relinquere Iudas Machabæus: Primum, superfluum est & vanum, orare pro mortuis, nisi spes esset ut qui ceciderunt, aliquando resurgerent, à supplicij scilicet & poenis quibus nunc in purgatorio torquentur & affliguntur. Nec contendit de vltima resurrectione, alioqui nos non comoueret, ut ante horrendum illud iudicium orarem pro defunctis. Nam deus non præfinit tempus extremi iudicij, ut nostris precationibus ab igne purgatorij animas liberaret: loquitur igitur de prima resurrectione, qua anima ab ergastulo corporis soluta, resurgit à supplicij in quibus detinetur. Alterum, intellecta hac resurrectionis ratione, optimum est orare pro defunctis, ut ab huiusmodi tormentis eripiantur & vendicentur. Nec agit de illis qui subito euolat ad cælum, & felicissimo beatorum commercio fruuntur, quia nullæ pro illis fundendæ sunt ad dominum preces, nec etiam pro illis vult orationes fieri, qui perpetuo inferorum incendio aduruntur, quædoquidem absurdum esset & vanum pro illis interpellare dominum. Loquitur igitur duntaxat de illis qui cum gratia dei hinc discesserunt, non tamen satisfecerunt ut oportebat pro suis delictis. Idcirco cum debeant exoluere in purgatorio poenam peccato debitam, Ecclesia sancte & deuote orat pro illis, ut à peccatis, id est à poenis soluantur: aut à peccato veniali, cum quo decesserunt, modo minutissimum illud peccatum eis displiceat, à cuius contagione cupiunt eripi. Suppetunt & nobis duo ex euangelicis scripturis testimonia, ex quibus elicimus quendam esse locum animarum corporibus exutarum purgatorium. quarum alterum est: Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Est autem quadrans (quo minutissima peccata exprimuntur) numulus, quarta pars assis, quam à tribus uncijs Plinius triunciū vocat, & à Cicerone dicitur teruncius. His verbis, Non exies inde, &c. parabolice dictis videtur Christus significare, & nobis suadere, quendam esse carcerem temporalem, in quo animæ hinc demigrantes includuntur & torquentur pro leuissimis culpis, nec ab hoc carcere purgatorio egredientur, donec extremum quadrantem persoluerint, id est quousque pro minutissimis admisis satisfecerint, & luerint poenam peccato debitam. Vides non solum reddendam esse rationem domino pro peccatis mortalibus, verum etiam pro venialibus. Etenim de verbo otioso sumus rationem reddituri. Nec solum satisfaciendum est deo pro grauissimis culpis, sed etiam pro leuissimis. Cum enim nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum, animæ à corpore solutæ, &

Matth. 5.

Matth. 12.

Apostol. 1. 17.

f. j.

quæ in hunc tetrum carcerem cõiiciuntur, pro peccato veniali expiari debent, & quodam displicentiæ motu repurgari, antequam ad Elyfios campos perueniant, & beatorum foelicitate fruantur. Nec huic interpretationi, quæ solum inimici veritatis reiiciunt, & qui negant purgatorium esse, aduersatur Hieronymus, dicens: Hoc est ergo quod dicit, Non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persoluas. Qui igitur non cõsensit cum suo aduersario, dum adhuc erat in hac via, & neglexit cum eo inire foedus, ex eo forsitan quod ab eo læsus est, aut affectus iniurijs, quas tamen remittere debuit, & pro nomine Christi suarum rerum subire dispendium: si hinc decedat, ad purgatorium carcerem secundum animam quidem detrudetur, & sordes peccati venialis eluet, pro eoque satisfacies, antequam diuinam intueatur essentiam. Nec deest nobis suasuicula ad ostendendum illa Christi verba posse intelligi de carcere temporali, & nõ perpetuo. Nam dicit Christus illum qui non fuit beneuolus suo aduersario, non exiturum à carcere, donec reddiderit nouissimum quadrantem. Igitur quamprimum extremum quadrantem exoluerit, liberabitur à carcere: quod si nunquam ei pateret exitus, nec à carcere solueretur, non dixisset eum à carcere non exiturum, donec nouissimum quadrantem reddiderit. Et hanc sequitur interpretationem Clichthoueus libro secundo sui Antilutheri, capite 26. vbi demonstret statuendum esse purgatorium. Non tamen me latet plerisque interpretes peritissimos, locum illum exposuisse de carcere perpetuo & pœnis æternis: & huic veritati, Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem, hanc dedisse intelligentiam: Nunquam exiturus es, quia semper solues nouissimum quadrantem. Ita enim positum est hic donec soluas, quomodo in illo psalmo dicitur, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Non propterea colliges Christum non debere amplius sedere à dextris patris sui, cum eius inimici deuicti fuerint. Dicit etiam Paulus: Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis. Nec erit consentaneum, vt non amplius regnet, cum suis pedibus suos inimicos subiecerit & substrauerit. Et illic, donec, fumitur pro semper. Et sensus est, semper est regnaturus, quoniam semper illi erunt sub pedibus. Ita quoque dicendum est, Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem, id est semper non es exiturus, aut nunquam exibis hinc, quia semper solues nouissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum lues. Et hanc Augustinus interpretationem nobis reliquit libro primo de Sermone domini in monte. cui subscribit Lyranus, edisserens præfatum Matthæi locum. Applaudit & Augustino Theophylactus, explicando eandem sententiam à beato Luca commemoratam: sic enim apud Lucam loquitur Christus: Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. Opera (inquit Theophylactus) quæ in hac vita facimus, illa tradunt nos iudici, & iudex tradit nos exactori, damoni cuidam nos torquenti & affligenti, & postea punit nos donec etiam minorum peccatorum pœnam luamus, & mensuram pœnæ impleamus. Nunquam autem impleta est pœnæ mensura, semper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus, donec extremum minutum reddamus, & nunquam reddituri sumus, manifestum quod æternum sit futurum supplicium. Hæc ille. Eundem quoque locum disserens Ambrosius, dicit: Hoc etiam Matthæus posuit, sed ille specialiter, iste generaliter. Ille enim de recõcilianda pace dissidentium fratrum dicendum putauit. Hic de pœnitentia & omnis emundatione delicti, & aliquot verbis interiectis dicit: Iuxta Lucam autem est aduersarius noster ille præcipue qui ferit illecebras delictorum, vt habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes: atque ideo socios quærit ad culpam, vt obnoxios prodat ad pœnam. Et exprimendo quid sibi velit figura quadrantis, dicit: Et videtur vilis rei

Hieronymus

Clichthoueus

Psal. 109.

1. Corin. 15.

Augustinus
Lyranus.
Theophyl.
Luca 12.

Ambrosius.

expressum nomine, intellectus spiritualis arcanum. Nam sicut qui pecuniam soluunt, debitum reddunt, nec prius euacuatur foenoris nomen quam totius fortis ad nummum vsque quocunque solutionis genere quantitas vniuersa solvatur: sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque peccati poena dissoluitur. Hæc ibi. Qui dicunt hominem in inferis pro minutissimis peccatis æternam luere pœnam, illis conuenit qui affirmant peccatum veniale mortali coniunctum in inferno perpetuis puniri supplicijs. Malo tamen primam sectari opinionem, nec possum mihi suadere deum, fontem quidem misericordiæ copiosissimum, detinere hominem in perpetuo carcere pro minutissimis peccatis. Et si euangelicum illud exemplum non te vrgeat, alterum proponemus quo vrgeberis, & in nostram descendes sententiam. Apud Matthæum legimus saluatorem nostrum dixisse, Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Nec putes particulam hanc, Neque in futuro, superflue positam esse, quæ nobis insinuat quædam esse peccata scilicet venialia quæ post dissolutionem animæ à corpore, remittentur in futuro seculo per displicentiam culpæ, qua voluntas ad deum reuocatur & (vt dici solet) reordinatur. Huiusmodi autem debita quibus homo grauatus è vita decessit, non remittentur, in æterna beatorum ciuitate, nec in inferno, igitur in purgatorio remittentur, quod si nullum peccatum post hanc vitam esset remittendum, superuacanea esset illa adiectio, neque in futuro. Nec remittentur illa peccata sine aliqua pœnæ satisfactionis tolerantia, igitur non absurde assignatur purgatorium, vt qui non satisfecerunt vt oportuit pro peccatis mortalibus in hac vita commissis, quorum tamen compunctione cordis remissionem obtinuerunt, luant pœnam in purgatorio. Aut si exhalauerint animam macula minutissimi sceleris infectam, eluant illud peccatum in purgatorio per congruam culpæ displicentiam. Nec decedentes cum illo peccato, euolant subito ad cælum, nec ad densissimas inferorum tenebras detruduntur: igitur pro aliquo temporis interstitio in carcere purgatorio recludentur, donec satisfecerint, & leuissimam illam culpam expiauerint. Parrocinator & huic sententiæ Glossa ordinaria, exponens hæc verba, Neque in hoc seculo, neque in futuro. Quædam enim culpæ in hoc seculo laxantur, quædam verò parua in futuro: quæquidem post mortem grauant, sed & dimittuntur, si homo bonis actibus in vita vt ibi dimittantur, promeruerit, neque in futuro: quia sunt quædam leuia quæ si in hac vita nondum sunt remissa, post mortem grauant, sed & remittuntur si digni sunt. Adde quod dicit Paulus ad Corinthios, de superædificante lignum, foenum, & stipulam: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Opus autem cuiuspiam ardere dicitur, cum ardore incendij & supplicio dignum censetur. Is autem qui huiusmodi opus malum sibi contraxit in hac vita, quod per lignum, foenum, & stipulam significatur, detrimentum patietur, scilicet cruciatum afflictium & æternæ gloriæ dilationem, tandem completa pro suis vitijs iam remissis satisfactione, per ignem non quidam infernalem vt perspicuum est, sed purgatorij, saluabitur. Nec illic fit mentio ignis cõflagrationis, quoniam ille erit toti mundo cõmunis, nec destinabitur ad operandum salutem in ijs qui illum sentient & perpetuetur. Ambrosius explicans hanc obscuram & perdifficilem Pauli sententiã, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, dicit Paulum ostendere saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus, fiat saluus: & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. Et quis ignorat Ambrosium hic agere de igne purgatorio, & æterno? cum enim dicit vt per ignem purgatus, fiat saluus: agit de igne purgatorio. Quæ verò subnectit, manifeste intelliguntur de gehena ignis perpetui, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. Huic suffragatur iudicio Lyranus, dicens in eundem locum,

Matth. 12.

Glos. ordin.

1. Corin. 3.

Ambrosius.

Lyranus.

r. ij.

Siquis superadificet peccata venialia, per lignū, foenū, stipulā designata, eo quòd non destruant fundamentū, sed stant cum eo, ipse punietur in purgatorio: & tandem saluabitur. Nec possum illis cōnuere qui interpretantur in hanc formā locum illū, Saluus erit, sic tamen per ignē, id est ipse perpetuo in supplicio permanebit, & saluus erit: quia erit in inferno sanus & integer. Ea enim dicendi audacia, eaq; loquendi libertate, dicam, Socrates in inferno saluabitur, id est sanus erit & integer. Nam recurrūt hęc duo & eadē sunt, Socrates saluus erit in inferno, & Socrates saluabitur in inferno, & sic nomen salutis in perpetuā damnationē & perniciē abicit, quod huic sacrę scripturę testimoniō aduertatur: Nec enim aliud nomen est sub cælo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Etiā dicit Augustinus libro vno de Fide & operibus, cap. 16. De illo qui circa diuitias quodā carnali tenetur affectu, qui propter illa vel tenēda vel adipiscenda, homicidiū, adulterium, fornicationē, idololatriam, & similia quęq; cōmiserit, nō propter fundamentum per ignem saluabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur. Nunc adferā quę scite scripsit idem Augustinus de purgatorio, siquidē libro 2. de Genesi cōtra Manichæos, cap. 20. dicit: Qui coluerit agrū suum interius, & ad panem suū, quamuis cum labore peruenerit, potest vsq; ad finē vitę huius hunc laborem pati: post hęc autem vitā, non est necesse vt patiarur. Sed qui forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terrę suę in omnibus operibus suis, & post hanc vitā habebit vel ignē purgationis, vel poenā æternā. Et libro vno Enchiridij ad Laurentiū, cap. 69. differēs Paulinam illam difficultatē, dicit: Tale aliquid etiam post hanc vitā fieri, incredibile non est: & vtrū ita sit, quæri potest, & aut inueniri aut latere nōnullos fideles per ignem quendā purgatoriū, quanto magis minūsvē bona pereuntia dilexerūt, tanto tardius citiūsq; saluari, non tamē tales de quibus dictum est, quòd regnum dei non possidebunt, nisi cōuenienter poenitentibus eadem crimina remittatur. Idem refert libro vno de 8. Dulcitij quæstionibus, quæst. 1. Item libro vno de Vera & falsa poenit. cap. 18. agens de illo qui ferā agit poenitentiam, ita scribit: Sed si etiam sic conuersus euadat, vita viuat, & non moriatur: non tamen promittimus quòd euadat omnem poenā. Nam prius purgandus est igne purgationis qui in aliud seculū distulit fructum cōuersionis. Hic autem ignis est æternus non sit, miro tamē modo est grauis, excellit enim omnem poenā, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuēta est poena, licet mirabilia passi sint martyres tormēta, & multi nequiter iniqui, tanta sustinuerint supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortē non oporteat talem poenam tolerare. Et lib. 21. de Ciuit. dei, cap. 16. dicit pueritiam in qua infirmitas mētis non est precepti capax, si hanc in eis annis vitā finierit, non solum poenis non preparari æternis, sed ne vlla quidē post mortē purgatoria tormēta pati. Sufficit enim sola spiritalis regeneratio, ne post mortē obsit quod carnalis generatio cū morte cōtraxit. Deinde dicit de purgatorijs poenis quę post vltimū iudicium non durabunt, bene tamē infernales: Quisquis cupit poenas euadere sempiternas, non solū baptizetur, verū etiam iustificetur in Christo, ac si vere transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autē poenas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumq; iudicium. Idem Homilia 16. agens in trāscursu de purgatorio, ita scribit: Qui tēporalibus poenis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cuius opus arserit, detrimētum patietur, ipse autē saluus erit, sic tamen quasi per ignem, per fluuium igneum, de quo propheticus sermo cōmemorat: Et fluuius igneus currebat ante eum, per fluuium igneum, & vada feruētibus globis horrenda trāsibunt. Quanta fuerit peccati materia, tāta & pertranseūdi mora. Et Sermone 41. in quo agit de igne purgatorij, dicit hanc Pauli sententiā, Saluus erit, sic tamen quasi per ignem, esse intelligendā de igne trāsitorio, quo non capitalia, sed minuta peccata purgātur. Assentitur & Augustino Gregorius libro 4. suorum Dialogorū, cap. 39.

Chryso.
Theophyl.

Acto. 4.

Augustinus

1. Corin. 6.

Danie. 7.

dicens: Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio presentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd veritas dicit: Quia si quis in sancto spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remitteretur ei, neq; in futuro. In qua sententia datur intelligi quasdā culpas in hoc seculo, quasdā verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen (vt prædixi) hoc de paruis minimisq; peccatis fieri posse credendum est, sicut est assidue otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curę rei familiaris (quę vix sine culpa, vel ab ipsis agitur qui culpam qualiter declinare debeāt, sciunt) aut in non grauibus rebus error ignorantię, quę cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positus, minime fuerint relaxata. Nam cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat, Si quis superadificauerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, foenum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit: si cuius opus manserit, quod superadificauit, mercedem accipiet. si cuius opus arserit, detrimētum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne purgationis accipiat, pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit posse saluari. Non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam insolubilia: sed lignum, foenum, stipulam, id est peccata minuta atque leuissima, quę ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat, promereatur. Eliciam etiam ex Hieronymo explanāte illum Esaię locum, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: quem sciunt omnes intelligendum esse de damnatis: purgatorium esse, & deum impartiri misericordiam his quos ad purgatorij carceres ad tempus puniendos conijcit. Et sicut (inquit) diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est deus, credimus æternā tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum quorum opera in igne probanda sunt atque purgāda, moderatam arbitramur, & mixtam clementię sententiam iudicis. Hęc ille. Quis nescit Hieronymum velle innuere destinatum esse diabolo & infidelibus, & his qui in finali impoententia diem claudunt extremum, ignem æternum? Peccatoribus autem Christianis qui non omnino fuerunt mali, & antequam expirarent, egerunt poenitentiam, nondum tamen poenam peccato debitam luerunt, ignem purgatorij in quo secundum sententiam iudicis eis clementissimam purgabuntur, antequam cælum conscēdant: aut illic pro culpis leuissimis ad tempus affligentur. Ad hęc, Beatus Bernardus in Sermone sexagesimo sexto super Cantica, loquens de vulpeculis quę demolitūtur vineam Ecclesię, id est de hæreticis sui temporis, qui se apostolicos dici voluerunt, cum verius Apostata debuerint appellari, pestilentissima contra fidem seminantes dogmata, dicit: Non credūt autem ignem purgatorij restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiōis peccati. Hęc ille. Præterea beatus Cyrillus in quadam epistola ad sanctum Augustinum, de miraculis beati Hieronymi post mortem celebratis, quam numero & ordini suarū epistolarum inseruit Augustinus, licet quidam neget esse Cyrilli, commemorando grauitatem poenarum purgatorij, dicit: Mallet quilibet viuere omnes quę hic videntur poenę & tormenta, si illas experientia nosceret poenas, vsque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari poenis, quās omnes homines ab Adam hucusque figillatim pertulerunt, quàm vno die in inferno, siue in purgatorio minori quę illic habetur poena tor-

Gregorius

1. Corin. 3.

Hieronym⁹
Esaię 66.

Psal. 13.

Bernardus
Cantic. 2.

Cyrillus.

quæri. Et paulo post ostendit discrimen inter pœnas inferni & purgatorij, non quidem in magnitudine, sed quia infernales finē non expectant, sed augmentum scilicet in iudicij vniuersalis die, quando corpora ibidem cruciabantur cum animabus. Et purgatorij, sunt cum fine: nam post expletam pœnitentiam inde exempti, gaudijs beatissimis perfruuntur. Denique quis tam desipit & ea torquetur infania, vt audeat non solum subfannare, verū etiam aspernari laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, quæ deum precatur pro fidelibus defunctis, tam in sacro missæ officio, quàm in alijs quotidianis supplicationibus? præter quas vnum instituit diem peculiarem, in quo fit publica animarum fidelium commemoratio, quem veri & sinceri Christiani colunt, & summa cum religione ac feruida deuotione obseruant, vt suos parentes & quoscunque homines igne purgatorij discruciatos, suis precationibus ab illo temporaneo incendio eripiant. Fufius hoc tractassem negotium, nisi docuiffem ab eodem libro 13. nostræ Theosophiæ, capite quarto, orationes viuētium prodesse defunctis ad ipsorum subleuationem: quod si illi capiti tuum admoueris calculum, tibiq; gratum fuerit, tibi facile purgatorij esse persuadebis.

Chrysof. de Pœnitentia, vbi dicit Psalmographum his verbis, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo: ostendisse lauacrum & purgatorium, peccati lachrymas esse, sed distendit ille nomen purgatorij ad id quo purgantur scelera. Nos autem hic sumimus purgatorium pro loco proprio, in quo animæ à corporeis vinculis solutæ ad tempus luunt pœnas. ¶ At dicit quispiam, Quod scribit Ecclesiastes: Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit: videtur ostendere non esse statuendum purgatorium. Sed huic authoritati plenè satisfecimus in nostris ad idem opus cōmentarijs. Nec nos pigebit iterum eundem interpretari locum, & primo quid de illius testimonij intelligentia sentiat Hieronymus, referemus: Vbiunque locum (inquit) tibi præparaueris, futuramque sedem, siue ad Austrum, siue ad Boream, ibi cum mortuus fueris, permanebis. lignum igitur quod in hac vita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit incisum, aut peccauit, ante dū stare, & in Boreæ parte postera ponitur, aut si dignos austro fructus attulit, in plaga iacebit australi. Nec est aliquod lignum quod aut ad Aquilonem non sit aut ad Austrum. Intellige hæc Hieronymi verba, quantum ad Austrum pro ijs qui vsq; ad finem vitæ in bonis virtutum officijs perseverantes, tandem subito hinc ad beatorum sedes demigrant: quantum verò ad Aquilonem, pro nocentissimis peccatoribus, qui mortifera contagione contaminati, misere suam finierunt vitam, & tandem ad inferni voraginem præcipitati sunt. Sunt tamen nonnulli qui (vt iam diximus) neque repente euolant ad cælum, neque ad inferni carceres deijciuntur, sed medium incolentes locum luunt in anima pro aliquo temporis interstitio pœnam peccato debitam.

CAPVT XIX.

Augustinus

Perfeuerantia in Christo vsque in finem, dei donum est.] Hæc Augustiniana est Afferio, libro vno de Bono perseverantia, capite i. vbi ita scribit Augustinus: Afferimus donum dei esse perseverantiam, qua vsque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque vtrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse vti que dicitur, & verissime dicitur. Quomodo ergo perseverantiam qui non perseverauerit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat, atque incontinentens fiat, si iustitiam, similiter si patientiam, si ipsam fidem, recte dicitur habuisse & non habere. continens enim fuit, vel iustus fuit, vel patients, vel fidelis fuit quandiu fuit. Cum verò esse desistit, non est quod fuit: qui verò non perseverauerit, quomodo perseverans fuit, cum perseverando quisque ostendat perseveran-

tem, quod iste non fecit. Sed ne quisquam reluctetur & dicat: Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit (verbi gratia) decem annos, & eorum medio tempore à se de lapsus est, nonne quinque annos perseverauit? Non cōtendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tanquam temporis sui. Hanc certe de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur vsque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseverauerit vsque in finem. Potiusque hanc habuit vnus anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur à fidei stabilitate defecit. Et capite secundo, suum persequendo institutum, dicit: Quo constituto, videamus vtrum hæc perseverantia de qua dictum est, Qui perseverauerit vsq; in finem, hic saluus erit: sit donum dei. Quod si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait: Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verum etiam: vt patiamini pro eo? Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterum ad finem: vtrunq; tamen est dei donum, quia vtrunq; dictum est esse donatum. Quod enim est initium verius Christiano; quàm credere in Christum? quis finis melior est q̄ pati pro Christo? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscunq; inuenta est cōtradictio vt donum dei, non initium, sed augmentum fidei diceretur, cui opinioni, donante domino, satis superq; respondimus. Quid autē dici potest, cur perseverantia vsq; in finem non donetur in Christo? cui donatur pati pro Christo, aut (vt expressius eloquar) cui donetur mori pro Christo. Nam & Petrus apostolus donum dei hoc esse demonstrans: Melius est (inquit) benefacientes (si velit voluntas dei) pati, quàm malefacientes. Cum dicit si velit voluntas dei, ostendit diuinitus dari: nec omnibus sanctis, vt pro Christo patiantur, neque enim quos non vult deus peruenire ad experientiam gloriæque passionis, non perueniunt ad regnum dei, si perseverauerint in Christo vsque in finem. Sed quis dicat istis non donari hanc perseverantiam qui aegritudine corporis, vel quocunq; casu moriuntur in Christo, cum longe difficilius donetur illis, à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficilius perseveratur, vbi hoc agit, qui persequitur ne perseveretur, & propterea vsq; ad mortem sustinetur, vt perseveretur. Illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius habere. Sed cui nihil difficile est, facile est vtrunq; donare. Hæc enim promisit deus, dicens: Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant. Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus, quæ dabo in cor eorum, vt mihi perseveranter adhæreant? Cur autem perseverantia ista poscitur à deo, si non datur à deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ agitur deo, quod non donauit ipse nec fecit. Sed quod ibi dixi, hoc & hic dico: Nolite errare (inquit Apostolus) deus non irridetur. O homo, non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationū tuarum restis est deus, si aliquid à tanto diuine veraciter ac fideliter poscis ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Tum etiam capite decimosextimo eiusdem operis, ita de eodem munere scribit: Restat in his bonis vsque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie à domino poscitur, si non eam dominus per gratiam suam in illo cuius oratione exaudit, operatur. Videte iam à veritate quàm sit alie num negare donum dei esse perseverantiam vsque in finem huius vitæ, cum vitæ huic quædo voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare vsque in finem. Idem capite 24. Sed quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potius plusquam satis dona dei esse & incipere in domino credere, & vsque in finem in domino permanere. Hæc ibi. Et licet vir probus det operam vt perseveret, & suæ perseverantiæ cooperetur, non propterea colligendum erit perseverantiā in Christo vsque in finem, non esse dei donum. Nam si quis studiosè viuat, nec vnquam deum offenderit, non suis viribus id tribuen-

dum est, sed diuinæ gratiæ, & bona eius merita deo referenda sunt acceptissima. Nemo igitur dicat, nisi velit labi, perseuerantiam esse simpliciter ab homine: licet in homine dei gratia persistat. quod pulchre & scite docet Augustinus libro vno de Correptione & gratia, capite 6. Nos negare quidem non possumus etiam perseuerantiam in bono proficientem vsque in finem, magnum esse dei munus, nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est: Omne datum optimū, & omne donum perfectum, deforsum est, descendens à patre luminum. Sed non ideo est eius qui non perseuerauerit, negligenda correptio, ne forte det illi deus poenitentia & respiciat de diaboli laqueis: correptionis quippe vtilitati hanc sententiam subiunxit Apostolus, dicens: Cum modestia corripientē diuersa sentiētes, nequando det illis deus poenitentiam. Nam si dixerimus istam perseuerantiam tam laudabilem tamq; felicē sic esse hominis, vt ei non sit ex deo, illud primitus euacuamus quod ait dominus Petro: Rogauit pro te, ne deficiat fides tua. Quid enim ei rogauit nisi perseuerantiam vsq; in finem? quæ profecto si ab homine homini esset, à deo poscēda non esset. Deinde cum dicat Apostolus: Oramus autem ad deum, ne quid faciatis mali, proculdubio perseuerantiam eis orat ad deum. Neq; enim nihil mali facit, qui bonum deserit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perseuerans in bono. Illo etiam loco vbi dicit: Gratiar ago deo, in omni memoria vestri, semper in omni prece mea, pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Euangelio à prima die vsque nunc, confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Quid aliud eis quàm perseuerantiam in bono vsque in finem de dei miseratione promittit? Hæc ille. Agnoscis Augustinum hoc argumento probare perseuerantiam non esse simpliciter ab homine. Nam si ab homine esset, à deo poscēda non esset. Est tamen perseuerantia quodāmodo & secundario ab homine, quatenus liberum hominis arbitrium conatur vt in bono perseueret. Quod si nullo modo esset hominis, homo non mereretur perseuerando: quia tamen primario est à deo, imò dei donum, ideo simpliciter non est ab homine. Et hoc rursum indicat idem Augustinus libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 24. dicens neminem etiam baptismatis gratia renouatū, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianū adiutorium dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Idem dicit enarrando psalmum illum: Et non dedit in commotionem pedes meos. Ex eodem tamē doctore, Sermone 8. ad fratres in eremo, ostendam manifeste perseuerantiam quodāmodo esse ab homine: Nullus (inquit) legitime cerrat, nisi qui in campo vsq; ad finem certat: & si cerrat vsq; in finem, legitime certat, ideo merito coronatur. Et paulo post dicit: Laboremus vt perseuerantiam habeamus. Laborent monachi omnes vt retineant, laborent virgines vt se informet, laborēt viduæ vt in ipsa perseuerēt. Hæc ibi. Et quis ignorat Paulū dixisse de sua perseuerantia postquam ad Christum conuersus est: Bonū certamen certauit, cursum consummaui, fidem seruauit. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex? Fauet & nostræ assertioni Chrysostramus pertractans hæc Christi verba in Matthæum: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: Quod (inquit) odio haberentur discipuli Christi, neq; tamen mentem atque animum deijcerent, ipsorum erat: quod vero perseuerantes saluarentur, mittentis spiritum est, ideo dicebat: Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Nam quoniam plerique consueuerunt magnam diligentiam incipientes adhibere, ac postea resoluī & deijci, idcirco finem, ait, ego summopere considero. Nam quam vtilitatem pullulatio seminum potest habere, si cum vsque ad flores creuerit postea exaruerit? continuam ergo patientiam quarit. Adde quod ex eo quidam viri doctissimi dicunt hominem non posse mereri perseuerantiā viæ, bene tamē gloriæ, quia illa solum à motione diuina pender, quæ est fons & prin-

cipium omnis meriti, & deus gratis perseuerantiæ bonū largitur. Hæc autem gloriæ perseuerantia, ex eo in rationem meriti cadit, quia est finis & terminus perfectus ipsius motus liberi arbitrij, quod deus optimus ac clementissimus ad nanciscendam æternæ vitæ foelicitatem excitat.

CAPVT XX.

PAUCI saluatur in cōparatione multorum periturorum. Hæc Augustiniana est Assertio, Sermone 32. de verbis domini, quā vir ille doctissimus ex Euāgelicis scripturis deducit: Certe (inquit) pauci sunt qui saluantur. Recolitis quæstionē ex Euangelio nobis modo propositam? Domine, dictū est si pauci sunt qui saluantur? Dominus ad hoc quid? Non ait, non pauci, sed multi sunt qui saluantur. Non hoc dixit. Sed quid dixit? Cū au disset, si pauci sunt qui saluantur. Contendite (inquit) intrare per angustā portam, id est: Quando audis, ergo pauci sunt qui saluantur, cōfirmavit dominus quod au diuit, & inquit per angustā portā pauci intrant. alio loco ipse hoc ait: Arcta via est & angusta quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per illam: lata autem & spatiosa est via quæ ducit ad interitum, & multi sunt qui ambulāt per eam. Quid gaudemus ad multitudines? Audite me pauci, scio quia multi auditis, & pauci obauditis. Areā video, & grana quæro. Et vix videntur grana, quādo area tritatur, sed venturum est vt ventiletur. Pauci ergo qui saluantur, in cōparatione multorum periturorū. Nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt, cū ventiletur ventilator ferens ventilabrum in manu sua, & mūdabit aream suam, frumenta recondet in horreo, paleam autē comburet igne inextinguibili. Non subfannet palea granū, hoc verum loquitur, neminem fallit. Estote ergo inter multos multi, sed in cōparatione quorūdam multorum pauci. Tanta massa processura est de hac area, vt impleat horreum cæli. Non enim cōtrarius sibi esset dominus Iesus, qui dixit: Pauci sunt, qui intrant per angustā portam, multi per latā viam pereunt. Cōtrarius sibi esset qui alio loco dixit: Multi ab oriente & occidente veniēt & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob, in regno cælorum. Multi certe & pauci, & pauci & multi. Alij ergo pauci, alij multi? Non, sed ipsi pauci qui multi. Pauci in cōparatione multorum perditorum, multi in societate angelorum. Audite charissimi, Apocalypsis hoc scriptum habet: Post hæc vidi ex omni lingua & gente & tribu venientes cū stolis albis & palmis, multitudinem quam nemo dinumerare potest. Hæc est massa sanctorum. Quāto clariore voce dictura est area ventilata, à turba impiorum & malorum, salforūmque Christianorū segregata, ad ignes æternos separatis his qui premunt, non tangunt. Mulier enim quædam simbram tægebat, turba Christum premebat. Segregatis ergo omnibus damnandis, massa purgata stans ad dexteram, nullū sibi misceri timens malorum, nullum timens perdere bonorum, regnatura cum Christo, quāta fiducia dictura est: Ego cognoui, quia magnus est dominus? Si ergo fratres mei grauis loquor, si agnoscunt quod dico predestinati in vitā æternam, operibus loquantur non vocibus. Hæc ille. Si sanam Augustini doctrinam percallueris, animaduertes paucos æternā gloriā consequuturos, facta ad eos qui dānantur cōparatione. Licet multi beatorum numero ascribentur, quandoquidem scriptū est: Multi uenient ab oriente & occidente, & recumbent in regno cælorum. Non enim sumus nescij quāplurimos post passionem Christi sacramento fidei donatos, tam strenue pro Christianismo certasse, vt dirutis & funditus euerfis demōnū castris, ac contemptris rerum humanarū delicijs, immarcessibilem coronam sibi cōparauerint. At contrā præter Turcas, Sarracenos, & cæteros infideles, qui hostiliter Christianam religionē impetunt & inuadunt, multi sunt qui aut perulantissimæ libidini dediti, aut avaritiæ, conuicijs, inuidiæ, blasphemijs, iræ, & cæteris inauditis flagitijs addicti, absq; vlla turpissimæ vitæ respicientia ad stygias inferorū paludes demerguntur. Quapropter nō immerito dixit Christus, quibusdam sciscitantibus, Si nam pauci sal-

Augustinus

Iacobi 1.

2. Timot. 2.

Lucæ 22.

2. Corin. 13.

Philp. 1.

Psal. 65.

2. Timot. 2.

2. Timo. 4.

Chrysostr.

Augustinus

Lucæ 13.

Matth. 7.

Matth. 3.

Matth. 8.

Apocaly. 7.

Matth. 9.

Psal. 134.

Matth. 8.

Lucæ 13.

uarerentur. Contendite intrare per angustā portam, quia multi dico vobis, querent intrare, & non poterunt. Attende quēso, & his verbis ausculta. Et perpendes confragosam esse virtutum semitam, & arctissimam viam, quā ducit ad vitā. Latissimam autē & spaciosissimam, quē ducit ad perditionē. Theophylactus edisserens in Lucā illa Christi verba, nostrę assertioni subscribit, dicens: Pauci sunt qui saluantur, eo quod angusta via multos non recipiat. Adde quod Hieronymus similem explicando sententiā, in Matthæum, de angustā & spaciōsa portā dicit: Lata via, est seculi voluptas, quam appetunt homines: angusta, quę per labores & ieiunia panditur. Quam & apostolus ingressus est, & vt Timotheus per eam ingrediatur, hortatur. Simulque considera quā signanter de vtraque via locutus sit. Per latam multi ambulant, angustam pauci inueniunt. Latam nō querimus, nec inuentione opus est, sponte se offert, & errantium via est. Angustā verō, nec omnes inueniunt, nec qui inuenerint, statim ingrediuntur per eam. Si quidem multi inuēta veritatis via, capti seculi voluptatibus, de medio itineris reuertuntur. Et in Epistola ad Celantiam, dicit: Illa celebratur & teritur à multis, hęc vix inuenitur à paucis: illa enim vitij per consuetudinē quasi decliuor ac mollior, & velut quibusdam amena floribus voluptatum, facile ad se rapit commeantium multitudinem: hęc verō infueto calle virtutum tristior atque horridior, ab his tātum eligitur, quibus nō tam delectatio itineris cordi est quā vitilitas mansionis. A speram nobis & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo, quę si in partē alteram transferatur, inuenietur (sicut scriptura dicit) semita iustitię leuis. Et huic accedit sententiā Beatus Hylarius Canone 6. in Matthæum, eundē locum exponens, vbi dicit: Arduum in cælum iter homini est, & aditus angustus ac tenuis: ceterū perditionis via lata est: hanc plures obtinent, illam porro pauci inueniunt. Paucis enim damna rerū presentium chara sunt, quibus cupiditates & animi vincere & corporis frangere, & exposita totis seculi viribus illecebrarum omnium lenocinia præterire, maximū cælestis spei lucrum est: illis autem quibus solum bonum est scortari, comessare, ambire, insollescere, fastidire, odisse, diripere, plurimus est frequentantium iter tale comitatus. Ad hęc, solum illi ad æternā salutem peruenient, qui sunt electi: sed pauci sunt electi, igitur pauci ad æternam salutem perueniēt: intellige semper comparatione illorum qui perpetuis supplicij torquebuntur. Assumptionis fidem facit Christus, in Euangelio Matthæi, dicens: Multi enim sunt vocati, pauci verō electi. Illi autem dicuntur electi, auctore Augustino libro 1. quęstionum ad Simplicianum, quęstione 2. qui congruenti sunt vocati. Illi autem qui non congruebant, neque contēperabantur vocationi, nō electi, quia non secuti, quāuis vocati. Et pertractando illud Pauli: Quos vocauit, scilicet secundum propositum, ipsos & iustificauit, existimat illos esse electos secundum præscientiam & æternam prædestinationem, qui secuturi sunt sanctorum vocationem. Et illa est vera & propria electio. Nam in libro quęstionum super Genesim, quęstione 117. cursim attingendo illa Christi verba: Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegi, dicit ad electionem non pertinere nisi bonos, licet scriptum sit, Nōne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? quod per Synecdochen intelligendum esse putat, vt nomine maioris meliorisq; partis, etiā illud cōplecteretur quod ad ipsum nomen nō pertinet. Hinc animaduerte Iudam non fuisse proprie electū, eum tamen electum censemus, quia eius malitia ad aliquid fuit electa, vt per eius traditionē domini passio compleretur. Nec ab Augustini sententiā discedit Theophylactus, agens in 22. caput Matthęi de germana electorū ratione, ad locum illum: Multi sunt vocati, pauci verō electi, vbi ita loquitur: Pauci enim qui saluantur, & qui digni vt eligantur à deo, ita vt dei quidem sit vocare, electos autem fieri, vel non, nostrum est. Et parabola illa, in eodem capite contexta, de inuitatis ad nuptias, ex quorum numero erodiscunt vnus nō habens vestem nuptialem, id est animū ab omnibus vitij repurgā-

tum, & propterea in tenebras exteriores ac gehennā intrusus est, propter Iudæos dicta est: qui vocati quidē fuere, non autem electi, saltem omnes, eo quod nō audierunt. Amplius, dicit Origenes homil. 20. in Matthæū: Si quis consideret multitudinē hominum quę in Ecclesijs cōgregatur, & discusserit quanti sunt qui cōuertantur discipline, & reformantur nouitate sensus sui, quanti autem negligentissime cōuertentes configurantur seculo huic, videbit quod verus est sermo domini dicens: Multi vocati, pauci autem electi. Hęc ille. Nobis quoque Paulus præstat adiumentū ad comprobandam hęc assertionem. Dico ergo, Nūquid repulit deus populū suum? Absit, Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahę de tribu Benjamin, nō repulit deus plebem suam quam præsciuit. An ignoratis in Heliā quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat deum aduersum Israel? Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderūt, & ego relictus sum solus, & querunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septē milia virorum, qui non curauerunt genua ante Baal. Hęc dixerēs Theophylactus, dicit: Cum itaque tantus esset improborum hominum numerus, septē milia duntaxat sibi elegit dominus, sicut responsum diuinum dicit, id est apprensus deus & loquens. Haud igitur est quoquam modo mirandum si vel gentes, & quos dignos præsciuit, selegerit deus, quod clarius in sequentibus demonstrabit. Sic ergo & hoc tempore, reliquę secundum electionem gratię dei saluę factę sunt, id est, quemadmodum enim frumentū cōtusis eiectisque paleis purius refidet, sic malos reprobans deus, sibi digniores reliquit. Cum autem secundum electionē (inquit) gentilium studium patefacit, quo sibi sint electionis huiusce dignitatem adepti. Cum verō gratię dicit, dei dono id factum prædicit. Nec ex eo quod dicit Paulus ad Timotheum, de saluatore nostro deo, qui omnes homines vult saluos fieri, inferes, igitur plures saluabuntur quā damnabuntur. Non enim quia saluator noster vult omnes saluos fieri, idcirco omnes saluabuntur: eo quod nō omnes huic diuinę voluntati obtemperant, nec fide & charitate Christo connectuntur, quod oportet vt æternam salutem indispicerentur. Enarrans Ambrosius illum Pauli locum, dicit: Vult deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint. Nā vtique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute. Nūquid non medicus idcirco proponit in publico, vt omnes se ostēdat velle saluare, si tamen ab egris requiratur? Non est enim vera salus si nolenti tribuatur, nec gaudere potest in precepta salute qui inuitus (si tamen fieri potest) accepit medicinam, vt non dicam quia medicinę effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodaauerit, quia hęc medicina non est corporalis, sed spiritalis, quę neque dubijs proficit, neque inuidis: fides est enim quę dat salutem, quam nisi mēs tota susceperit voluntate, non solū nihil proderit, sed & oberit: fidei enim gratia hanc habet potestatem, vt deuotis sibi diuinam infundat medelā, in deuotis verō conferat morbum, per quem totus homo intereat. Quidam viri nec illiterati dicunt deū velle omnes saluos fieri, voluntate quidem antecedente: præuenit enim vt bene opereris, si hunc instinctum non neglexeris, & tibi dedit præcepta quibus quod bonum est & honestum, prosequeris, & quod noxiū est & malum, declines: & hęc voluntas non semper impletur, non quidem ex parte sui, sed nostri: quod pigritia soluti, & nostris intenti voluptatibus, contemnamus dei iussis parere. Non tamen vult deus voluntate consequente & beneplaciti, omnes saluos fieri, alioqui omnes saluarentur. Nam hęc voluntas nostris bonis operibus coniuncta, semper adimpletur, à qua scortatores, inuidi, lasciuī, auari, ambitiosi, & qui opera carnis exercent, desleatunt & degenerāt, quibus iugum domini suapte natura suaue & leuē, apparet durum & graue. Nec passio Christi, qui omnes quantum ad sufficiētiam, & non efficientiam, redemit, illis proderit, nisi quod vult, effecerint, & declinando à malo, quod bonum est & deo gratū, operentur. Beatus Augustinus libro vno,

Theophyla.

Hieronymus

2. Corint. 6.

1. Timot. 5.

Hylarius.

Matth. 20.

& 22.

Augustinus

Roma. 8.

Ioan. 13.

Ioan. 6.

Origenes.

Matth. 22.

Roma. 11.

3. Reg. 19.

Theophyl.

1. Timot. 2.

Ambrosius.

Matth. 11.

Augustinus

Enchiridij ad Laurentium, capite 103. aliter explicat illam Pauli sententiam, dicens: Per hoc cum audimus, & in sacris literis legimus, quod velit omnes homines saluos fieri, quauis certum sit nobis non omnes homines saluos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimę dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est: Qui vult omnes homines saluos fieri, tanquam dicitur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit, non quod nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit, sed quod nullus fiat, nisi que velit, & ideo sit rogandus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe deo agebat apostolus vt hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aliter, illic omnes homines, omne genus humanum per quascunque differētiās distributum intelligere possumus, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, foeminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Hęc ille. Licet non omnes ex singulis ordinibus & professionibus saluabuntur. Nam alij varijs persecutionū procellis iactati, vt firmiter crucem domini portent, æquo animo aduersa quęque tolerant, & relinquunt patrem, matrem, fratres, sorores, agros & omnes facultates, vt mordicus Christo adhæreant. Alij oscitanter viuendo, & suis nimium indulgentes delicijs, per latam & spatiosam semitam qua itur ad inferos, incedunt, & plus sibi quàm deo placentes, pretiosissimis aternę vitę margaritis ac diuitijs primantur.


Ioan. 1.

FINIS DECIMIQUARTI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XV.

CAPVT I.



Vies Dei non excludit eiusdem operationē.]Hanc eruemus Assertionē ex sacris literis. Primo sumus ostensuri deum requieuisse. In Genesi scriptum est: Compleuit deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod pararat. Nec hoc in loco querimus discrimen inter quiescere & requiescere, quandoquidem pro eadem re sumuntur. Quieuit igitur deus, summus rerum omnium artifex, die septimo ab operibus suis, & cessauit à producendis rebus, quas ex nihilo admiranda suę sapientię virtute & providentia, alijs diebus condiderat. Hęc autem verba sublimē in se philosophiam & secretissima mysteria continent, & adumbrant eternam illam beatorum requiē, qui post multos labores, ac continuas humanę vitę ærumnas, & præclara virtutum officia, ad tutissimum suorum laborum portum & perpetuam quietem peruenerunt. Vnde dicit Paulus ad Hebræos, Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quem admodum dixit: Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, & quidem operibus ab institutione mudi perfectis, dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam, hodie in David dicendo, post tantum temporis sicut supradictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur post hac die: Itaque relinquatur sabbatismus populo dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis deus, Festinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Hęc Paulus. Reuera illa est requies, vbi fugit dolor, tristitia, gemitus, & vbi neque sollicitudines, neque labores, neque agones, neque timor obstupescere faciens, & commouens animam, sed solus dei timor voluptate plenus. Non est illic, in sudore vultus tui comedes panem tuum, neque spinę, neque tribuli. Nō est illic, in tristitijs generabis filios: neque, ad virum tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur: sed omnia pax, gaudium, iucunditas, voluptas, bonitas, mansuetudo. Nō est illic inuidia, neque zelus: neque, morbus, neque mors corporis, neque illa quę est animę. Non ibi tenebrę, neque nox, semper dies, semper lux, semper diei claritas. Non est ibi fatigari, non est ibi fastidium accipere, semper in desiderio bonorum perseuerabimus. Hęc ex Chrysostomo deprompta sunt, homilia sexta, in Epistolam Pauli ad Hebræos. Quod autem deus nunc operetur, tamen die septimo ab vniuersis operibus suis quieuerit, testatur Christus, in Euangelio Ioannis, dicens: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Hoc tamen historię Geneseos aduersari videtur, si enim deus die septimo ab vniuersis operibus suis requieuerit, & eius artificium cessauerit, quoniam pacto nunc dicatur operari? Sed hos locos qui videntur esse contrarij, connectit adinuicem Chrysostomus, homilia decima in Genesim, edisserēs quod scriptum est, Requieuit deus die septimo ab operibus suis quę fecit. Vbi primum ostendit quid sit deum requiescere, & diē

Gene. 2.

Hebræ. 4.
Psal. 94.

Hebræ. 3.

Gene. 3.

Ioan. 5.

Chrysosto.

septimum sanctificare: deinde, quod ad institutum nostrum spectat, Vide (inquit) quomodo humano more, & quadam attemperatione ad nostram imbecillitatem diuina scriptura loquitur, alioqui nisi hac ratione vsa fuisset, non possibile erat ut aliquid dictorum suorum intelligeremus. Et requieuit (inquit) deus die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Quasi diceret, substituit, & cessauit à formandis producendisque ex nihilo rebus ut essent. Omnia quæcunque oportebat, produxerat, & eum qui his fruiturus erat formauerat. Et benedixit (inquit) deus diem septimum, & sanctificauit illum, quia in illo requieuit ab omnibus operibus suis quæ ceperat deus facere. Nam postquam substitit opifex, & omnia quæcunque voluit, secundum misericordiam suam produxit in medium suo præcepto, tunc finem formandi fecit die sexto. Nihil enim aliud die septimo producere voluit, eo quod omnia quæ facere voluerat, iam perfecta erant. Et ut habeat etiam dies ille aliquod ad verbum, & nomen suum, & ne videatur minus aliquid habere, eo quod nihil in eo factum sit, benedictione ipsum dignatus est. Et benedixit (inquit) deus diem septimum, & sanctificauit illum. Quid igitur, non erant & ceteri dies benedicti? Etiam profecto, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quod in singulis illis creaturæ productæ fuerunt. Et ideo de illis non inquit, Et benedixit, in solo autem septimo hoc dixit, & apposuit, Et sanctificauit illum. Quid est, & sanctificauit illum? ab alijs illum segregauit. Deinde docens nos diuina scriptura causam propter quam dixit, Et sanctificauit illum, adijcit, Eo quod in illo requieuerat ab omnibus operibus suis, quæ ceperat deus facere. Iam hic ab initio doctrinam hanc nobis insinuat deus, erudiens in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum & reponendum in spiritualem operationem. Quippe ob hoc dominus completo in sex diebus opificio suo, septimum benedictione dignatus est & sanctificauit, eo quod in illo quieuerat ab omnibus operibus suis quæ facere ceperat. Verum hic iterum video immensum nobis sententiarum pelagus nasci, quod simpliciter præterire nolum, quin & vos harum spiritualium mercium participes fieri cupio. Quæ igitur illa est quæ hic prospectat questio? Diuina scriptura dicente, quod deus requieuit ab operibus suis, in Euangelij Christus inquit, Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor: non videntur tibi ex verborum prolatione, hæc dicta esse contraria: sed absit. Nihil contrarium in sacris scripturis continetur. Nam hic quidem, cum scriptura dicit, quod requieuit deus ab operibus suis, docet nos quod à formando, & ex nihilo res ut essent producendo, requieuerit die septimo. Christus autem dicens, Pater meus vsque hodie operatur, & ego operor, continentem suam prouidentiam nobis declarat, & operationem vocat conseruationem factorum, quibus largitur ut permaneant, dum totum gubernat mundum. Nisi enim hoc esset, quomodo vniuersum subsisteret ac duraret, non gubernante & dirigente superna manu, cum visibilia hæc omnia, tum humanum hoc genus? Et si quis voluerit prudenter & speciatim inspicere omnia, quæ quotidie in nostrum beneficium ab omnium opifice perficiuntur, abyssum inueniet misericordiae. Quis enim sermo, quæ mens ad indicibilem hanc bonitatem pertingere poterit, quam humano generi perpetuo ostendit, oriri faciens solem suum super malos & bonos, & pluens super iustos & iniustos, omnemque aliam copiam suppeditans? Adde quod Augustinus libro decimotertio Confessionum, capite trigesimo septimo, nostræ patrocinatori assertioni, dicens: Tu autem domine semper operaris, & semper requiescis, nec vides ad tempus, nec moueris ad tempus, & quietem ex tempore. Et te monet libro quarto, de Genesi ad literam capite octauo, ne ea mentis hebetudine capiaris ut putes deum ex eo requieuisse ab operibus suis, quia prius laborauit, & exhaustis suis laboribus quieuit ab operibus suis conditis, ut credas deum laborasse in operando. Nam ea quæ condidit, quando dicebat, fiat, & fiebant. Et capite nono, declarat quomodo deus quiescat, nec scio ta-

Matth. 5.
Augustinus

men si eius interpretatio placebit ijs qui acri iudicio expendunt quid hoc sibi volebat. Et requieuit deus septimo die ab operibus suis quæ fecerat. Sicut (inquit) recte dicitur deus facere quicquid ipso in nobis operante fecerimus, ita recte deus dicitur requiescere, cum eius munere requiescimus. Hoc quidem recte intelligimus, quia & verum est, & non magna intentione indiget, ut videamur ita dicere requiescere deum, cum nos requiescere facit: sicut dicitur cognoscere, cum efficit ut cognoscamus. Aptius tamen & conuenientius capite duodecimo, explicat eundem locum, & quæ Chrysostomi iudicio consentanea sunt, adfert. Quapropter sic accipimus deum requieuisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut iam nouam naturam ulterius nullam conderet, non utique ut quod condiderat, continere & gubernare cessaret. quod autem dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur, continuationem quandam operis eius qua vniuersam creaturam continet atque administrat, ostendit. Et hac interpretatione quæ videbatur esse repugnantia, coherent & consentiunt. Tum etiam tractatu decimo septimo, in Euangelium Ioannis, agendo de eadem connexionem, dicit explicando illa Christi verba, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: Pater meus & tunc operatus est, cum fecit mundum, & vsque nunc operatur, cum regit mundum: ergo & per me fecit, cum fecit: & per me regit, cum regit. Existimat Lyranus, in secundum caput Geneleos deum requieuisse die septimo, à nouis creaturis producendis, quia nihil est factum postea, quod tunc non fuerit factum in operibus sex dierum, vel in suo simili, vel in suis causis: hæc mihi placet expositio. Alteram tamen assignat vagam & dissolutam. Aliter (inquit) exponitur, prout requies ponitur pro completionem desiderij, & sic deus requieuit in seipso, quia in seipso beatus est, creaturis non indigens, & ad hoc designandum non dicitur quod quieuit in opere suo, sed ab opere scilicet cessans, & in seipso beatifice requiescens. Sed quorsum hæc? Nā ante creationem mundi eadem lege, eademque loquendi ratione dices deum requieuisse, quia suapte natura erat beatus, nec vllius creaturæ adminiculo indigebat. Et licet detorquere possit diuagando à sententia illius loci, nomen quietis ad aliam significationem, nihil tamen conducet ad intelligendum quod Moyses illis verbis insinuare volebat. Nec mihi suadere possum, desiderium dei vniquam fuisse incompletum, ut post creationem mundi factum, sit completum quod prius tale non erat, nisi hæc humano captui attemperare velis. ¶ Sciscitaberis nec importune, Cur deus non requieuit quando fecit caelum, solem, lunam, & terram, & tamen requieuisse dicitur cum fecit hominem? hæc ambiguitatem discutit Ambrosius libro 6. Hexameron, capite 10. dicens: Certe deferamus silentium, quoniam requieuit deus ab omnibus mundi operibus: requieuit autem in recessu hominis, requieuit in eius mente atque proposito, fecerat enim hominem rationis capacem, imitorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum caelestium gratiarum. In his requiescit deus qui ait: Super quem requiescā, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea? ¶ Gratias ergo domino deo nostro, qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret. fecit caelum, non lego quod requieuerit: fecit terram, non lego quod requieuerit: fecit solem, lunam & stellas, nec ibi lego quod requieuerit. Sed lego quod fecerit hominem, & tunc requieuit, habens cui peccata dimitteret. Aut forte tunc iam futuræ dominicæ passionis præcessit mysterium, quo reuelatum est, quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore, pro hominis redemptione, secundum quod ipse dixit: Ego dormiui & requieui, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Ipse enim requieuit, qui fecit.

Lyranus.

Ambrosius.

Esaia 66.

Psal. 3.

CAPVT II.



Vadraginta duæ mansiones fuerunt filiorum Israel in deserto. Hanc Assertionem desumpsimus ex Hieronymo, in Epistola ad Fabiolam, ubi docte & copiose de illis mansionibus iuxta Tropologiam dissertit. Prima mansio, Mouerunt itaque castra de Ramesse mense primo,

Hieronymus

Num. 33.

quintadecima die mensis primi, altera die post pascha, egressi sunt filij Israel in manu excelsa in conspectu omnium Aegyptiorum, & Aegyptij sepeliebāt quos percusserat dominus ex eis omne primogenitum in terra Aegypti, & in dijs eorum fecit dominus iudicia: Ramesse à quibusdam interpretatur commotio turbulenta, aut amaritudo, commotioque tinea, nos autem verius existimamus ex primi tonitruum gaudij. Ad hanc urbem quae in extremis Aegypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat, eo quod tumultum seculi derelinquens, mouebatur à vitijs pristinis, & ab excedente se prius tinea peccatorum, vt omnem amaritudinem vertēs in dulcedinem, dei vocem in Sina monte desuper tonantis audiret. Quod autem verba diuina, & eloquia scripturarum, in istius seculi & mudi rota, tonitruus appellentur, Psalmista declarat, dicens: Vox tonitruui tui in rota. Et dei patris vocem in baptismo saluatoris audientes, tonitruum putauerunt. Cunque commoti fuerimus ad Euangelicam tubam, & excitati tonitruui gaudio, eximus in mēse primo, quando hyems praeterit & abit sibi quando veris exordium est, quando terra parturit, quando cuncta renouantur, & eximus quintadecima die mensis primi in crastinum paschae, pleno mensis lumine, post esum agni immaculati, & calciatos pedes habentes de apostolo, & accinctos pudicitia lumbos, & baculos in manibus praeparatos. Quando enim in Aegyptio decimaquarta die mensis pascha facientes comederimus agnum, tamen tunc nobis lux plena cōpletur, quando in manu excelsa Ramessem dimittimus, quae excelsa dicitur, vel, quod Aegyptum percusserit, vel quod protexerit Israel, videntibus Aegyptijs, qui admirantur nos exire de seculo, & torquentur inuidia: & postea nos tenere cupientes, in persecutionibus suffocantur, quando & Aegyptij sepeliunt primogenitos suos, & patres mortui terrenis operibus, opprimunt mortuos filios. Mihi videtur Aegyptiorum primogenita, dogmata esse philosophorum, quibus deceptos homines, arque irretitos tenebant. Quae cum Israel viuus effugerit, circumdantur mortuis suis, ne exeuntium imitentur, vt tiones. Illud Hebrei aurumāt, quod nocte qua egressus est populus, omnia in Aegyptio templa destructa sint, siue motu terrae, siue ictu fulminum. Spiritualiter autem discimus, quod egredientibus nobis de Aegyptio, errorū idola corruant, & omnis peruersarum doctrinarum cultura quariatur. Origenes accurate & concinne exponit homilia vigesima septima, super Numeros, sequendo interpretationē septuaginta, locum illum, Et in dijs eorum fecit dominus vindictam. Non simulachra (inquit) sed dæmones qui simulachris assident, deos dicit: in quos fecit dominus vindictam. Sed velim requirere quomodo deus vindictam faciat in dæmones, cū vtique vindictae dies & iudicij nondū aduenerit. Sed hanc ego puto in dæmones fieri vindictam, cum is qui ab illis deceptus fuerat, vt idola coleret, per verbum domini conuersus, dominum colit, & ex ipso opere conuersionis, in eum vindicta qui deceperat datur. Similiter si is qui à dæmonibus deceptus fuerat ad fornicandum, conuertatur ad pudicitiam, diligat castitatem, errasse se defleat, poenitentiae ipsius lachrymis vratur, & incenditur dæmon, & sic vindicta datur in deceptoris auctorem. Similiter etiam si quis de superbia ad humilitatem, de profusione ad parsimoniam redeat, per hanc singula dæmones, qui se in hoc deceperāt, flagellat & cruciat. Quantis eos putatis agi tormentis, si quem videant, secundum verbum domini vendere omnia sua quae possidet, & dare pauperibus, & tollere crucem suam, & sequi Christum? Super omnia verò eis est tormentorum genera, & super omnes poenas, si quem videant verbo dei operam dare, scientiam diuinae legis, & mysteria scripturarum intentis studijs perquirentem, in hoc eorum omnis flamma est, in isto vruntur incendio: quoniam quidem ignorantiae tenebris humanas obscurauerant mētes, & per hanc obtinuerāt, vt deus quidem ignoraretur, ad ipsos verò diuini cultus studia transferrentur. Quae putas in illos vin-

Psal. 76.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luca. 3.

Exo. 12.

Origenes.

Matth. 19.

dicta datur, quae inferit eis flamma poenarum, cū vident hęc lumine veritatis aperiri, & fraudis suae nebulas per agnitionē legis diuinae referari? Possidēt enim cūctos qui in ignorantia viuūt, & nō solū illos qui adhuc in ignorantia sunt, sed ingerūt se sepe etiā ijs qui agnouerunt deū, & rursus in eis opera ignorantiae conātur operari. Neque enim sine ipsis consummat omne peccatū. Nam cū adulteriū quis cōmittit, nō est vtique sine dæmone, vel cū ira immoderata rapta, vel cū diripit aliena, & qui sedes aduersus proximū suū detrahit, & aduersū filiū matris suae ponit scandalū, non est sine dæmone. Et ideo omnimode agendū est nobis ne forte Aegyptiorū primogenita, vel deos eorū quos dominus percussit & extinxit, resuscitemus in nobis, si eis locū dederimus operadi in nobis ea quae odit deus. Si autē ab his omnibus cōtinuamus nos, eo modo quo supius diximus, dedit vindictā in omnib⁹ dijs Aegyptiorū, poenāsq; ex nostra emēdatione & cōuersatione dæmones suscipiūt. Hęc ille. ¶ Et proficiētes filij Israel de Ramesse, castrametati sunt in Socoth. Secūda mansio. hanc tamē Lyra. putat esse primā, sed malo sequi sententiā Hieronymi q̄ Lyrani. Nam dictū est q̄ profecti sunt de Ramesse mēse primo, & à Ramesse venerūt in Socoth. ergo verisimile est filios Israel egredientes Aegyptū, fecisse suā primā mansionē in Ramesse. Etiā historia Numerorū, auspiciat istas mansiones à Ramesse. Nisi velis dicere cū Lyrano Ramesse fuisse locū vnde primo recesserūt filij Israel, & quae à Ramesse exeutes de Aegyptio, venerūt primo in Socoth, idcirco nō improbabile est dicere Socoth fuisse primā illorum mansionē: sed redeo ad Hierony. In hac eoquūt panes azymos, & primū tendūt tabernacula, vnde & ex re locus nomē accepit. Socoth quippe interpretatur in lingua nostra tabernacula siue tētoria. Et ob hoc 7. die 15. die mensis solēnitatis tabernaculorū est. Cū ergo exierimus ex Aegyptio, primū tabernacula figimus, sciētes nobis ad vltiora pergendū. Tunc nō cōedimus de fermento Aegypti malitiae & nequitiae, sed vescimur azymis sincertatis & veritatis. ¶ Et profecti de Socoth, castrametati sunt in Ethā, quod est in extremo solitudinis. Tertia mansio offerē post tabernacula, in qua primū videtur dominus nocte in colūna ignis, & per diē in colūna nubis, vt precedat populū, & dux itineris fiat. Etham nobis sonat fortitudo atq; perfectio, de qua & Dauid canit: Tu dirupisti flumina Ethā, id est fortes. Grādis est fortitudo Aegyptū dimittere, & in extrēma solitudine cōmorari. ¶ Profecti q; de Ethā reuerfi sunt ad Phihahiroth, quod est cōtra Beelsephō, & castrametati sunt è regione Magdal. Quarta mansio, est Phihahiroth, quae interpretatur os nobiliū: Magdal verò magnitudo vel turris. Assumpta igitur fortitudine nobilitamur in domino, & Beelsephon idoli arcana contēnimus, illiūsq; magnificentiam & turratā superbiam declinamus. Origenes dicit: Beelsephō interpretatur ascēsis speculae siue turris, homo incipit speculari, & prospicere spem futurā, & altitudinem profectuum cōtemplari, & paulatim cre scit, dū plus spē nutritur, q̄ laboribus fatigatur. ¶ Et profecti de Phihahiroth, trāsierunt per mediū mare in deserto, & ambulauerūt viam triū dierum in solitudine Ethā, castrametati sunt in Marah. Quinta mansio est in Marah, quae interpretatur amaritudo. Non poterāt ad rubri maris gurgites peruenire, & Pharaonem cū suo exercitu videre pereuntē, nisi postq̄ habuerunt in ore nobilitates, id est in domini cōfessione virtutes, quando crediderūt deo, & Moyfi famulo eius, & audierunt ab eo: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis: & victores Maria praecinēte, in tympanis & choris resonare coeperūt carmina triumphantū: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est, equū & ascensore proiecit in mare. Post predicationē Euangelij, post tabernacula transmigrantiū, post assumptā fortitudinē, post cōfessionis nobilitatem, Aegyptij & Pharaon rursus occurrūt. Vnde discimus cauēdas semper insidias, & inuocādam misericordiā dei, vt insequētem Pharaonē possimus effugere, & nobis in spiritali baptismo suffocet. Egressis de mari rubro, occurrit eremus Sur, quae & solitudo Ethā dicit, in qua tribus dieb⁹ ingredientes nō habuerūt aquā, & peruenērūt ad Marah, quae ex amaritudine nomē accepit.

Nume. 33.
Lyranus.

Exodi 12.

Exo. 13.

Psal. 37.

Exodi 15.

Exo. 14.

Exodi 15.

Habebat fons aqua, & dulcedinē non habebat: murmurat populus vidēs aquas, & potare nō sustinens. Marah intellige aquas occidētis literæ. quibus si immittatur cōfessio crucis, & passionis dominicę sacramēta iungantur, omne quod impotabile & triste videbatur ac rigidū, vertitur in dulcedinē. ¶ Et profecti de Marah venerunt in Elim, vbi erant 12. fontes aquarū, & 70. palmę, ibique castrametati sunt. Sexta mansio in arietes fortēsq; vertitur. Quam pulcher ordo virtutū. Post victoriā tentatio, post tentationē refectio. De amaritudine venimus ad arietes, & robustos principes gregis, quos apud Ezechielē dominus iudicaturū esse se dicit, & alij eorū conculcauerint aquas, & cōpresserint oues: alij leues, & placabiles fuerint. De his & 28. psalmus loquitur, Afferre domino filij dei, afferre domino filios arietum. Sextę māsionis tenemus hospitium. Nunq̄ prius occurrerunt fontes purissimi, nisi vbi magistrorū doctrina prorupit. Huiuscē māsionis mysteria patefaciens Origenes, dicit: Vides post amaritudines, post asperitates tētationum, q̄ te amena suscipiūt loca? Nō venisses ad palmas, nisi tētationū amaritudines pertulisses: nec venisses ad dulcedinē fontiu, nisi prius quę tristia fuerāt & aspera, superasses: nō quia iam finis sit in his itineris, & perfectio cunctorū: sed dispensator animarū deus, in ipso itinere interfert laboribus etiā quedā refrigeria, quib⁹ refota anima, & reparata prōptior redeat ad reliquos labores. Helim autē interpretatur arietes. Arietes autē duces sunt gregū. Qui sunt ergo duces gregis Christi nisi apostoli, qui sunt & 12. fontes: verū quoniam non solū illos 12. elegit dominus & saluator noster, sed & alios 72. idcirco non solum 12. fontes, sed & 72. arbores scribitur esse palmarū: & ipsi enim apostoli nominantur, sicut & ipse Paulus dicit, cū de resurrectione saluatoris exponeret: Visus est, inquit, illis 11. deinde apparuit & omnibus apostolis: in quo ostēdit esse & alios apostolos, exceptis illis 12. Hęc te ergo amoenitas post amaritudinē, hęc te requies post laborē, hęc te gratia post tētamenta suscipiet. ¶ Profectiq; de Elim, castrametati sunt ad mare rubrū, quod Hebraice dicitur Iā suph. Septima māsio. & queritur quomodo post transitionē maris rubri, & fōtis Marah & Elim, rursum ad mare rubrū venerint: nisi forte in itinere pergētibus, sinus quidā maris occurrerit, iuxta quē castrametati sint. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Ex quibus monemur, etiā post Euangelicā doctrinā, & cibos dulcissimos triumphorū, apparere nobis interdū mare, & preterita discrimina poni ante oculos. Obserua (inquit Origenes) quia iam nō intrāt mare rubrū, semel tantū sufficit intrasse: modo iam applicāt iuxta mare, vt videant quidē mare, & yndas eius aspiciāt, nequaquā tamen motus ipsius & impetus perimeat. ¶ Et profecti de mari rubro castrametati sunt in solitudine Sin. Octaua māsio, licet iuxta ordinē Exodi 7. sit. sed sciēdum q̄ omnis vsq; ad montem Sinai eremus Sin vocetur, & ex tota prouincia, etiā locus nomē vnius mansionis acceperit. sicut Moab tam vrbis q̄ prouincię nomen est. In hac solitudine 5. mansiones sunt: Iam suph, de qua supra dixim⁹, & eremus Sin, & Daphca, & Alus, & Raphidim, de quibus loquemur in cōsequentibus. Sin autem interpretatur rubus vel odiū, quorum vtrumq; facit ad mysticos intellectus, & postq̄ venerimus ad eū locum de quo sit nobis dominus locuturus, grāde odium mereamur inimici. Tūc videbimus ardere rubū, & non cōburi, inflammari Ecclesiā persecutionibus, & eā loquente in illa domino, nō perire. ¶ Et pfecti de deserto Sin, castrametati sunt in Daphca. Nona māsio. hoc nomē apud Hebręos *דפח*, id est pulsatio dicitur, iuxta quod & dominus ait: Pulsate & aperiet vobis. Post respōsa domini, post 8. numerū resurrectionis Christi incipimus sacramēta pulsare. ¶ Profecti de Daphca, castrametati sunt in Alus. Decima māsio in Exodo non habetur, crediturq; in Sin eremo cōtineri, eodem narrāte libro: Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de eremo Sin per māsiones suas iuxta os domini, & venerūt Raphidim. Ex quo perspicuum est plures mansiones eiusdē regionis vocabulo demonstrari: interpretaturq; Alus fermentū, quod tollēs mulier miscuit farinæ fatis tribus, donec fermentaretur rotū.

Ezechie. 32.

Psal. 28.

Origenes.

Ioan. 6.

Lucę 10.

1. Corin. 15.

Exodi 16.

Exodi 3.

Matth. 7.

Exodi 16.

Matth. 13.

In hac solitudine murmurat populus propter famē, & conuersus respicit procul in nube gloriā dei, accipitque vespere coturnicē, & mane alterius diei māna. Et nota mānōne decima fermentū poni, & post esum carniū māna tribui, implerique scripturā, Panem angelorū manducauit homo. Origenes, loquēs de hac mānōne, dicit: Alus, labores interpretantur. Nec mireris si sanitatē sequuntur labores, propterea enim & adipiscitur à domino anima sanitatē, vt labores delectabiliter, & nō inuita suscipiat. Dicitur enim ei, Labores fructuum tuorū manducabis, beatus es, & bene tibi erit. ¶ Profecti de Alus castrametati sunt in Raphidim, & nō erat ibi aqua populo. Vndecima mansio est, quam violenter interpretatā in libro Hebraicorū nominū reperi, vidit os sufficiens eis, aut certe visio oris fortiū, meliūsq; transfertur dissolutio fortiū vel sanitas fortiū, siue iuxta proprietatē lingūę Syre, remissio manū. Hęc & in Exodo legitur post profectiōnē de Eremo Sin. Queritur in ea populus ob ardorē sitis, fōs de petra Horeb erūpit & profluit: & quia tentauerūt deum, locus Raphidim, tētationis quoq; id est Masa fortitus est nomen. Moyses ascendit in montē, Iesus cōtra Amalec militat, ad crucis signū superatur inimicus, remissis manibus, hostis victor insequitur. Sedit Moyses super lapidem dictū à Zacharia, qui seprē habebat oculos, & in Samuelis volumine appellatur Aben Haaser, id est lapis adiutorij, & vtramq; manum eius Aaron & Hur, id est montanus lucidūsq; sustentat. Deuictō aduersario superuenit Ierthro, adducit Ze phorā & vtrumque filium, dat consiliū septuaginta seniorū: & in typum Ecclesię de gētibus congregatę, legis imminutio Euangelio suggerēte completur. Pulchre autem dissolutio ac sanitas fortiū Raphidim dicitur, vel propter dissipatū Amalec, vel propter sanatum Israel. Existimat tamē Origenes Raphidim, ab interpretatione dici laudem iudicij, iustissime laus sequitur, post labores, cuius tamen rei laus: Iudicij, inquit: sit ergo laude digna anima, quę recte iudicat, recte discernit, id est quę spiritualiter diiudicat omnia, & ipsa à nemine diiudicatur. ¶ Et profecti de Raphidim, castra posuerūt in solitudine Sinai. Duodecima māsio est. Statim tibi veniat in mentē apostolorum numerus. Vna de pluribus, sed maior omnibus: nō separatur in ordine, sed præcellit in merito. Ad hunc locū 47. die perueniūt, scriptura dicente: Mense tertio egressiōnis filiorum Israel de Aegypto, in die hac transferūt in solitudine Sinai, profectiq; de Raphidim venerunt in desertū Sinai, & castrametati sunt in Eremo, sediq; ibi Israel è regione mōtis, & Moyses accēdit ad deū, vocauitque dominus de mōte dicens, & reliqua. Et rursum, Vade (inquit) ad populū, & sanctifica eos hodie & cras, & lauent vestimenta sua, sintq; parati in diem tertiū, quia tertio die descēdet dominus vidēte vniuerso populo super montē Sinai. Quod & factū est. Laueruntq; vestimenta sua, & ab vxorū coitu separatis, die tertio descēdit dominus in montē, quo fumāte & fulgure, tonitruo, caligine, voce, tuba, mortaliū corda terrētibus, Moyses loquebatur, & dominus respōdebat ei. Supputemus numerū, & inueniemus quinquagesimo die egressiōnis Israel ex Aegypto in vertice mōtis Sinai legem datā. Vnde & Pentecostes celebratur solēnitas, & postea Euāgelij sacramentū in spiritus sancti descēsiōne completur: vt sicut priori populo quinquagesimo die, vero iubileo, & vero anno remissionis, & veris quinquaginta & quingētis denarijs, qui debitoribus dimittuntur, lex data est, in apostolos quoq; & qui cum eis erant, in centesimo vicesimo Moisaicę gratis numero constitutis, descenderit spiritus sanctus, & diuisis linguis credentiū, totus Euangelica prædicatione mūdus expletus sit. Origenes, in hac Allegorica interpretatione dicit: Postq̄ ergo laudabilis iudicij facta est anima, & rectū coepit habere iudicium, tunc ei datur lex à deo, cū capax esse cœperit te cretorum diuinorū, & celestium visionū, inde venit ad Monumēta concupiscentię. Quid est monumenta cōcupiscentię? Sine dubio vbi sepultę sunt & obrutę concupiscentię, vbi extincta est omnis cupiditas, nec vltra concupiscit caro aduersus spiritū, mortificata, scilicet morte Christi, & hoc præstat intelligentiā subsequen-

Exodi 16.
Psal. 77.

Psal. 127.

Exodi 17.

zacha. 3.

Exo. 18.

1. Corin. 2.

Exo. 19.

Ibidem.

Exodi 24.

Leuitici 23.

Acto. 2. &

Leuiti. 25.

.f. ij.

ti mansioni, de qua scriptum est. ¶ Et profecti de solitudine Sinai, castrametati sunt in Sepulchris concupiscentie. Decimatertia mansio, cuius nomen cum interpretatione editum apud Hebræos appellatur Cibaroth Ataua. Est autem sensus ille de Euangelio, quod Iesus baptizatus statim a spiritu ductus est in desertum, & tetatus a diabolo. Itaque & Israel post familiarem cum domino sermonem, postquam iuxta montem Sinai comoratus est anno vno & diebus quatuor, mira dispositione castrorum egredus est in solitudinem Pharan, quæ interpretatur onager aut feritas, ibique succumbit male bestie, fastidians caelestem panem, & Aegyptiorum carnes desiderans, quando multos subito vorauit incendium, & intercedente Moysen, humum vorax flamma consumpsit. Tunc accipiunt coruones, & usque ad nauseam ac vomitum deuorant.

¶ Et profecti de Sepulchris concupiscentie, castrametati sunt in Hazeroth. Decimaquarta mansio est in solitudine Phara, quæ in atria vertitur, in hac Aarō & Maria propter Aethiopiis contra Moysen murmurant, & in typum zeli, aduersus Ecclesiam de gentibus congregatam, populus Iudæorum lepre sorde perfunditur, nec redit ad tabernaculum, & pristinam recipit sanitatem, donec statum plenitudinis gentium tempus impleatur. Et hic prudens lector attende, quod post consummatam in duodecimo numero virtutem, quia superbiuit Israel, & in Sepulchris concupiscentie carnes Aegyptias desiderauit, rursus iacit aliud fundamentum, & atria, id est vestibulum virtutum ingreditur, ostendens nobis, & eos qui stant posse cadere: & qui ceciderunt, posse resurgere. Positus est enim Iesus in ruinam, & resurrectionem multorum, & ipse loquitur per prophetam: Num qui cadit non resurget? Origenes, ad hanc enarranda, dicit: Post hæc venit in Hazeroth, quod interpretatur atria perfecta vel beatitudo. Intuere diligentius omnis viator, quis sit ordo profectuum, postquam sepelieris, & morti tradideris concupiscentias carnis, venies ad amplitudines atriorum, venies ad beatitudinem. Beata namque est anima quæ nullis iam vitij carnem vrgetur. ¶ Et profecti de Hazeroth, castrametati sunt in Rithma, pro quo supra in eodem libro legimus, postquam profectus est populus de Hazeroth, castrametati sunt in solitudine Phara. Hæc est autem decimaquinta mansio. Et notandum quod reliquæ mansiones decem & octo, quarum nunc breuiter catalogus describitur, à Rithma usque ad Esongaber, id est usque ad tricesimam secundam mansionem, sub Pharan solitudinis nomine contineantur, in quibus vniuersa quæ scripta sunt, diuersis temporibus gesta sentimus, quæ quia non sunt per mansiones singulas distributa, à nobis quoque in commune dicuntur, ut postea veniamus ad reliqua. Rithma transferatur sonitus aut iuniperus. Ferunt autem lignum hoc, ignem multo tempore conseruare, ita ut si prunæ ex eius cinere fuerint operæ, usque ad annum perueniant. Ex quo discimus post sepulchra concupiscentie, & vestibula, transferre nos ad lignum quod multo tempore calorem tenet, ut simus feruentes spiritu, & claro sonitu, atque exaltata voce Euangelium domini predicemus. ¶ Et profecti de Rithma, castrametati sunt in Remon phares. Decimasexta mansio est, quæ interpretatur Græco sermone *ροκονης*: Latine, mali punici diuisio, quod alij malum granatum vocant, cuius arboris fructus in scriptura dupliciter accipitur: aut in Ecclesie gremio, quæ omnem turbam credentium suo cortice tegit, aut in varietate & consonantia virtutum, iuxta illud quod scriptum est: Multitudinis autem credentium cor erat vnum, & anima vna: sicque diuisi sunt singuli gradus, ut omnes eadem copage teneantur. ¶ Et profecti de Remon phares, castrametati sunt in Lebna. Decimasextima mansio est, quæ in lateres possumus vertere, licet quidam Lebbona transferentes, male candorem interpretati sint. Legimus Aegyptios lateres in Exodo, quos populus faciens ingemuit. Legimus in Malachia lateres pro quibus Idumæa destructis, politos lapides reponere nititur. Et laterem in Ezechiel, in quo obfesse Hierusalém pictura describitur. Ex quibus discimus, in itinere istius vite, & de alio in aliud transitu, nunc nos crescere, nunc desecere, & post ordinem Ecclesiasticum sepe ad laterum opera transfugare. Origenes: Post hæc (inquit) venit Lebna (ut habetur in nostra translatione) quod interpreta-

Nume. 11.
Matth. 4.

Nume. 11.
Nume. 12.

Roman. 11.

Lucæ 21
Hierem. 8.

Acto. 4.

Exodi 1.
Malach. 14
Ezechiel. 4.

rur dealbatio. Scio in alijs dealbationem culpabiliter poni, ut cum dicitur paries dealbatus, & monumenta dealbata. Sed hic dealbatio illa est, de qua dicit propheta: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Et iterum Esaias: Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, ut niuem dealbabo, & ut lanam candidam efficiam. Item in psalmo, Niue dealbabor in Selmō. Et vetusti dierum capilli dicuntur esse candidi, id est albi sicut lana. Sic igitur dealbatio, hæc ex splendore vera lucis venire intelligenda est, & ex visionum caelestium claritate descendere. ¶ Et profecti de Lebna, castrametati sunt in Resfa. Decima octaua mansio, in frenos vertitur. Si enim post profectum, rursus ad luti opera descendimus, infrenandi sumus & cursus vagi atque precipites, scripturarum retinaculis dirigendi. Origenes, Post hæc, mansio sit in Resfa, quod apud nos dici potest visibilis siue laudabilis tetatio. Quid est hoc: quod quamuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur, unde apparet quia velut custodia quædam, & munimen ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro si sale non aspergatur, quamuis sit magna & præcipua, corrumpitur. Ita & anima nisi tentationibus assiduis quodammodo salietur, continuo resoluitur ac relaxatur. Vnde constat propter hoc dictum esse quod omne sacrificium sale salietur: inde denique est quod & Paulus dicebat, Et ne in sublimitate reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Hæc ergo est visibilis vel laudabilis tentatio. ¶ Et profecti de Resfa, castrametati sunt in Caaltha. Decimanona mansio interpretatur Ecclesia: vagi currentium gressus, frenis ad Ecclesiam retrahuntur, & fores quas ante reliquerat, rursus intrare festinant. ¶ Et profecti de Caaltha, castrametati sunt in monte Sapher. Vigesima mansio interpretatur pulchritudo, & in monte decoris est constituta, de qua & quartidecimi psalmi principium sonat: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Vide quid profunt frena. A vitij nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, & in Christo monte pulcherrimo habitare faciunt. ¶ Profecti de monte Sapher, castrametati sunt in Harada. Vicesima prima mansio, vertitur in miraculum. Quam pulcher ordo profectuum, quam egregia textura credentium. Post opus lateris infrenamur, post frenos in Ecclesiam introducimur, post habitationem Ecclesie, ad Christum montem ascendimus, in quo positi stupemus atque miramur, ut noster in laudibus eius sermo superetur, inuenientes in eo, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. ¶ Et profecti de Harada, castrametati sunt in Maceloth. Vicesima secunda mansio, in coetus, vertitur, in hac enim consistit multitudo credentium, Ecclesia primitiuorum, virtutum omnium consonantia. Tunc vere possumus dicere, Ecce quam bonum & quam iocundum, habitare fratres in vno. Et dominus habitare facit vnus moris in domo. Origenes, Ex hac (inquit) venit ad Maceloth quod est principatus vel virga, ex vtroque verò potestas indicari videtur, & quod anima eousque profecerit, ut dominetur corpori, & ipsa in illud, virgam potestatis obtineat: immo non solum corpori, sed & vniuerso mundo, cum dicit: Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo. ¶ Et profecti de Maceloth, castrametati sunt in Thaath. Vicesimatertia mansio, potest & subter intelligi, sed melius pauore interpretabimur. Venisti ad Ecclesiam, ascendisti ad montem pulcherrimum, stupore & miraculo, Christi magnitudinem confiteris: vides ibi multos virtutis tuæ socios. Noli altum sapere, sed time: Dominus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam. Et qui se exultat, videat ne cadat, potentes poterent tormenta pati. Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. ¶ Profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare. Vicesima quarta mansio. Pater Abraham, abactis coruis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris vel depulsoris sortitus est nomen: itaque & nos imitemur Thare, & volucres cæli quæ iuxta viam satum triticum deuorare festinant, solliciti prohibeamus. Nam & Abraham patriarches in typo Israelis, & hostium diuisa membra sacrificij, à volucris.

Acto. 23.
Matth. 23.
Psal. 50.
Esaiæ 1.
Psal. 67.

Matth. 9.
1. Corin. 12.

Psal. 14.

Esaiæ 64. &
1. Corin. 2.

Psal. 132.
Psal. 67.

Gala. 6.

Roma. 11.
Iacobi 4.
1. Corin. 10.
Sapien. 6.

3. Reg. 17. bus non finit deuorari, & contemptorem oculum effodiunt corui de conuallibus, verusq; Moyfes ducit Aethiopiſſam, & Elias à coruis paſcitur. Si habueris pauorem, ſollicitus eris: ſi ſollicitus fueris, leo in caulas ouium tuarum introire non poterit: quod vel ad præpoſitos Eccleſiarum, vel ad cuſtodi am refer animæ tuæ, ad quam diabolus per diuerſa vitiorum foramina ingredi nititur. Origenes hanc edifferens Tropologice manſionem, dicit: Thara apud nos intelligitur contemplatio ſtuporis. Non poſſumus in Latina lingua vno ſermone exprimere verbum Græcum, quod illi *κωσπ* vocant, ſed eſt cum pro alicuius magnæ rei admiratione obſtupescit animus. Hoc eſt ergo quod dicit contemplatio ſtuporis, cum in agnitione magnarum & admirabilium rerum mens attonita ſtupet. ¶ Et profecti de Thare, caſtrametati ſunt in Methca. Viceſima quinta manſio, vertitur in dulcedinem. Aſcendiſti in excelsum, admiratus es virtutū choros, timuiſti ruina, abegisti inſidiatores, dulcis te protinus fructus laboris inſequitur, & in morem literarum, radicū amaritudinem, pomorū ſuauiſſitas compenſabit, & dices: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Sponſumque tibi audies concinentem, mel diſtillant labia tua, ſoror mea ſpōſa. Quid enim dulcius diſciplina? Quid eruditione melius? Quid dulcius domino? Cuſtate & videre quoniam ſuauiſſus eſt dominus. Origenes, Methca interpretatur mors noua. Quæ eſt noua mors? Quando Chriſto cōmorimur, vt & conuiuamus ei. ¶ Profecti de Methca, caſtrametati ſunt in Aſmona. Viceſima ſexta manſio in lingua noſtra feſtinationem ſonat, iuxta illud quod in pſalmo ſcribitur, Venient legati ex Aegypto, pro legatis in Hebræo, feſtinantes legimus, vt poſtquam dulces fructus laboris meſſuerimus, non ſimus quiere contenti & otio, ſed ruſſum ad vltiora properantes, obliuiſcamur præteritorum, & in futura nos extēdamus. ¶ Et profecti de Aſmona, caſtrametati ſunt in Moſeroth. Viceſima ſeptima manſio, vincula ſiue diſciplinæ ſonat, vt feſtino gradu pergamus ad magiſtros, & eorum teramus limina, & præcepta virtutū, ac myſteria ſcripturarum, vincula putemus æterna, iuxta illud quod in Eſaia dicitur: Et Sabain viri ſublimis ad te tranſibunt, & tui erūt, poſt te ambulabunt vinciti manicis. Et Paulus vincitus Ieſu Chriſti. ¶ Et profecti de Moſeroth, caſtrametati ſunt in Beneiaacan. Viceſima octaua manſio tranſfertur in filios neceſſitatis ſeu ſtridoris. Qui ſint iſti filij neceſſitatis, Pſalmus ipſe nos doceat: Afferte domino filij dei, afferte domino filios arietū. Quæ eſt tanta neceſſitas, quæ nolentibus imponatur? Cum diuinis ſcripturis fueris eruditus, & leges earum ac teſtimonia vincula ſcieris veritatis, contendens cum aduerſarijs, ligabis eos, & vinctos duces in captiuitatē, & de hoſtibus quondā atque captiuos, liberos dei facies, vt repente dicas cum Sion, Ego ſterilis & non pariens, tranſmigrata & captiua, & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola, & iſti vbi erant? Porro (inquit) Hieronymus, quod vertimus filios ſtridoris, ad illū ſenſum refert, quod timore ſupplicij, & eius loci vbi eſt ſterus & ſtridor dentium, deſerens diaboli vincula, Chriſto domino credentium turba colla ſubmittat. ¶ Et profecti de Beneiaacan caſtrametati ſunt in montem Gadgad. Viceſima nona manſio interpretatur nuntius ſiue expeditio, & accinctio, vel certe quod nos verius arbitramur *κατακοπή*, id eſt conciſio. Haud aliter poſſumus magiſtri diſcipulorū atque credentium eos facere filios neceſſitatis, niſi præceptores eorū interfecerimus. Crudeles ſimus in occiſione eorū, non parcat manus noſtra, armū aut extremum auriculæ de ore leonis extrahe-re, maledict⁹ qui facit opus domini negligēt, & qui prohibet gladium ſuū à ſanguine. Vnde & Dauid, In matutino (inquit) interficiebā omnes peccatores terræ. ¶ Et profecti de mōte Gadgad, caſtrametati ſunt in Ietebatha. Triceſima manſio, bonitas interpretatur, vt cū peruenerimus ad perfectū virum, in ſacerdotale gradum, & in ætatem plenitudinis Chriſti, in qua & Ezechiel erat iuxta fluuiū Cobar, poſſimus cū Dauid in 30. pſal. canere, In te domine ſperauī nō confundar in æternū. Paſtor enim bonus ponit animā ſuam pro ouib⁹ ſuis. Origenes Tabatha inter-

pretatur bona. Ad bona ergo non niſi poſt tentamentorū experimenta venitur. ¶ Et profecti de Iotbatha, caſtrametati ſunt in Ebrona. Triceſima prima manſio interpretatur *πρόλιωσις*, id eſt tranſitus ſiue tranſitio. Ad hanc venit verus Hebræus, id eſt *πρόλιωσις* ſiue tranſitor qui dicere poteſt, Tranſiēs videbo viſionem hanc magnam, de qua & pſalmiſta canit, Et non dixerunt, qui præteribant, benediſtio domini ſuper vos. Præterit enim figura huius mundi, & propterea ſancti cupiunt ad meliora tranſire, nec præſenti ſtatu cōtenti, ingemiſcunt quoridie. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſiſſo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum dei. Origenes, Inde applicuerūt in Ebrona, quod eſt tranſitus. Tranſeunda namque ſunt omnia, quia etiam ſi ad bona venias, oportet te & ad meliora tranſire, vſquequo ad illud bonum venias, in quo ſemper debeas permanere. ¶ Et profecti de Ebrona, caſtrametati ſunt in Aſion: gaber. Triceſima ſecunda manſio, tranſfertur in ligna viri, ſiue dolationis hominis, quod ſignificantius Græce dicitur *εὐλακισμοφόρος*. Vnde in ſolitudine multitudo lignorum: niſi quod ſeduli & diligentis magiſtri diſciplina monſtratur cedentis ligna informia, & dolantis, facientisſque vaſa diuerſa, quæ in domo magna neceſſaria ſunt. Legit aliter Origenes, Poſthæc peruenitur ad Gaſiongabis, quod interpretatur conſilia viri. Si quis deſijt puer eſſe ſenſibus, iſte peruenit ad conſilia viri, ſicut & ille qui dicebat: Cum autem factus ſum vir, quæ paruuli erant depoſui. Sicut ergo magna conſilia viri, ſicut & ille ait, Aqua alta, conſilium in corde viri. ¶ Et profecti de Aſion gaber, caſtrametati ſunt in deſerto Zin, hæc eſt Cades. Quæritur cur octaua manſio, nunc triceſimatertia eſſe dicatur. Sed ſciendum quod prior per Samech literam ſcribitur, interpretaturque rubus ſiue odium: hæc autem per Sade, & vertitur in mādatum: illudque quod iungitur Cades, non vt plerique exiſtimant) ſancta dicitur, ſed murata ſiue tranſlata legimus in Geneſi iuxta Hebræicam veritatem, vbi Iudas meretricem putans Thamar, dona tranſmiſit & ſequeſter munerum interrogat, vbi eſt Cadeſa, hoc eſt ſortum: cuius habitus à cæteris ſceminis immutatus eſt. In hac manſione moritur Maria & ſepelitur, & propter aquas contradicitionis, Moyſes & Aaron offendunt dominum, & prohibentur tranſire Iordanem, miſiſſique nuntijs ad Edom tranſitus petitur nec impetratur. Quis timeret poſt tantos profectus murmur populi, & offenſam magiſtrorum, & vię tranſitus denegatos? Hæc eſt manſio de qua pſalmiſta canit, Cōmouebit dominus deſertum Cades. Non video tamen in noſtra tralatione, Sin à prima litera immutatū. Vnde Origenes dicit, Hinc iterum venitur Sin, iterum tentatio eſt Sin. diximus enim quia nec aliter expedit iter iſtud incedere, ſicut (verbi gratia) ſi quis aurifex vas neceſſarium facere volens, frequēter illud igni admoueat, frequēter malleis ſubdat, raſorijs ſæpe perſtringat, vt & purgatius fiat, & ad illam ſpeciem quam proſpicit artifex, atque ad illam pulchritudinem deducatur. Hæc ille. Et quoniā triceſimatertia manſio ab octaua diuerſa eſt, Hieronymus Hebræicę veritatis ſtudioſiſſimus & doctiſſim⁹, aperte docet Sin in iſtis duabus manſionibus non obtinere eandem primam literam, & huius viri peritiſſimi iudicio accedendum eſt. ¶ Et profecti de Cades, caſtrametati ſunt in monte Or, in extremo terrę Edom, aſcenditque Aaron ſacerdos in montem Or, iuxta præceptum domini, & mortuus eſt ibi anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael de terra Aegypti, menſe quinto, prima die menſis. Erātque Aaron centum viginti trium annorum, quando mortuus eſt in monte Or. Et audiuit Chanaan rex Arad qui habitabat ad auſtrum in terra Chanaan, quod veniſſent filij Iſrael. Triceſima quarta manſio, mons interpretatur, & legi poteſt, Aſcendit Aaron ſacerdos in montem, id eſt in verticem eius. Ex quo animaduertimus non in monte ſimpliciter, ſed in monte montis pontificem mortuum, vt dignus locus meritis illius moſtraretur. Moritur autem eo anno quo nouus populus repromiſſionis terram intraturus erat, in extremis finibus terræ Idumæorū.

Nume. 21.

Nume. 21.

Roma. 10.

Thren. 4.
Luca 11.

2. Corin. 12.

Pfal. 123.
Pfal. 22.
Pfal. 90.
Ibidem.

Et quāquam in mōte sacerdotium Eleazaro filio dereliquerit, lexque eos qui eam impleuerint perducatur ad summum, tamen ipsa sublimitas non est trans fluenta Iordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus, & plāgit eum populus triginta diebus. Aaron plangitur, Iesus non plangitur: in lege descensus ad inferos, in Euangelio ad paradysum transmigratio. Audiuit quoque Chanaanus quod venisset Israel, & in loco exploratorum (vbi quondam offendisse populū nouerant) ineunt prēlium, & captiuū ducunt Israel. Rursūmq; in eodem loco pugnatur, ex voto victor vincitur, victi superant, appellaturque nomen loci, Horma, id est anathema: hæc adumbrat, quod semper humanus status in huius seculi via fluctuet, & alius in valle, alius in campis, alius moriatur in monte, nec in monte simpliciter, sed in montis monte, id est in excelsio vertice. Cunque nos dei auxilio destitutos hostis inuaserit, duxeritque captiuos, non desperemus salutem, sed iterum armemur ad prēlium: potest fieri ut vincamus, vbi victi fuimus: & eodē loco triumphemus, vbi fuimus ante captiuū. ¶ Et profecti de mōte Or, castrametati sunt in Selmona, profectiq; de Selmona, venerunt in Phimon. Hæc duæ mansiones 35. & 36. in ordine historiæ quæ scilicet habetur Numeri 21. non inueniuntur, sed scriptum est pro eis, Egressi sunt de monte Or, per viam maris Rubri, & circumierunt terram Edom. Ex quo ostenditur in finibus atque circūitu terræ Edom eas positas. Nec secundum morem legitur, Et profecti de monte Or, castrametati sunt in Selmona, siue in Phimō, sed post ambitum terræ Idumæorum venit ad extremū, & ait: Profecti filij Israel, castrametati sunt in Oboth. Nec dixit, profecti sunt de illo, & illo loco, quia duas mansiones silentio prætermiserat, quas cum in suppuratione tacuerit, reddit in summa. Prima mansio Selmona, interpretatur imaguncula, secunda Phimon, diminutiue os, ab ore non ab offe intellige: in his Aaron mortuo murmurant contra deū & Moysen, manna fastidiunt, a serpentibus vulnerantur, & in typum saluatoris, qui verum antiq; uimq; serpentē in patibulo crucis triumphauit, diaboli venena superantur. Vnde & imaguncula veræ expressæq; imaginis filij dei passionem eius intuens, conseruatur: & quod corde credit, ore pronuntiat, legens illud apostoli: Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Origenes, Subsequitur, inquit, post hæc mansio Selmona, quod interpretatur umbra portionis, illā puto umbram dici, de qua & propheta dicebat, Spiritus vultus nostri Christus dominus, cui diximus, in umbra eius viuemus in gētibus. Sed & illa similis huic umbra est, de qua dicitur, Spiritus domini obumbrabit tibi. Umbra ergo portionis nostræ, quæ nobis opacitatem præstat ab omnī æstu tentationum, Christus dominus est, & spiritus sanctus. Hinc iam venit ad Phimon, quod interpretari possumus oris parsimoniam. Qui enim intueri potuerit mysteriū de Christo, & de spiritu sancto, & si viderit, siue audierit ea quæ non licet hominibus loqui, necessario habebit oris parsimoniā, sciens quibus vel quando, vel quomodo de mysterijs diuinis oporteat loqui. ¶ Profecti de Phimon, castrametati sunt in Oboth, Tricesima septima mansio, vertitur in Magos siue Phytone, pugnaverunt Magi contra Moysen & Aaron, & à muliere quæ erat in Endor, & habebat iuxta septuaginta interpretes spiritum Phytone, iuxta Hebræos Magū, regi Israel illudatur, multæ sunt præstigiæ, & innumerabiles laquei quibus animæ capiuntur humane. sed nos dicamus, in domino confidentes, Laqueus conterritus est, & nos liberati sumus. Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Cadent à latere nostro mille, & decem milia à dextris nostris, non timebimus ab incurso & demōnio meridiano, sed obturabimus aures nostras, ne audiamus voces incantantium, & frenarū carmina negligamus. ¶ Et profecti de Oboth, castrametati sunt in Ieabarim, in finibus Moab, Tricesima octaua mansio, aceros lapidum transeuntium sonat. Sunt sancti lapides, qui voluuntur super terram, leues, politi, & rotunditate sua rotarum cursibus similes. sunt & alij quos propheta iubet tolli de via, ne ambulantiū in eos offendāt

pedes: Qui sunt isti ambulantes: vique viatores & prætereuntes, qui per istud seculum ad alias mansiones transire festinant. ¶ Et profecti de Ieabarim, castrametati sunt in Dibon Gad. Tricesimanona mansio interpretatur fortiter intellecta tentatio. Pro hac in ordine historiæ aliter scriptum reperi. Postquam enim castrametati sunt in Ieabarim, in finibus Moab, contra ortum solis, legitur: Inde profecti sunt, & diuerterunt ad torrentem Zared. Et de hoc loco proficiscentes, castrametati sunt trans Arnon, quæ est in solitudine finium Amorrhæi, eo quod Arnon in terminis sit Moabitarum & Amorrhæorum. Et post hæc venerunt ad puteum, vbi cecinit Israel carmen hoc: Ascende puteum quem foderunt principes, & aperuerunt duces populorum in datore legum, & in baculo eius, & de solitudine in Marthana, & de Marthana ad Torrentem dei, & de Torrentibus dei ad excelsa, & de excelsis ad vallem quæ est in regione Moab in vertice Phasga qui prospicit contra desertum. Hæc loca in finibus Amorrhæorum quidam interpretantes putant non mansiones esse, sed transitus, nec præiudicare debere catalogo mansionum extra ordinariam expositionem. Alij autem spiritualibus spiritualia comparantes, nolunt regiones significari, sed per locorum nomina virtutum profectus esse, quod post Magos & cōgregationem lapidum frequenter venimus ad torrentem Zared, quod interpretatur aliena descensio, & in descensione positi, transeamus ad Arnon, quod maledictionē sonat, quæ est posita in finibus Amorrhæorum, qui vel amari hostes sunt, vel multa loquuntur inflati. Sin autem transierimus terminos Moab qui de incestu generatus est, & recessit à vero patre, statim nobis occurrit puteus quem nemo de plebe fodit, nullus ignobilis, sed principes & duces, qui iura dant populis, & canentes carmen in aqua putei, & in dei munere gratulantes, prophetant quo transituri sint, ad quæ peruerturi loca, quod scilicet de deserto veniant in Mathana, quod interpretatur donum: & de Mathana ad Nahaliel, quod dicitur ad torrentes dei: & de Nahaliel ad Bamoth, quæ interpretatur excelsa, siue adueniens mors, quando conformes efficitur mortis Christi. Et de Bamoth occurrit nobis vallis humilitatis, quæ tamen posita est in vertice montis Phasga, qui interpretatur dolatus, quod nihil habeat informe & rude, sed artificis sit politus manu, qui mons respiciat solitudinem, quæ Hæbraice dicitur Iesimon. Quando enim fuerimus in virtutum culmine constituti, tunc totius mūdi ruinas, & omnium peccatorum respicimus vastitatem. Origenes hanc edisserens mansionem, dicit: Inde venit Dibon Gad, quod significare fertur apiarium tentationum. O miram diuinæ prouidentie cautelam! ecce iam viator hic itineris celestis, summæ perfectioni proximus fit successione virtutum, & tamen ei tentamenta non desunt, sed noui generis audio tentamēta, apiarium (inquit) tentationū. ¶ Et profecti de Dibon Gad, castrametati sunt in Almon Diblathaiema. Quadragesima mansio vertitur in contemptum plagarum siue opprobriorū: & per hæc discimus omnia dulcia & illecebras voluptatum in seculo contemnendas: nec inebriari nos debere vino in quo est luxuria. Mel non offertur in sacrificijs dei, & cera quæ dulcia cōtinet, non lucet in tabernaculo, sed oleum purissimū quod de oliuæ profertur amaritudine. Mel enim distillat à labijs mulieris meretricis, de quo puto iuxta mysticos intellectus gustasse Ionathā, & sorte deprehensum, vix populi precibus liberatū. Origenes, Post hæc venit in Helmon de Blathaim, quod interpretatur contemptus ficuum, id est vbi cōtemnuntur & despiciuntur penitus terrena. Nisi enim spreta fuerint & contempta ea quæ delectare videntur in terris, ad celestia transire non possumus. ¶ Profecti de Almon Diblathaiema, castrametati sunt in montibus Abarim, contra faciem Nabo. Quadragesima prima mansio vertitur in montes transeuntium, & est cōtra faciem montis Nabo, vbi moritur & sepelitur Moyses, terra repromissionis ante conspecta. Nabo interpretatur conclusio, in qua finitur lex, & non inuenitur eius memoria. Porro gratia Euangelij absque vilo fine tenditur, In omnem terram exiit sonus

Ibidem:

Nume. 21.

Ibidem:

Origenes.

Ephesios 5.

Leuit. 2.

Leuit. 24.

Prouer. 5.

1. Reg. 14.

Pfal. 18.

Roma. 10. eius, & in fines orbis terræ verba ipsius. Origenes arcanam huiusce mansionis intelligentiam perspicue declarat: Abarim (inquit) transitus, Nabo verò abscessio interpretatur. Vbi enim per has omnes virtutes iter egerit anima, & ad summam perfectionis ascenderit, transit iam de seculo, & abscedit, sicut scriptum est de Enoch: Et non inueniebatur, quia transtulerat eum deus. Quod et si videatur esse adhuc in seculo, qui huiusmodi est, & in carne habitare, tamē non inuenietur. In quo non inuenietur? In nullo actu seculari, in nulla re carnali, nullo colloquio vanitatis inuenitur. Transtulit enim eum deus ab ijs, & esse fecit in regione virtutum. ¶ Et profecti de montibus Abarim, castrametati sunt in cæptribus Moab, super Iordanem iuxta Hiericho, ibique fixerunt tentoria ab domo solitudinis vsque Abelsarim in planitie Moab. In hac quadragesima secunda mansione refidens populus à diuino Balaam quem mercede conduxerat Balach filius Sephor, dei iussione benedicitur, & maledictio mutatur in laudes, audit vocem domini ex prophano ore resonantem: Orietur stella ex Jacob, & consurget homo de Israel, & percutiet principes Moab, & vastabit cunctos filios Seth, & erit Edom hæreditas eius. Fornicatur cum filiabus Madian, & Phinees filius Eleazari, zelatus est zelum domini, Zambri & scorum Madianitiden pugione transfigit: vnde & accipit præmium in æternam memoriam, armum victimæ. Numeratur rursus populus, numerantur & leuitæ, vt interfectis pessimis, nouus populus dei cenfeatur. Interpellant quinque filia Salphaad, & ex iudicio domini hæreditatem accipiunt, vt inter fratres suos, nec foemineus à possessione dei sexus excludatur. Iesus Moysi in monte succedit, & discit à lege quæ spiritualiter offerre debeat in Ecclesia, Abelsarim interpretatur luctus spinarum. Si antiqua desleueris peccata, & nullis amplius diuitiarum huius seculi spinis (quæ suffocarunt sementem diuini verbi) configaris, ad æternam beatorum gloriam peruenies. Explicās Origenes hanc extremam mansionem, dicit: Vltima mansio est ab occidente Moab iuxta Iordanem. Omnis nanque hic cursus propterea agitur, & propterea curritur, vt perueniatur ad flumen dei, vt proximi efficiamur fluentis sapientiæ, & rigemur vndis scientiæ diuinæ, vt sic per omnia purificati, terram repromissionis mereamur intrare. Dicit Lyranus in 33. caput Numerorum, in quo istarum mansionum catalogus recensetur: Sciendum autē quod prædictæ mansiones in vniuerso fuerunt 42. quarum filij Israel fecerunt 14. primo anno egressionis suæ de Aegypto, & in principio secundi anni, scilicet vsque ad locum vnde missi fuerunt exploratores. Item octo fecerunt 40. anno, scilicet à monte Or exclusiue vsque ad Iordanem. Et sic patet quod tempore intermedio, quod fuit ferè 38. annorum, filij Israel fecerunt tantum 20. mansiones. Ex quo patet quod licet dictum fuerit supra 14. capite, quod filij Israel essent vagi per desertum toto illo tempore, non tamen sic est intelligendum, quod essent quasi sic in continuo motu de loco ad locum, sed aliquando in vno loco diu manserunt, quia tandiu manebant in vno loco, quandiu nubes stabat super tabernaculum. Poteft aliquis dicere quod per istas quadragintaduas mansiones, intelliguntur mystice quadragintaduæ generationes, quibus dei populus ab Abraham patre nostræ fidei venit ad Christum, vt narrat Matthæus, dicens: Ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vsque ad transmigracionem Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigracione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. Quæ simul iunctæ, sunt quadragintaduæ. Christus autem est hæreditas nobis promissa in veteri ac nouo testamento. Patrocinator & nostræ assertioni beatus Ambrosius, Ser mone 23. qui de Quadragesima inscriptus est, vbi ostendit quod quemadmodum populus Israeliticus per quadragintaduas mansiones ad terram promissionis peruenit, ita per quadragintaduos dies ieiunij quadragesimalis properamus ad cælum. Et mouedo quæstionem cur quadragesima quadraginta & duos dies habeat, dicit: Legimus in veteri testamēto cum sanctus Moyses filios Israel de iugo Aegyptiæ

captiuitatis erueret, vt in terrā eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus peruenisse, ratōque illum temporū numero potitum esse promissis, quanto & nos promissis nobis à saluatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cælum: Ieiunia enim nostra mansiones quædā sunt, per quæ iter spiritualiter facientes animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficiamur, ita vt citius perueniat, qui deuotius ieiunavit.

CAPVT III.



Quadragesima circa nascentis Ecclesiæ exordium ex institutione apostolorum, suum habuit authoramentum & vigorem.] Hanc Assertionem in primis ex sana Hieronymi doctrina itabiliemus. Is siquidem in epistola ad Marcellam, aduersus Montanum, cuius perniciosissima dogmata refellit, ponens discrimen inter catholicos & Montani sectatores, dicit: Nos vnā quadragesimam secundum traditionem apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint saluatores: non quo & per totum annum, excepta Pentecoste ieiunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Hæc ille. Et quamuis codex Euangelicus non contineat aperte hanc ecclesiasticam constitutionem, quia tamen suum accepit stabilimentum & munimentum ab vtilissimis apostolorum sancitis, idcirco qui Christianum pectus spirant, & lubētissime obaudiunt Ecclesiæ, huic constitutioni fidem adhibent & subscribunt. Idem grauissimus & antiquissimus author nos monet in epistola ad Lætā de Institutione filia, vt tempore quadragesimali, summo studio vnā cum feruenti deuotione, ieiunij insistamus: Cæterū (inquit) vt ante scripsi in quadragesima cōtinentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxada properantibus. Quanquam alia sit conditio secularium, alia virginum, & monachorum: Secularis homo in quadragesima ventris ingluuiem decoquit, & in cochlearum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac sagina, aqualiculum parat. Virgo & monachus sic in quadragesima suos admittit equos, vt sibi meminerint semper esse currendum: finitus labor maior, infinitus moderatior est. Ibi enim respiramus, hic perpetuo incedimus. Tum etiam beatus Ignatius episcopus Antiochenus & apostolis contemporaneus, dicit in quarta sua epistola quæ est ad Philippenfes, de sancto quadragesimæ ieiunio: Dies festos nolite inhonorare, quadragesimā verò nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet dei cōuersationis, hebdomadā etiam passionis nolite despiciere, quarta verò & sexta feria ieiunate, reliquias pauperibus porrigentes. Hæc ibi. Et existimant probatissimi authores sanctissimū quadragesimæ ieiunium à beato Petro (cum totius Ecclesiæ præfecturam gereret) esse ordinatum. Astipulatur & his Theophilus Alexandrinus, dicens: Habemus quadragesimam ab apostolis institutam & ordinatam. Sanctus quoque Maximus nos cohortatur, vt diligēter quadragesimam non ex sola hominum traditione his temporibus institutā (vt falso quidam opinantur) obseruemus. Sacrarum (inquit) literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hūc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutū, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione initiatum, sed cælesti maiestate præceptū. Et paulo post de eodem ieiunio loquens, ait: Hæc autem præcepta (quibus scilicet institutum est illud quadragenarium ieiunium, quotannis peragendum, non tam sacerdotum præcepta, quàm dei sunt. Atque ideo qui ea spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum qui in suo loquitur sacerdote: sed intellige quod dicit huiusmodi ieiunium non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, vel quod deus ipse quadragesimæ ieiunium instituerit, & Apostoli solum fuerunt illius institutionis promulgatores: vel potius quod apostoli quidem tale ieiunium instituerunt, sed quatenus

Hieronymus

Ignatius

Theophilus
Maximus.

ministri dei, & ab eo edocti quæ ad totius Ecclesiæ regimen spectarent. Et quia non poterant à recto calle deflectere propter assiduam dei cum eis assistentiam, idcirco quæ ab eis instituta sunt, dicuntur diuinitus esse sancita atque præcepta. Adde quòd, venerabilis Beda dicit in homilia Euangelij, quod legitur in dominica post ascensionem domini: Vtranque sanè hanc solennitatem scilicet & quadragesimæ & quinquagesimæ, non quorumlibet hominum, sed ipsius domini ac saluatoris nostri, prima nobis sanxit autoritas: quadragesimam videlicet in eo quòd quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit in deserto, victaque tentatoris versutia, ministerijs fruebatur angelicis, vbi suo nos informauit exemplo, quia per macerationem carnis aduersarij spiritualis machinas euitare, & ad angelorum debeamus peruenire consortium. Hæc ille. Nec arbitratur hanc primam ieiunij quadragesimalis sanctionem ab hominibus dimanasse, sed à deo. Quid igitur obgannunt in plebeiorum aures Lutherani, & in vulgus imperitissimum sparsim disseminant & iactitant quadragesimæ ieiunium humana duntaxat inuentione, à recentioribus Ecclesiæ pastoribus institutum esse? Et ex eo non tam conijciendum esse duco quàm iudicandum, apostolos hanc ieiunij quadragesimalis obseruantiam nobis imitandam reliquisse, quòd in veteri lege præfiguratum sit per Moyse si quadragenarium ieiunium. Primo quidem, ante primarum legis tabularum acceptionem, vt ex historia Exodi compertum habemus. Secundo verò ante secundarum (primis iam contractis) tabularum diuinæ legis susceptionem. Et vtrunque horum in Deuteronomio narratum reperies. Tum quòd idem ieiunium præsignatum fuerit per excellens Helix insignis quidem prophetæ exemplum, qui postquam cibum accepit & potum, angelico ministerio sibi delatum, quadragenarium simul cum ambulatione continua vsque ad montem dei exercuit ieiunium. Denique quod ad præcipuam rei summam spectat, consecratum sit idem ieiunium exemplo summi legislatoris Iesu Christi, qui post susceptum à Ioanne baptismum ductus à spiritu sancto in desertum, ieiunauit integros quadraginta dies & noctes, vt nobis relinqueret exemplum. Et his consentanea sunt quæ dicit Augustinus in epistola ad Ianuarium, de ritibus Ecclesiæ: Quadragesima (inquit) ieiuniorum habet auctoritatem: & in veteribus libris, ex ieiunio Moyse & Helix, & ex Euangelio, quia totidem diebus dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à lege & prophetis: in persona quippe Moyse, lex: in persona Helix, prophetæ accipiuntur: inter quos & in monte gloriosus apparuit, vt euidentius emineret quòd de illo dicit Apostolus: Testimonium habens à lege & à prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi consini atque contigua dominicæ passioni? Idem sentit in libro quæstionum super Genesim, quæstione 169. Et libro secundo de Consensu Euangelistarum, cap. 4. Ad hæc, Ambrosius sermone 23. asserit Christum hunc eundem numerum ieiunij consecrasse, & continuatis diebus noctibusque non capientem cibum, vnum ieiunij corpus effecisse: hoc est, licet diei ordo noctis interrumpatur aduentu, non tamen interruptus est ordo ieiunij. Vnde erant apud eum plura temporum curricula, sed abstinentiæ dies vna, ostendens nobis, ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere, vt quia totam quadragesimam complecti non possumus, sopito & vno ieiunio, vel quotidianis eandem sine intermissione ieiunijs celebremus: vt si quisquam vnâ diem abstinendo prætermiserit, totam quadragesimam violarit, & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit. Hæc ille. Si huic celeberrimo doctore auscultaueris & credideris, intelliges planè Christum ostendisse nobis quàm diligenter quadragesimale ieiunium debeamus obseruare. Et huic subscribit sententiæ Hieronymus, enarrans illum Euangelij locum: Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit: In isto (inquit) numero quadragesimæ nobis ostenditur sacramentum, in quo & Moyse ieiunauit in monte Sina, & Helias iuxta montem Oreb. Præterea Chrysostomus ho-

Beda.

Exo. 24.
Exo. 34.
Deuter. 9.
3. Reg. 19.

Matth. 4.

Augustinus

Matth. 17.
Roma. 3.

Ambrosius.

Matth. 4.

Chrysostomus

milia prima in Genesim, sentit quadragesimam à deo institutam esse: Hodie (inquit) ingenti alacritate surrexi, vnâ vobiscum lætitiæ illius spiritualis particeps futurus: & volens aduentus sanctæ quadragesimæ, remedij (inquam) animarum nostrarum vobis annuntiator esse. Communis enim nostri omnium dominus veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea quæ vnquam peccauimus nobis abluere, hæc quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit. Nullus igitur sit mœstus, nullus etiam tristis appareat, sed omnes exultent & gaudeant, ac glorificent animarum nostrarum curatorem, qui hanc optimam nobis aperuit viam, accipiantque multa cum iucunditate illius aduentum. Et homilia 11. eiusdem operis, dicit: Et potestis, si vultis, etiam in multis alijs inquirere, & addiscere oprimi artificis dei indicibilem sapientiam, & eminentem bonitatem, quomodo creaturæ singulæ ratione quadam conditæ sunt. Similiter igitur & in hac sacra quadragesima constitutum nobis inueniemus. Nam quemadmodum in vijs publicis sunt stationes & diuerticula, in quibus fessi viatores & respirant & quiescunt, vt alacrius postea iter suum conficiant: & sicut in mari littora sunt & portus, vt in eos se recipiant nauigantes, & expectent donec ventorum impetus conuiescât, & sic iterum nauigare incipiant. Ita & nunc his qui in hac quadragesima ieiunij cursum susceperunt quasi stationes & diuerticula, & littora, & portus, per duos hebdomadæ dies dominus quietem largitus est, vt & corpori aliquatulum ieiunij labores remittantur, & animam refocillent ieiunantes, & exactis duobus illis diebus in pulchre cepto itinere alacriter pergant. Hæc ille. Et huic sententiæ eadem adhiberi potest intelligentia, quæ & doctrinæ sancti Maximi adhibita est. Insuper Origenes homil. 10. super Leuiticum, commédans sancta tempora ieiunij dicata, dicit: Habemus quadragesimæ dies ieiunij consecratos. Hæc autem consecratio (vt iam dictum est) facta est à Christo, cuius ieiunium nobis viam quadragesimalis ieiunij monstrauit, voluitque saluator noster vt validissimis sacre quadragesimæ armis muniremur aduersus callidissimas demonum astutias: ne huiusmodi præsidij destituti, cum luctaturi etiam cum nequissimis spiritibus in harenam descenderemus, facile vinceremur, & victi ac omnino prostrati sub dura diaboli ditione viueremus. Nec quod dicit Augustinus in epistola ad Casulanum, de ieiunij præscriptorum, nostram euerit Assertionem: Ego (inquit) in euangelicis & apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto domini vel apostolorum, non inuenio definitum. Non enim incipitur Augustinus sanctum quadragesimæ ieiunium à Christo vel ab apostolis institutum esse, sed faterur se non inuenisse quibus diebus nos ieiunare oporteat, præcepto domini vel apostolorum definitum esse. Nec etiam in euangelicis aut apostolicis scripturis legimus præscriptos dies, quibus ad ieiuniorum obseruantiam astringamur: sed Ecclesiæ sanctiones hac in re sectamur, & iudicio Hieronymi & multorum aliorum etiam peritissimorum autorum, qui affirmarunt circa nascentis Ecclesiæ primordia quadragesimam ab apostolis institutam esse, adhæremus.

CAPVT IIII.



Quinquagesimus dies quo merces laboris, & tranquilla requies præfiguratur, in sacris literis maximopere commendatur. Vtranque huius Assertionis partem ex Augustino in epistola ad Ianuarium, de Ritibus Ecclesiæ, desumpsimus: Capite 15. illius epistolæ ostendens abunde quid figurent numerus quadragenarius & quinquagenarius, dicit: Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura quæ septenario figuratur, adhæret creatori, in quo declaratur vnitas trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntianda: quia mundus & à quatuor ventis decurritur, & quatuor elementis eri-

Origenes.

Augustinus

gitur, & quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem autē quaterni in quadraginta consumuntur. Quadragenarius autem partibus suis computatus, addit ipsum denarium, & fiunt quinquaginta, tanquam merces laboris & continentiae. Neque enim frustra ipse dominus, & quadraginta dies post resurrectionem in hac vita & terra cum discipulis conuersatus est, & posteaquam ascendit in caelum decem diebus interpositis promissum misit spiritum sanctum, completo die Pentecostes, qui dies quinquagesimus habet aliud sacramentum, quod septies septem quadragintanouem fiunt: & cum reditur ad initium, quod est octauus, qui & primus dies, quinquaginta complentur, qui celebrantur post domini resurrectionē. Iam in figura non laboris, sed quietis & letitiae, propter hoc & ieiunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signū resurrectionis. Vnde etiā omnibus diebus dominicis, id ad altare obseruatur, & Halleluia canitur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare deum, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Et capite 16. quod ad comprobendam secundam assertionis partem facit plurimum, declarat. Sed dies quinquagesimus & in scripturis commendatur, non tantum in Euangelio: quia tunc spiritus sanctus aduenit, sed etiā in veteribus libris. Nam & ibi posteaquam Pascha occiso agno celebrauerunt, dies quinquaginta numerantur vsq; ad diem quo lex data est in mōte Sina famulo dei Moyfi, digito dei scripta. In libris autē Euangelij apertissime declaratur digitū dei significare spiritum sanctū. Cum enim vnus Euangelista dixisset, In digito dei eijsio dæmonia, alius hoc idem ita dixit, In spiritu dei eijsio dæmonia. Quis hāc lætitiā diuinorum sacramentorum cum sanæ doctrinæ luce clarescunt, non præferat vniuersi mundi huius imperijs, etiam inuisitata foelicitate pacatis? Nōne tanquam duo Seraphim clamāt adinuicem concinentia laudis altissimo, Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabaorh: ita duo testamenta fideliter concordantia, sacratam concinunt veritatem deo? Occiditur ouis, celebratur pascha, & interpositis quinquaginta diebus, datur lex ad timorem scripta digito dei. Occiditur Christus, qui tāquam ouis ad immolandum ductus est, sicut Elaias testatur, celebratur verum pascha, & interpositis quinquaginta diebus, datur ad charitatem spiritus sanctus, qui est digitus dei, contrarius hominibus sua quærentibus: & ideo iugum asperum & sarcinam grauem portantibus, nec inueniētibus requiem animabus suis, quia charitas non quærit quæ sua sunt. Ideo animositas hæreticorum semper inquieta est, quos Magorum Pharaonis habere conatū declarat Apostolus, dicens: Sicut enim Iamnes & Mambres resisterunt Moyfi, sic & isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed vltra non proficiunt. Dementia verò eorum erit manifesta omnibus, sicut & illorum fuit: quia enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defecerunt, fatentes sibi aduersum esse spiritum sanctum qui erat in Moyse. nam deficientes dixerunt, Digitus dei est hic. Sicut autem conciliatus & placatus spiritus sanctus requiem præstat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduersus immites ac superbos inquietudine exagitat, quam inquietudinem muscæ illæ grauissimæ significauerunt: sub quibus Magi Pharaonis defecerunt, dicentes: Digitus dei est hic. Exodum lege, & vide vbi pascha celebrauerūt, post quot dies data sit lex. Loquitur deus ad Moysem in monte Sina die tertio mensis tertij. Nota ergo vnum diem egressus ipsius tertij mensis, & vide quid dicat inter cætera: Descende (inquit) restare populo, & purifica illos hodie & cras, & lauent vestimenta sua, & sint parati in diē tertium. Tertia enim die descendit dominus in montem Sina coram omni populo, tunc data est lex, tertio scilicet die tertij mensis. Numera itaque à quartodecimo primi mensis die quo factum est pascha, vsque ad diem tertium tertij mensis, & inuenies decem & septem dies primi mensis, triginta secundi, tres tertij, qui fiunt quinquaginta. Lex in arca est, sanctificatio in corpore domini, per cuius resurre-

ctionem nobis requies futura promittitur, ad quam percipiendam spiritu sancto charitas inspiratur. Spiritus autem nondum erat datus, cum Iesus nondum erat clarificatus. Vnde propheta illa cantata est, Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Vbi requies, ibi sanctificatio: vnde nunc vt amemus & desideremus, pignus accepimus. Vocatur autem ad requiem alterius vitæ, quo ab ista transitur, quod pascha significat, omnes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et libro vno 83. quæstionum, quæstione 81. profundam hanc & abditam de huiusmodi numeris & diebus philosophiam pertractando, ita scribit: Inuisibili ternarius numerus tribuitur, quare diligere deū tripliciter iubemur, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mēte: corpori quaternarius numerus propter euidētissimam naturam eius, id est calidam & frigidam, humidam & siccam. Vniuersæ ergo creaturæ tribuitur septenarius, quapropter omnis disciplina dignoscens & discernens creatorem atque creaturam, denario numero insinuat. quæ disciplina quandiu corporeis motibus tēporaliter significatur, credendo constat, & rerum gestarū venientium atque transeuntium autoritate quasi lacte paruulos nutrit, vt idoneos faciat contemplationi, quæ non venit & transit, sed semper manet, in qua quisque narratis sibi rebus diuinitus temporaliter pro salute hominum gestis siue gerendis quæ adhuc futura prædicantur, si permanserit in fide, & promissā sperauerit, & quæ diuina autoritas præcepit infatigabili charitate implere curauerit: recte agit vitā huius necessitatis & temporis, quæ numero quadragenario commendatur. Quoniam denarius numerus qui totam insinuat disciplinam quater ductus, id est numero qui corpori tribuitur multiplicatus, quia per motum corporalis administratio geritur, quo dictum est vitam cōstare, quadragenarium numerum conficit. Ita impetrat etiam stabilem & nullius temporis indigentem sapientiam, quæ denario numero commendatur, vt ad quadraginta addantur decē, quia & partes æquales quadragenarij numeri simul ductæ ad quinquaginta perueniūt. Partes autem æquales habet quadragenarius numerus, primo quadraginta in singulis, deinde viginti in binis, decē in quaternis, octo in quinis, quinque in octonis, quatuor in denis, duas in vicensis. Vnū ergo, & duo, & quatuor & quinque, & octo, & decem, & viginti, simul ducta efficiūt quinquaginta. Quapropter sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatis parit amplius denarium numerum, & fit quinquagenarius: sic tempus fidei rerum pro salute nostra gestarum & gerendarum, cum æquitate vitæ actum impetrat intellectum stabilis sapientiæ, vt non solum credendo, sed etiam intelligendo, disciplina firmetur. Et ideo ea quæ nunc est Ecclesia, quamuis filij dei simus, antea tamen quàm oporteat, quid erimus, in laboribus & afflictionibus agit, & in ea Iustus ex fide viuit. Nisi enim credideritis (inquit) nō intelligetis. Et hoc est tempus quo ingemiscimus & dolemus, expectātes redemptionem corporis nostri, quod quadagesima celebratur. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Cum additur denarius quadragenario, vt non solum credere quæ pertinent ad fidem, sed etiam perspicuam veritatem intelligere mereamur. Talis Ecclesia in qua nullus erit memor, nulla permixtio malorum hominum, nulla iniquitas, sed lætitia, & pax & gaudium quinquagesimæ celebratione præfiguratur. Propterea posteaquam dominus noster Iesus Christus resurrexit à mortuis, quadraginta diebus peractis cum discipulis suis, eadem ipsa scilicet per hunc numerum insinuata temporali dispensatione, quæ ad fidem pertinet, ascendit in caelum: & decem alijs diebus peractis, misit spiritum sanctum, id est vt non ad humana & temporalia, sed ad diuina & æterna contuenda quodam amoris & charitatis spiramento, & incendio quadragenario denarius adderetur. Et ideo hoc iam totum, id est quinquagenarius numerus dierum, lætitiæ celebratione signandus est. Hæc autem duo tempora, id est vnum laboris & sollicitudinis, alterū gaudij & securitatis etiam retribus missis in mare dominus no-

Ioan. 7.
Psal. 131.

Matth. 22.

Abacuc 2.
Roma. 1.
Esaia 7.
Roma. 8.

1. Ioannis 3.

Acto. 1.

Acto. 2.

Lucæ 5.

ster significat. Nam & ante passionem de reticulo dicitur missio in mare, quia tantum piscium ceperunt, ut vix ad littus trahendo perducerent, & ut retia rumpe-
rentur. Non enim missa sunt in dexteram partem, habet enim multos malos Ec-
clesia huius temporis: neque in sinistram, habet enim etiam bonos: sed passim,
ut permixtionem bonorum malorumque significarent. Quod autem rupta sunt
retia, charitate violata multas haereses exiisse significat. Post resurrectionem ve-
ro cum vellet Ecclesiam futuri temporis praemonstrare, ubi omnes perfecti at-
que sancti futuri sunt, iussit mitti etiam retia in dexteram partem, & capti sunt
ingentes pisces, centum quinquaginta tres, mirantibus discipulis, quod cum tam
magni essent, retia non sunt dirupta. Horum magnitudo magnitudinem sapientiae
iustitiaeque significat. Numerus vero ipsam disciplinam, & temporali dispensatione,
& aeterna regeneratione perfectam, quam diximus quinquagenario numero
commendari: quia enim tunc non erit opus corporalibus adiumentis, & animo
continebitur fides atque sapientia, quia animo ternarium numerum tribu-
tum diximus: quinquaginta ducimus ter, & fiunt centum quinquaginta; cui nu-
mero trinitas additur, quia omnis illa perfectio in nomine patris, & filii, & spi-
ritus sancti consecrata est, ita fiunt centum quinquagintatres, qui numerus pi-
scium ad dexteram partem captorum inuenitur. Recenset penes eadem Sermo-
ne sexto de Verbis Apostoli. Et sermone centesimo quinquagesimo secundo de
Tempore. Quod de excellentia & commendatione anni iubilaei memoriae prodi-
tum est, non nihil habet roboris & momenti ad suadendum secundam huiusce
asserptionis partem, de quo legimus, Numerabis quoque tibi septem hebdomadas
annorum, id est septies septem, quae simul faciunt quadragintanovem, & clanges
buccina mense septimo, decima die mensis propitiationis tempore in vniuersa
terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem
cunctis habitatoribus terrae vestrae, ipse est enim iubilaeus. Reuertetur homo ad pos-
sessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam, quia iubilaeus est,
& quinquagesimus annus. Haec edisserens Lyranus, dicit de solennitate anni quin-
quagesimi duplicem subortam esse opinionem, tam apud Hebraeos quam apud
Latinos, eo quod hic dicitur, Numerabis quoque tibi septem hebdomadas an-
norum, id est septies septem, &c. Dicunt enim aliqui, quod annus iubilaeus erat vl-
timus annus huius numeri, scilicet quadragessimus nonus, dicebatur tamen quin-
quagesimus respectu praecedentis iubilaei inclusivae: & secundum hoc, annus iubi-
laeus erat idem cum anno septimo remissionis hebdomadae vltimae annorum praedi-
ctorum. Alij autem dicunt quod annus iubilaeus erat annus immediate sequens
annos quadragintanovem praedictos, & sic erat quinquagesimus a praecedenti iu-
bileo exclusivae. Et secundum hoc annus iubilaeus erat immediate sequens annum
septimum vltimae hebdomadae, & tunc erant duo anni sibi succedentes imme-
diate, in quibus terra quiescebat, ita quod non colebatur, nec seminabatur, & vtrique
opinionem potest historia cohaerere. Et ex eo sanctificabatur annus quinquagesimus,
quia diuino cultui dedicabatur, & vocabatur annus remissionis, quia tunc remit-
tebantur seruitutes & debita, & etiam exules ad suam terram redibant. Denique
beatus Ambrosius in Apologia David, capite octavo, cursim & breuiter explicans
psalmum quinquagesimum, dicit de numero quinquagenario: Quinquagesimus
numerus, remissionis est numerus: sicut in Evangelio dominus ipse nos docuit, di-
cens: Duo debitores erant cuidam foeneratori, vnus debebat denarios quingen-
tos, alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.
Quis ergo eum plus diligit? Et in lege habes, quia iubilaeus dicitur numerus quin-
quaginta annorum recursus, celebrabilis admodum quo debira vacuatur, confir-
mantur Hebraeorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum laeti ce-
lebramus post domini passionem, remissio culpae totius debito, chirographo quo-
que vacuato, ab omni nexu liberi, & suscipimus aduenientem in nos gratiam spi-

Ioan. 21.

Leuit. 25.

Lyranus.

Ambrosius.

Luca 7.

ritus sancti, die Pentecostes vacante ieiunio, laus dicitur deo, Halleluia cantatur.
Denique & puella pater illius quae per vim concubitus nulli desponsata pertulerit, Deuter. 22.
quinquaginta didrachmata argentea accipiet, ipsa autem in coniugio permane-
bit. Hoc etiam numero vitia vertuntur in gratiam. Dicit quoque Origenes homilia Origenes.
25. super Numeros, quingentorum & quinquaginta numerum sanctum esse. Vnde
& saluator dicebat in Euangelij: Homini cuidam foeneratori erant duo debito-
res: vnus ex ipsis debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habenti
bus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Sed & septem septimanarum monada, id est
vno addito, quinquagesimam diem faciunt, quae Pentecostes festiuitas appellatur. Si-
militer & septuaginta septimanarum, addita vnus decadis perfectione quingentorum
numerum reddunt. Sed quanto plures sunt septuaginta septimanarum quam septem,
tanto praestantior & perfectior numerus quingentorum quam quinquaginta. Inde
denique & in parabola Euangelij quam supra proposuimus, saluator noster pronun-
tiat, quod plus diligit ille, cui quingenti quos debebat denarii donati sunt, quam
ille cui quinquaginta. Nec suppressendum est silentio quod dicit Gregorius libro Gregorius
1. expositionis moralis in Iob, cap. 11. de anno iubilaeo, & septenario numero: Cer-
tissime (inquit) scimus quod septenarium numerum scriptura sacra pro perfectio-
ne ponere consuevit. Vnde & septimo die dominum requieuisse ab operibus asse-
rit. Hinc est etiam quod septimus dies in requiem hominibus, id est in sabbatum
datus est. Hinc est quod iubilaeus annus, in quo plena requies exprimitur, septem heb-
domadibus consummatur, qui monade addita nostrae adunationis impletur. Et
capite 15. inquit: Iam superius dictum est quod in quinquagenario numero (qui se-
ptem hebdomadibus ac monade addita impletur) requies designatur, denario au-
tem numero summa perfectionis exprimitur. Quia vero fidelibus perfectio quie-
tis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto ad quingentesimum perueni-
tur. Et capite 26. 16. libri eiusdem operis, dicit iubilaei requiem quinquagenarij nu-
meri mysterio contineri. Referam labentissime quae scripsit Cyprianus de quin- Cyprianus.
quagesimi diei mysterijs, in Sermone de Spiritu sancto, Lex (inquit) a paschalis Leuit. 23.
agni immolatione die quinquagesimo datur, & Pentecostes nomen tantae rei so-
lennitas ex lege accepit, in ipso dierum numero sacramenti magni complicata ra-
tionem. Septenarius quippe numerus septies reuolutus, quinquagesimum efficit ad-
dita monade, qui praesentis seculi meta, & futuri initium, perpetuitatem sub octa-
uae nomine continens, sic praesentia terminat, ut nos ad perpetua introducat. Sa-
cratus hic septenarius numerus a conditione mundi auctoritatem obtinuit, quo-
niam in sex diebus prima dei opera patrata sunt, & septima consecrata quieti,
quasi sancta & sanctificata solennitate vacationis honorata, & spiritui sanctifica-
tori attributa. Et paulo post dicit: In hebdomadibus apud Hebraeos, dies septimus
sabbatum, id est requies appellatur: qui numerus non tantum in septimanis, sed etiam
obseruatur in annis, & annorum hebdomada consummata, septimus annus requie-
tionis est, & ipsi terrae sabbatum imperatur. nec fas est cuiquam eo anno serere vel
merere quippiam: sed quae sponte siue in terra, siue in vineis, vel in arboribus na-
scuntur, alimoniam pauperum deputantur. Annorum quoque septimanarum apud He-
braeos quinquagesimum annum faciunt, quem iubilaeum appellant. In quo, decreto
legis (ut supra dictum est) fit terrae remissio, & seruorum libertas, & restitutio pos-
sessionum, quas eatenus distractio alienauerat, & caetera huiusmodi gratis ad ha-
reditatis ordinem reuertuntur. De numero septenario cum multa dicta sint, plu-
ra superflua quae in lege & Euangelio praecipue commendantur. Quinquagesimus
itaque annus perficit iubilaeum, quinquagesimus dies a Pascha, Pentecosten facit,
in quo vere spiritu sancto infuso apostolis ad hereditatem caelestem a qua vanun-
dati sub peccato exulabant, quos diabolo domino mendacitas & egestas subiecerat,
revertuntur. Septem sacerdotalibus clangentibus tubis Hiericho corruit, septem peti-
tionibus orandum patrem filius docuit. Remissio peccatorum duplicato septies septe-
tj.

Gregorius
Gene. 2.Cyprianus.
Leuit. 23.Iosue 6.
Luca 17.

Matth. 18. nario Petro mandatur. Leprosus septimi diei inspectione à sacerdote iudicatur.
 Leuit. 13. Sūmi sacerdotis in septem diebus cōsecratio consummatur. Dominus Iesus de se-
 Matth. 15. ptem panibus, quatuor milia hominū reficit. & iustus quisq; deo laudes per diem
 Psal. 118. septies dicit. Ipse dominus Iesus ad Adam secundū generationes quas Lucas com-
 Lucæ 3. memorat, septuagesimū septimum inuenitur, vt vltionē in Lamech septuagesime-
 Gene. 4. pties promulgatam, veniens terminaret. Septem diebus in Pascha editur azyma,
 Exo. 12. septem diebus mense septimo tabernaculorū solennitas celebratur. In septē an-
 Leuiti. 23. nis templū à Salomone cōstruitur, septem brachijs & totidem luminibus cande-
 labrum adornatur. Celebramus tam nos quā Iudēi quinquagesimū diem, sed il-
 li in typo, nos autem in veritate, non tam significamus quā agimus. Pētecosten
 Acto. 2. igitur celebrantes, commemorauimus quā olim sub Moysē in veteri testamēto
 Acto. 4. sunt acta, & quā sub Christo facta sunt, post cuius ascensionē in celos, spiritus san-
 ctus visibiliter super apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris secu-
 li vniuersitatem fidelium vnius labij esse voluit, vt quorum erat cor vnum & ani-
 ma vna, vna esset & lingua: nec posset impedire intellectum credētium aliqua di-
 uersitas verborū, sed euangelica doctrina propria lingua prolata, ad omnium au-
 ditum eandem efficiētiā obrineret, vt Græcis & Barbaris, omnibūsq; Gentibus
 Esaiæ 3. verbum Euāgelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus linguā in qua nati
 Hieronym⁹ erant, idiomatica resonaret. Existimat Hieronymus disserēdo illud Esaiæ, Auferet
 dominus ab Hierusalem principē super quinquaginta, quinquagenarium nume-
 rum semper referri ad poenitentiā, ex qua tandem argumenta laticā prodeunt.
 Gene. 18. In Genesi legimus (loquente Abraham ad dominū) quōd à quinquaginta primū
 iustis, si inueniātur in ciuitate, dixit urbem esse saluandā. Et septem hebdomada-
 Nume. 28. rum in Numeris, id est Pētecostes celeberrima festiuitas est. Iubileus quoq; id est
 remissionis annus, qui septenis annorū hebdomadib⁹, id est quadragintanouē an-
 nis textitur, in quo clāgunt tubæ, & ad omnes reuertitur antiqua possessio, hoc con-
 tinet sacramētū. Vnde & Dauid in quinquagesimo numero psalmū scribit poe-
 Nitentiā. Legimus quoq; in eodem Numerorum libro, qd de præda & spolijs quin-
 quagesimū caput tam de hominibus q̄ de iumentis accipiant sacerdotes, & quin-
 quagesimum leuitæ, qui custodiunt forēs tabernaculi. Illa quoq; Euāgelij parabo-
 Lucæ 7. la, in qua dicuntur duo debitores, vnus qui debebat quingentos denarios, & alius
 quinquaginta, ad hanc refertur intelligentiam. Vnde & Apostolus apud Ephesios,
 quibus mystica quoq; dissoluerat, vult permanere vsq; ad Pētecosten, donec per-
 1. Corin. 16. fecte ad dominū conuertantur, dicēs: Ostium enim mihi apertum est magnum &
 euidens, sed aduersarij multi. Imitatur autē & diabolus isto numero Israeliticum
 Exodi 18. exercitum, de quo Iethro dederat genero suo Moysi consiliū, vt cōstitueret su-
 4. Reg. 1. per populum tribunos, centuriones, & quinquagenarios. Vnde impius rex mittit
 duos quinquagenarios, cum subditis sibi militibus, vt exhiberent Heliā, qui diui-
 no igne consumpti sunt. Tertius autē saluatur ex eis, qui conuersus ad preces poe-
 nitentiæ sacramenta cognouerat. Vnde & Iudæi nolentes dominum esse perfe-
 ctum, nec principem quinquagenariū, dicunt ad eum: Quinquaginta annos nec-
 dum habes, & Abraham vidisti? Et ille sciens se esse non solum poenitentium prin-
 cipem, sed & iustorum, respondit: Antequam Abraham esset, ego sum. Quōd au-
 tem dominus princeps sit quinquagenarius, ex vna festiuitate intelligere possu-
 mus, de qua ait: Dominus est sabbati filius hominis. Quōd si sabbati, & calenda-
 rum: si calēdarum, & Paschæ, id est Azymorum: si paschæ, & iubilæi: si iubilæi, &
 tabernaculorum: si tabernaculorum, & Pētecostes, quæ ad quinquagesimum re-
 fertur numerum. Eiusdem est sententiæ Chrysofomus Sermone de sancto spiri-
 tu, dicens diem Pētecostes, esse libertatis & remissionis peccatorum suppedita-
 tricem: & id ex Leuitico probat, vbi dominus præfigurans præsentem festiuita-
 tem, dicit ad Moysen: Et numerabitis à Pascha septem septenarios dierum, &
 die sequenti facietis diem Pētecostes. Dies propitiationis est dies remissionis

& indulgentiæ, quibus ostendit sanctissimus spiritus, quōd quando præterierit se-
 ptima sabbati legalis, & festiuitatis & cultus, tunc spiritus sanctus doctis gentibus
 in Pētecoste propitiationem & remissionem peccatorum nobis tribuet. Vnde &
 debitorum remissio quinquagesimo tempore. Et idcirco quinquagesimus psal-
 mus in figura huius quinquagesimæ, remissionem peccatorum, & misericordiæ
 conseruationem Dauid continet, & variam spiritus sancti mentionem facit, spi-
 ritum sanctum, & spiritum exultationis, & spiritum rectum, & spiritum princi-
 palem appellans. Audi & aliter Pētecosten hanc tibi præsignatam manifeste:
 Ante multa tempora cum generale diluuium totum orbem terrarū propter im-
 pietatem comprehenderet, ædificabatur diuino imperio arca pro priorum viro-
 rum salute. Trecentorum cubitorum erat longitudo eius, & quinquaginta cubi-
 Gene. 6. torum latitudo eius, in vnum cubitum cogebatur summitas eius: in qua congre-
 gabantur ex omnibus quæ sub cælo sunt animalia, manifeste figura fuit. Aqua e-
 nim quæ occidit homines, simulachrorum cultus est, quæ fauissima hyems, ac
 tempestas erat. Arca figura est Ecclesiæ Christi. Trecenti cubiti, trinitatis signant
 sacramentum, qui in vnum cubitum vnius deitatis conueniunt. Quinquaginta
 autem iterum nobis Pētecostes præfigurant symbolū, quæ in Sion, quasi in arca,
 pecuniæ & immundæ quæ sub cælo sunt (vt dicunt Acta apostolorū) congregatæ
 sunt gētes, Parthi quasi pardi, & Medi sicut equi, & Elamitæ, & aliæ tribus gentiū.
 Acto. 2.

CAPVT V.



Væcunque per Theologiam affirmatiuam de deo dicimus, non natu-
 ram eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant. Hæc Assertio est
 Damasceni, libro primo suæ Theologiæ, capite quarto, quam validif-
 sima ratione comprobat. Hæc dei attributa, bonus, iustus, sapiens, &
 si quod aliud adiectiuum nomen (de quo intelligenda est conclusio)
 dixeris, non naturam dei insinuant, sed ea quæ sunt circa naturam, cōmunemque
 deitatis proprietatem designant: & cum deum nominamus bonum, iustum, aut
 sapientem, significamus ipsi bonitatem, iustitiam, & sapientiam adesse, non qui-
 dem accidentariam, cum nullum accidens sit in deo, sed substantialem, quæ à di-
 uina natura diuelli non potest. Sunt etiam & nonnulla affirmatiue de deo dicta,
 vim superexcellentiæ negationis præ se ferentia, vt cum tenebras de deo dici-
 mus, quemadmodum psalmus ait: Qui posuit tenebras latibulum suum, non te-
 nebras intelligimus, sed significare volumus deum lucem non esse, non quidem
 per defectum & negationem, sed supereminētiam & perfectionem. Ita deum lu-
 cem vocantes, vt Ioannes, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem veni-
 entem in hunc mundum. Et idem in sua prima epistola canonica, Deus lux est, &
 tenebræ in eo non sunt vllæ, insinuare ea appellatione volumus, eum nequaquam
 tenebras esse. Vides igitur aliquid de eo affirmari per negationem termini oppo-
 siti, vt deus est lux, quia non est tenebræ, & est tenebræ, quia non est lux: non quōd
 à deo lucem omnium fulgidissimam, à qua illustrantur creaturæ, dimouere veli-
 mus, quādoquidem sacræ restantur literæ deum esse lucem, sed ex eo quōd super-
 excellit lucem. Et quia de deo quid sit secundum substantiam, dicere est impossi-
 bile, conuenientius de deo longe est per omnium ablationem facere sermonem,
 vt vult idem Damascenus in eodem capite, quod solerti argumēto demonstrat.
 Nam nihil eorum quæ sunt, est, non vt nō ens, sed vt omnia entia supereminens,
 & super ipsum esse, ens. Si enim eorū quæ sunt cognitio est, quod omnem superat
 cognitionem, & ipsum quoque super substantiam erit: & id recurrit, quod super
 substantiam est, id quoque super cognitionem erit. Et hac ratione loquendi quæ
 altam & sublimem in se philosophiam continet, recte dicimus deum non esse vi-
 tam, neque substantiam: non quōd vita & substantia omnino & simpliciter à deo
 se iungantur, sed quōd vita omni & substantia superior sit. Excedit enim (vt di-
 cit Dionysius capite secundo de Cælesti hierarchia) diuina similitudo, & super-
 t. ij.

Gene. 6.

Acto. 2.

Damascen⁹.

Psal. 17.

Ioan. 1.

1. Ioannis 1.

Dionysius

substantialis deitas, substantiam omnem vitamque transcendit: nulla hanc exprimit lux, omnisque sermo, omnis mens atque ratio, absque vlla comparatione, illius similitudine inferior est. Hæc ille. Apte etiam dicemus, Deus inuisibilis non est, neque incorporeus, quod ab omnibus inuisibilibus & incorporeis eminentissime sit exceptus. Possumus & de deo per negationes theologari, quod sit incomprehensibilis, inuisibilis, immortalis, immensus, incircumscribitus: & hæc abunde & omnino explicant quid non est. cum enim dicimus deus est inuisibilis, non quid sit deus explicamus; sed quid non sit. Et in ipsa diuinitate exprimenta potiores sunt negationes affirmationibus. Ac theologia de deo negatiua (quæ diuina dicitur ignorantia) longe quidem sublimior est quàm theologia affirmatiua. Et huiusce veritatis fidem facit Dionysius in eodem capite iam citato, dicens: In diuinis rebus negationes quidem veræ sunt, affirmationes verò nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt. Nec deest nobis ratio ad id suadendum. Nam huiusmodi affirmationes non adæquatæ, neque omnino exprimunt quid deus sit, sed longe citra deficiunt, minùsque voces ipsæ dicunt, quàm res ipsa sit. Quomodo enim dei assequeris integre aut exprimis substantiam cum lucem eum vocas aut vitam, qui omni luce superior est, & omni vita eminentior? Negationes verò id vere auferunt à deo, quod ab eo est alienum: re enim vera inuisibilis est, & indefinitus, nullisque finitus metis aut limitibus, quamuis modum ipsum quo incomprehensibilis est aut immensus attingere nequaquam possimus. Et hac nititur ratione Clithoueus in suis ad idem opus commentarijs. Et licet ea quæ per theologiam affirmatiuam de deo dicuntur, eius naturam suis rationibus non exprimant, sed ea quæ sunt circa naturam: tamen non dicuntur secundum qualitatem, sed secundum substantiam, siue substantialem proprietatem, quod accurate & scite docet Augustinus libro 15. de Trinitate, capite 5. Bonitas (inquit) atque iustitia nunquid inter se in natura dei, sicut in eius operibus distant, tanquam duæ diuersæ sint qualitates dei: vna bonitas, alia iustitia? Non vtiq; sed quæ iustitia, ipsa bonitas: & quæ bonitas, ipsa beatitudo. incorporalis autem vel incorporeus ideo dicitur deus, ut spiritus credatur, vel intelligatur esse non corpus. Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimū quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cætera verò huius substantiæ qualitates, sed non ita est in illa ineffabili simplici que natura. Quicquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiā vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur deus, & bonus secundum qualitatem, sed vtrumque secundum substantiam.

CAPVT VI.

Quatuor sunt Apostolorum genera. Hanc decerpimus Assertionem ex Hieronymo enarrante exordiū epistolæ ad Galatas, vbi Paulus fateretur se esse apostolum, non quidem ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Ad distinctionem itaque eorum qui mittuntur ab hominibus, & sui, qui sit missus à Christo, tale sumpsit exordiū, Paulus apostolus, non ab hominibus neque per hominem. *αποστολος* autem hoc est missus, Hebræorum proprie vocabulum est, quod Silas quoque sonat, cui à mittendo missio nomen impositum est. Aiunt Hebræi inter ipsos quoque prophetas & sanctos viros, esse quosdam qui & prophete & apostoli sint: Alios verò qui tantum prophetæ. Denique Moysen cui dicitur: Et ego mittam te ad Pharaonem, & ipse respondeat, prouide alium quem mittas. Et Esaiam cui loquitur deus, Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? esse & apostolos & prophetas. Vnde & nos possumus intelligere Ioānem quoque Baptistam, & prophetam & apostolum appellandum, siquidem ait scriptura: Fuit homo mis-

Gala. x.
Hieronymus

Exodi 3.
Esaiæ 6.

Ioan. 1.

sus à deo, cui nomen erat Ioannes. Et in epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum, nec apostoli vocabulum præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo principem sacerdotū, & apostolum confessionis nostræ Iesum. Nec fuisse congruum, ut vbi Christus apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus apostolus poneretur. Et nunc quod nostræ assertioni commodissimum est, subnectit Hieronymus, Quatuor autem genera apostolorū sunt: Vnum, quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrem: Aliud quod à deo quidem est, sed per hominem: Tertium, quod ab homine, non à deo: Quartum, quod neque à deo, neque per hominem, neque ab homine, sed à semetipso. De primo genere potest esse Esaias, cæteri que prophete, & ipse apostolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, sed à deo patre & Christo missus est. De secundo, Iesus filius Naue, qui à deo quidem est apostolus constitutus, sed per hominem Moysen. Tertium genus est, cum hominum fauore & studio aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos, non dei iudicio, sed redempto fauore vulgi in sacerdotium subrogari. Quartum est pseudo prophetarum, & pseudo apostolorum, de quibus Apostolus: Istiusmodi (inquit) pseudo apostoli, operarij iniquitatis, transfigurantes se in apostolos Christi, qui dicunt, Hæc dicit dominus, & dominus non misit eos. Verum non talis apostolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, sed à deo patre per Iesum Christum missus est. Ex quo approbatur Hebionis & Photini etiam hinc hæresis retundenda, quod dominus noster Iesus Christus, deus sit, dum Apostolus qui à Christo ad prædicationem Euangelij missus est, negat se missum esse ab homine. Subrepunt hoc loco cæteræ hæreses, quæ putatiuam Christi carnem vendicantes, deum aiunt Christum esse, non hominem: necnon & noua hæresis, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem: atque ita Ecclesiæ fides inter tanta falsorum dogmatum naufragia constituta, si Christum fateatur hominem, Hebion Photinūque subrepunt: si deum esse contenderit, Manichæus & Marcion, & nouelli dogmatis auctor ebulliunt. In commune itaque audiant Christum, & deum esse & hominem. non quod alius deus sit, & alius homo: sed qui deus semper erat, homo ob nostram salutem esse dignatus est. Sciendum quoque in Marcionis apostolo non esse scriptum, & per deum patrem, volentis exponere Christum non à deo patre, sed per semetipsum suscitatum: ut est illud, Soluite templum hoc, & ego in triduo suscitabo illud. Necnon & alibi: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. potestatem habeo ponendi eam, & rursum potestatem habeo sumendi illam. Hæc ibi. Et hæc quatuor apostolorum genera recensentur à quopiam studio, in quarto tomo Augustini, dialogo 65. quæstionum, quæstione 64. & aliquot quidem verbis à Hieronymo emendicatis. Augustinus tamen libro vno expositionis epistolæ ad Galatas, differendo locum illum, Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrem, & c. planè docet quinam dicantur veri & germani apostoli: Qui ab hominibus (inquit) mittitur, mendax est: qui per hominē mittitur, potest esse verax, quia & deus verax potest per hominem mittere. Qui ergo neque ab hominibus, neque per hominem, sed per deum mittitur, ab illo verax est, qui etiam per hominem missos veraces facit. Priores ergo apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à deo per hominem missi sunt, per Iesum Christum, scilicet adhuc mortalem. Verax etiam nouissimus apostolus, qui per Iesum Christum, totum iam deum, post resurrectionem eius missus est. Priores sunt cæteri apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem. Nouissimus est Paulus apostolus per Christum iam totum deum, id est omni ex parte immortalem. Sit ergo testimonij eius æqualis autoritas, in cuius honorē implet clarificatio domini, siquid habebat ordo temporis minus. Ideo enim cum dixisset, Et deum patrem, addidit: Qui suscitauit illum à mortuis, ut etiam ex hoc modo breuiter iam clarificato

t. iij.

Num. 27.

2. Corin. 11.

Ioan. 24

Ioannis 10.

Augustinus

Ambrosius. missum se esse commemoraret. Adde quod Ambrosius eandem Pauli sententiam explicans, ostendit quantum dissideat primum apostolorum genus à quarto, quod insigni nota pseudoapostolis relictum est: Apostolum (inquit) se non ab hominibus electum, & missum ad predicandum testatur, sicut erant quidam, qui electi ab apostolis mittebantur ad Ecclesias roborandas: neque sicut alij, qui à Iudeis mittebantur ad disturbandas Ecclesias, quos pseudoapostolos vocat: sed à filio dei missum se, quem in hac causa idcirco hominem negare videtur, quia praecepta quasi deus dedit, non quasi homo, & quem elegit, diuino iudicio elegit. Per quod idoneum & firmum se predicatorem significat, quia multo utique melior est quem deus elegit, quam quem homo. Neque enim per hominem, sicut arbitrabantur de Christo qui hos cogebant circumcidi: sed per Iesum Christum, id est per eum qui deus & homo est: quod statim aperit cum dicit: Et deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Hoc dicto duas haereses damnauit, & Manichaei & Fotini: quia Manichaeus Christum hominem negat, & non negat crucifixum: & Fotinus Christum deum esse non concedit, & tamen ipsum se, hoc est corpus suum excitasse à mortuis negare non audeat: ut Manichaeus cum crucifixum non negat, stulte eum hominem non fateri videatur: & Fotinus impietate quadam deum negare, quem seipsum à mortuis excitasse fatetur. legit enim dixisse dominum: Soluite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Igitur ipse excitans se à mortuis, corpus suum significat se à mortuis excitasse, & nihilominus tamen à patre suo dicitur excitatus: propterea quod omnis virtus filij, de patre est, ut gesta filij, facta sint patris, ex quo sunt omnia.

1. Corin. 8.

FINIS DECIMIQUINTI LIBRI.

Theosophiaë Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XVI.

CAPVT I.



Vben non peccauit consulendo suis fratribus Ioseph deijci in cisternam.] Hanc eliciemus Assertionem ex historia Geneseos, in qua scriptum est: Perrexit Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothaim. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque: Fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi profint somnia sua. Audiens autem hæc Ruben, nitentur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem, sed projicite in cisternam veterem, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. Confestim igitur ut peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita, miseruntque eum in cisternam veterem quæ non habebat aquam. Agnosceamus ex hac sacra scriptura filios Iacob summo odio, summamque inuidia exarsisse in suum fratrem Ioseph: fratrem verò ipsius Ruben erga suum fratrem beneuolentiam & mansuetudinem, quem cognita suorum fratrum coniuratione ne in suum fratrem saureret, eiusque neci consentiret, omni studio nixus est à morte præripere. Et ne fratres eius tam atrox & immane scelus perpetrarent, consuluit ut Ioseph demitterent in cisternam veterem, volens eum sincero affectu, & prompto obsequio eripere de manibus eorum: paratus, denique cum abissent sceleratissimi fratres, eum à cisterna extrahere. Hæc edisserens Chryostomus, dicit: Vide & illum quomodo non audeat manifeste eripere fratrem, sed iam occidendi conatum & impetum refrenare volens, dicit: Non effundite sanguinem, sed abijcite eum in lacum. Docere enim nos volens diuina scriptura scopum & mentem Ruben, dicit: Hæc autem faciebat, ut eriperet eum, & redderet patri suo. Et cum illi hæc vellent, nondum Ioseph aduenerat, sed postquam colloquium hoc absoluerunt: Venit (inquit) Ioseph ad fratres suos. Oportebat igitur illos occurrere fratri, & amplexari, & quomodo se pater haberet, inquirere. Verum illi quasi bestia quædam, ubi agnum conspicati fuerint, assiliunt. Et exuerunt (inquit) Ioseph vestem variam, & acceptum eum proiecerunt in lacum. Lacus autem erat vacuus, aquam non habens, quemadmodum consuluerat Ruben, fecerunt. Et iniecto illo, sederunt ad comedendum panem. O crudelitatem, o inhumanitatem! ille quidem tantum itinere comederat, & tanto studio de eis inquisierat, ut videret & annuntiaret patri, quomodo se haberent res illorum. Verum illi quasi alieni, & barbari, & inhumani, quia consuluerat eis Ruben, ne effunderent sanguinem, fame occidere volebant. Sed misericors deus statim eum liberauit ab insania fratrum. Cum enim consedissent ad comedendum panem, viderunt Ismaelitas viatores venientes, & Aegyptum versus euntes, & dixit Iudas: Quid prodest si occiderimus fratrem nostrum, & occulauerimus sanguinem eius? Venite, tradamus eum Ismaelitis istis. Manus autem nostræ non sint super eum, quia frater noster, & caro nostra est. Vide quomodo & prius Ruben minore malo maius prohibuit, & nunc quoque Iudas consu-

r. iij.

luit vt vendatur frater, quo eum ab interitu eripere queat. Hoc autem totum factum est, vt etiam inuiti, dispensationi diuinæ seruirent, & facerent ea quæ à deo sunt prædicta: Er probato (inquit) consilio Iudæ, eduxerunt eum de cisterna, & tradiderunt Ismaelitis viginti aureis. O iniquam commutationem, ô damnosum luctum, ô iniustissimum opus: eum qui vobis sanguine coniunctissimus erat, quem pater maxime amabat, qui ad visendum vos venerat, qui nunquã vos, vel in paruo vel in magno offenderat, vendere attentatis? & vendere hominibus barbaris, & in Aegyptum descendentibus? quæ tanta infania? quis liuor? Nam si hoc metu somniorum facitis, vt persuasi quod omnino euentura sint, quare impossibilia attentatis? & factis vestris contra deum bellum assumitis, qui hæc ei prædixerat? Quod si nihili putastis somnia, sed existimastis esse delirium: quare hæc operati estis, quæ perpetuam vobis maculam inurant, & luctum indefinentem patri vestro afferant? Sed ô grauem morbum, imò mentem sanguinariam. Nam qui peccato exponit se, & nepharium opus aggreditur, is & obruitur à cogitationibus absurdis, neque proponit ante oculos oculum illum qui non quiescit, neque reuertitur naturam suam, neq; attendit aliquid quod ad commiserationem se possit inducere: id quod & illis euenit. Huic deniq; assertioni subscribit Iosephus libro 2. Antiquitatum Iudaicarum, capite secundo, dicens: Ad internitionem Ioseph nolentes differre præfens tempus, protinus acceperunt, quos dum Ruben senior eorum inspiceret ita cõspirare, & ad actum iam videret vnanimis, eos retinere tentabat, magnitudinem præsumptionis, & scelus eis ostendens, quod malignum quidem deo, & hominibus esset abominabile, etiam non consanguineum hominem perimere: multo magis scelestius cædem fratris ita perficere, quo scilicet interfecto, pater vnà perimeretur, & mater in luctu ex filij priuatione non humana lege facta, consumeretur. Etiam eis hoc dicebat, vt vno animo perciperent, quid ipsi paterentur mortuo sibi bono filio & iuenculo, & vt recederent à tali præsumptione, deum timentes qui inspector simul & testis esset: & vt ab huiusmodi actione recedentes, poenitentiam diligerent, & potius temperantia deseruirent: nam accedentes ad hoc opus, omnem poenam pro fratris nece perfoluerent, violantes vtique dei prouidentiam vbique præsentem, cui neque quod in deserto, neque quod in ciuitatibus agitur, potest esse absconditum. vbicumque enim est homo, oportet eum scire, illic esse deum. Sed etiam conscientiam suam eos habuit inuicem in his præsumptionibus edicebat, quam neque bonam habentes aliqui, neque talem qualis in eis tunc habitaret, post mortem fratris effugerent. Adijciebat autem dictis suis hæc, quia fratrem iniustum aliquid facientem, neq; sanctum esse occidere, bonum verò esse etiam in amicis obliuisci, siquid forte peccauerint: Ioseph autem in nullo malignum circa eos extitisse, vnde eum occiderent, cuius ætatis infirmitatem mensurare deberent, quando ipse eorum tutelam potius expectaret. Causa verò huius interitus multo peiorem eorum faceret actionem, eo quod propter inuidiam futurorum ei bonorum eum vita priuare conarentur: quibus bonis similiter cum eo fruerentur eius communioni pariter participantes, cum non extraneus, sed domesticus eorum existeret, vnde deberent sua putare, quæcunque Ioseph largitas diuina conferret: sed & supernam iracundiam propterea fauorem sibi met affuturam, si eum qui à deo iudicatus fuerat dignus, occiderent, & auferrent deo eum, cui esset talia donaturus. Er Ruben, quidem hæc dicens, & his potiora supplicans, eos à fratricidio conabatur auertere. Cum verò in nullo eos mitiores videret, sed festinantes ad necem, suadebat vt malum scelestum aliquatenus leuigarent: nam vlcisci se volentes prius credebatur flectere. Cũ verò præualuissent vt fratrem occiderent, dicebat non esse valde futuros malos, si his quæ nunc hortaretur, obedirent: in his enim esset & opus quod festinarent, non tamen huiusmodi, sed leuius in comparatione mali. Petebat enim eos manus in fratrem non mittere, sed proiectum in lacum vicinum, eum illic finirent mori, &

Iosephus.

contra scelus manuum suarum, vel ita luctari. Illis verò consentientibus, sumens Ruben adolescentulum, & caute ligans eum, in lacum cum quiete deposuit, erat enim sine aqua. Et ille quidem dum hoc fecisset, abscessit, querens loca opportuna pasturæ. Hæc ille. Nec tamen expresse (& quod fertur directe) intendebat Ruben, vt Ioseph in cisternam deiectus, illic suam extremo cum languore finiret vitam. Quandoquidem Ruben, quando venditus est Ioseph eo nesciente, abierat ad querendum meliora pasua, vt fratres suos faceret dimoueri à fouea in qua erat Ioseph, vt ipsis absentibus melius posset eum extrahere, & reddere patri suo. Sed forsitan vult innuere Iosephus, quod melius erat non immittere manus violentas in Ioseph, vt confestim enecaretur, quam finire eum in cisternam deiectum diu languere, & tandem mori. Adde quod Lyranus exponens locum illum, Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, huic accedit sententia, dicens: Ostendendo scilicet fratribus horrorem fratricidij, & offensam dei, & anxietatem patris sui: & id quidem ex Iosepho decerpit, quem ad hunc discutiendum scrupum protulit, sed cum videret quod eos flectere non posset, cœpit eos inducere vt in foueam poneretur, ibidem fame moriturus: dicens hoc esse minus horrendum, quam si proprijs manibus interficerent: hoc tamen dicebat cogitans, vt postea occulte eum de fouea extraheret. Hæc ille. Nec Ruben cooperabatur proximo ad actum peccati quo fratres læderentur, nec intendebat illis adferre detrimentum salutis, sed volebat eos à tati sceleris nota vindicare, & eò tendebat eius conatus, vt tandem Ioseph in cisternam proiectum, de manibus suorum fratrum eriperet.

Lyranus.

CAPVT. I.



Epudium in lege Mosayca prescriptum, nunquam fuit licitum.] Hanc Assertionem sic suadeo, Repudium solum fuit concessum vel permissum ad euitandum maius malum, scilicet vxoricidium, hoc autem non facit illud fuisse licitum: igitur. minorem probo. Permissio fornicationis ad euitandum grauius malum scilicet adulterium, non facit fornicationem esse licitam, neque excusat fornicatorem à peccato: ergo nec permissio repudij ad declinandum vxoricidium, faciet repudium esse licitum. Consequencia est euidentissima. Verum vt agnoscas leuissimas causas quibus vir suam repudiabat vxorẽ, proferam in lucem, quod in Deuteronomio de ratione repudij scriptum est: Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribe libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cũq; egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est & abominabilis facta coram domino. Ex hac historia intelligere possumus, legem Mosaycam non permisisse viro suam repudiare vxorem, eamque dimittere, nisi ei dedisset libellum repudij. Quod etiam in Euãgelio Matthæi Christum in memoriam reuocasse animaduertimus. Dicitur est (inquit) quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij, & repudiabat maritus suam vxorem citra fornicationis causam: in lege autem Euãgelica, si quis dimittat vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœcham, & qui dimissam duxerit, adulterat. Adde quod Christus dilucide monstrat in eodem Euãgelio, non licuisse Iudæis quacũque de causa suam vxorem repudiare. Cũ enim accessissent ad Christum Pharisei eum tentantes & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacũque ex causa. Respondit eis vt callidam illam questionem, & peruerso animo excogitatam eluderet: Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? & dixit: Propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo deus cõiunxit, homo non separet. Sed hac docta responsione minime satiati, nouam struendo machinam, insiliunt: Quid ergo

Deuter. 24.

Matth. 5.

Matth. 19.

Gene. 1.

Gene. 2.

Ephes. 5.

Moyſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Hac ratione proſtrati obmutescunt, & ſtupore conuſi ſilent omnino. Et hiſ quaſo Chriſti verbis auſculta libenter, & expende, quid hæc ſibi volunt; Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras. Et ab initio non fuit ſic. Quod ſi ſolum ad duritiam cordis veſtri repudij ſectam & coercendam, ne violenter manus in vxores veſtras iniiceretis, id permiſſum ſit, non igitur erat licitum & à deo approbatum huiuſmodi repudium. Etiam primæ coniugij inſtitutioni aduerſabatur, in qua vir dimiſſis ſuis parētibus adhaerebat vxori ſuæ, & erant duo in carne vna, imò vna caro, quam obrē quos deus foedere matrimonij & arctiſſimo vinculo coniunxerat, homo ſeparare nō poterat.

Hieronymus

Nec vt dicit Hieronymus, in quintum caput Matthæi, iuſſit Moſes dari libellum repudij, cōcedens diſſidium, ſed auferens homicidium. Multo enim melius eſt, licet lugubrem euenire diſcordiam, quàm per odium ſanguinem fundi. Et enarrando quæ nunc protulimus ex decimonono capite Matthæi, dicit: De Galilæa uenerat Chriſtus ad Iudæam, idcirco Phariſæorum Scribarumque factio interrogat eum, vtrum liceat homini dimittere vxorē ſuam qualibet cauſa, vt quaſi cornuto teneant eum ſyllogiſmo: & quodcunq; reſponderit, captioni pateat. Si dixerit dimitendas eſſe vxores qualibet ex cauſa, & ducendas alias, pudicitia prædicator ſibi videbitur docere contraria. Si autem reſponderit, non omnem ob cauſam debere dimitti, quaſi ſacrilegij reus tenebitur, & aduerſus doctrinam Moyſi, ac per Moyſen dei facere iudicabitur. Igitur dominus ſic reſponſionem temperat, vt decipulam eorum tranſeat, ſcripturam ſanctam adducens in testimoniū, & naturalem legem: primamque dei ſententiam ſecundæ opponens, quæ non voluntate dei, ſed peccantium neceſſitate facta eſt. Hæc ille. Quod ſi lex illa non ſit voluntate dei, ſed delinquentium neceſſitate facta, igitur repudiantes quacūque de cauſa ſuam vxorem, peccabant. Deinde Hieronymus explanando locum illum, Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic, ita ſcribit: Quod dicit, iſtiusmodi eſt: Nunquid poteſt deus ſibi eſſe contrarius? vt aliud ante iuſſerit, & ſententiam ſuam nouo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt. Sed Moyſes cum videret propter deſiderium ſecundarum coniugum, quæ vel ditiores vel iuniores, vel pulchriores eſſent, primas vxores interfici, aut malam vitam ducere: maluit indulgere diſcordiam, quàm odia & homicidia perſeuerare. Simulque conſidera quod non dixit, propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis deus, ſed Moyſes: vt iuxta apoſto-

i. Corint. 7.

lūm, conſilium ſit hominis, non imperium dei. Et ne putes Hieronymum à ſeipſe diſſidere, quod nunc dicat Moſen maluiſſe indulgere diſcordiam, quàm quod odia & homicidia perſeueraret, & prius aſſerebat Moſen non conſeſſiſſe diſſidiū, ſed abſtuliſſe homicidium. Dico Hieronymum, hoc vnum prætenſiſſe, quod Moſes non conſeſſit ſimpliciter diſſidium, ſed facta comparatione minoris mali ad maius, conſeſſit ſecundum quid diſſidium, ſed lugubre, ne odia & homicidia perſeuerarent. Nec ab hac ſententia diſcedit Chryſoſtomus exponens verba hæc:

Chryſoſto.

Dictum eſt autem, quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij, & cætera: Nequaquã (inquit) ad ea quæ ſunt vltiora progreditur, niſi bene priora mandauerit. Ecce enim nobis etiam ſpeciem adulterij demonſtrat. Quæ verò iſta eſt? Erat hoc veteri in legē mandatum, vt qui propriam quacūque de cauſa odiſſet vxorem, non eam prohiberetur eiſcere, inque illius locum alteram duceret: quod certe non paſſim fieri lex iuſſerat; ſed vt quicunq; dimitteret, librum repudij coniugi daret, ne ius haberet ad illam iterum reuertēdi, ſed nihilominus hæc nuptiarum ſaltem figura remaneret. Niſi enim præcepiſſet iſtud, & ſine repudij libro hanc quidē expellere, aliã verò ei liceret accipere, deinde reducere priorē, plurima fuiſſet ſecutura cōfuſio, omnibus videlicet maritis alternis vicibus

eiſctas ſape, receptaque ducentibus, eſſetque adulterium omnino manifeſtum, propter quod non ob paruam conſolationem repudij librum reperit. Quod quidem factum eſt propter aliam quoque moleſtiam, multoque maiorem. Si enim retineri etiam exoſam præcepiſſet vxorem, facile profecto illa qui oderat occidiſſet, talis quippe erat natio Iudæorum. Qui enim ne filijs quidem proprijs parceret, & prophetas ſolebant frequenter occidere, vt aquam ita humanum effundentes cruorē, multo illi minus odioſis coniugibus peperciffent. Propterea igitur conſeſſit minus, vt quod lōge erat maius incidere. quod enim hæc lex non primum ſtatim lata ſit, audi quid dicat: Moſes (inquit) propter duritiam veſtram hæc ſcripſit, ne clam maſtaretis, ſed eiſceretis. Et Homilia ſexageſimatertia, in Matthæi, dicit: Quoniam ab ipſo Moſe lex illa emanauit, iure ab omni crimine Chriſtus illam defendit, ac totam accuſationem in caput eorum conuertit. Non igitur accuſanda eſt lex illa Moſayca, nec etiam Moſes, ſed accuſandi ſunt illi qui quacūque ex cauſa ſuas vxores repudiabant. Tum etiam, in quadam homilia de Inuentione ſanctæ crucis, dicit curſum attingendo authoritatem illam, Moſes propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, Frequenter vobis Moſes propter duritiam veſtram, iniuſticiam quaſi iuſticiam præcepit, in eremo deo hoſtias offerre. Et quomodo dicit per prophetam: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos? Sed quia patres veſtri egreſſi erant de Aegypto, corpore tamen, non animo: nam totam Aegyptum ſecum in moribus baiulabant. Vidit itaque eos Moſes propter delectationem carnalem circa ſtudia ſacrificiorum eſſe inclinatos, ſi mandaſſet eis recedere à ſacrificijs, non fuerat audiendus. Quia annoſa paſſio medicamento momētaneo non curatur: iuſſit eos ſacrificare quidem, ſed non iam demonibus ſicut in Aegypto, ſed deo viuo. Dimidium mali permiſit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permiſit vos dare libellum repudij: quia melius iudicauit permittente lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permiſit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo vobis hoc permittēdo, non vobis dei iuſticiam demonſtrauit, ſed à peccato abſtulit culpam peccandi: vt quaſi ſecundum legem agentibus, vobis peccatum veſtrum non videatur eſſe peccatum. vtpote ſicut habens ſeruum qui furatur & inebriat ſe, conſiderans dominus, quia ſi vtrumque in ſimul mandauerit obſeruare, nihil proficit, mandaſt illi vt bibat quidem quantum vult, ſed publice bibat: vt hoc quidem quod bibat, ſit ſecundum modum bonum, vt paulatim diſcat obaudire præceptis: ſic permiſſum eſt & repudium, malum quidem ſed licitum. Hæc ibi. Duo tamen hic dicit Chryſoſtomus, quæ & nobis & ſibi ipſi videntur aduerſari, non tamen aduerſantur. Primum: Hoc vobis permittendo, à peccato abſtulit culpam peccandi. Sed hoc ſano intelligendum eſt iudicio, non quod non peccabāt ſuas repudiando vxores: nā pauloante ſi meminereſ dixit, permiſit vobis mala facere, ne faceretis peiora, ſed quod minus peccabant, hac lege ſuas dimittendo vxores, quàm ſi ipſis non dimiſſis cōmiſiſſent homicidium. Alterum eſt: Permiſſum eſt repudium, malum quidem, ſed licitum: quod dicit malum, noſtræ ſubſcribit ſententiæ: quod autem ſubnectit licitum, nihil nobiſcum habet commercij. Sed attende licitum, non quidem ſimpliciter & quod culpam excuſaret, ſed quod facta comparatione leuioris mali ad grauius, præſtabat diuortium tale facere, quàm ſuam enecare vxorem. Aut licitum ſi velis, quia permiſſum & conſeſſum, vel quia lex Moſayca repudiū non prohibebat, ſed mittebat, licet dei ſententia & voluntate veritum fuerit: lex enim præcipiens dari libellū repudij, opus homicidij compeſcuit, non tamen peccatum: & dato huiuſmodi libello ſolutum quidem cōiugium publicabatur, peccatum autem ſolutionis exaggerabatur. Adde quod Auguſtinus libro primo de Sermone domini in monte, excutiendo eundem ſcrupum, dicit: Nō enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit vt vxor dimittatur, ſed qui dimiſerit (inquit) det illi libellum repudij, vt iracundiam

Pſal. 49.

Auguſtinus

temerariam projiciētis vxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsiuit, significauit quantum potuit duris hominibus, se nolle dissidium. Et ideo ipse dominus alio loco de hoc interrogatus ita respōdit: Hoc Moyses propter duritiam cordis vestri fecit. Quantumuis enim durus esset qui veller dimittere vxorem, cū cogitaret libello repudij dato iam sine periculo eam posse nubere alteri, facile placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum, vt non facile vxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit, ceteras verò vniuersas molestias, si quæ forte extiterint, iubet pro fide coniugali, pro castitate fortiter sustineri. Et libro decimonono, contra Faustum Manichæum capite vigesimosexto, in hac re Euangelium legi Moysæ connectit, nec quid repugnantia & dissidij reperiri demonstrat. Nam (inquit) & illud de vxore non dimittenda, quod dominus præcepit, cum antiquis dictum sit: Quicumque dimiserit vxorem suam, derelictam libellum repudij, si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Expōsit enim dominus quid lex voluerit, cum passim dimittenti vxorem, iusserit libellum repudij dare: neque enim ait, Qui voluerit, dimittat vxorem suam, cui esset contrarium non dimittere. sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in dissidium animus præcepit, libelli conscriptione refractus abisteret, & quid mali esset vxorē dimittere cogitaret, præsertim quia vt perhibent apud Hebræos scribere literas Hebræas, nulli fas erat nisi scribis solis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam: & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantum profiterentur, verum etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & iustos dissidij dissuasores lex mittere voluit eum, quem iussit libellum repudij dare, si dimisisset vxorem. Non enim ei poterat scribi libellus, nisi ab ipsis qui per hanc occasionē & necessitatem venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum & vxorem pacifice agendo, dilectionem concordiamque suaderent. Quod si tantum intercederet odium, vt extingui emēdarique nō posset, tunc vtique scriberetur libellus: quia frustra non dimitteret quam sic odisset, vt ad debitam coniugij charitatem, nulla prudentium persuasionē reuocaretur. Si enim nō diligitur vxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non autem inuitum cogendo imponi potest. Hoc facere scriba debebat, iustus & sapiens, qualem in illa professione esse oportebat. Ad quem vt veniret discordia, marito libellus conscribendus præceptus est. Quem vir bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis auerso atque peruerso consilium concordia non valeret. Veruntamen à vobis ex vestri erroris sacrilega vanitate, quero, cur displiceat dimittere vxorē, quam non ad matrimonij fidem, sed ad concupiscentia crimen habendam esse censetis. matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat foemina nubere, quam vt mater fiat, quod vobis odiosum est. At dicit quispiam, Sicut vnitas vxoris est ex dictamine siue iudicio legis naturalis, ita & inseparabilitas. Sed licitum fuit post legem habere plures vxores, aliter Abraham, Iacob, & Dauid peccassent habendo plures vxores: ergo etiam ex lege repudium factum est licitum. Tum etiam licet lex vetus non conferebat gratiam, tamen ostendebat peccatum, si igitur esset illicitum, ostensum fuisset per legem, quod non fuit factum, immo concedebat. Ad hæc, sicut apostoli permiserunt secundas nuptias, sic Moyses permisit libellum repudij. Secundæ autem nuptiæ sunt licitæ, igitur & repudiū. Ad primum dico non esse simile, quia vnitas vxoris in veteri lege fuit intermissa propter maius bonum scilicet multiplicationem prolis ad cultum diuinum destinatam, & illa intermissio erat licita & sancta: sed permittere minus malum ad euitandum maius, nō facit illud licitum, quia nullum malum est licitum. Et sicut in veteri lege mittebatur cum extraneo exercere vsuram, non tamen erat licitum: ita mittebatur repudium ad vitandum maius malum, non tamen erat li-

citum. Ad secundum dico quidpiam esse illicitum, quod tamē lege permittitur: & id quidem dupliciter ostenditur. Vno modo per prophetam diuino instinctu loquentem, & hoc modo Dauid propheta ostendit vsuram esse illicitam etiam cum extraneo, dicens: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? & cetera. & subne- Psal. 24. citur: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, dicit Glossa, etiam gentili. Alio modo manifestamus aliquid esse illicitum per communem bonorum obseruationem, quia consuetudo est optima interpretis legis. Et dicitur consuetudo bonus vsus, non autem abusus: & sic ostensum est repudium esse illicitum, quia nullus eorum qui commendantur in scriptura, legitur hoc fecisse, nisi ex præcepto dei vel instinctu: sicut Abraham iussu dei emisit Agar, quia deus potest matrimonia coniungere & dissoluere vt sibi placuerit. Ad tertium dico nullam esse simpliciter similitudinem inter secundas nuptias & repudium. Nam secundæ nuptiæ non sunt illicitæ nec prohibitæ. Quandoquidem dicit Paulus ad Corinthios: Mulier alligata est legi quāto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est, cui autem vult nubat, tantum in domino. Paulus tamen dat optimum illi mulieri consilium, vt nō amplius nubat. Beatior (inquit) erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Has mouit rationes Lyranus, in vigesimūquartum caput Deuteronomij, easque nostræ patrocinando assertioni dissoluit. Lyranus.

CAPVT III.

RAAB meretrix, fuit typus Ecclesiæ, & prophetauit: quæ licet mentita sit dicendo exploratores è sua domo exiisse, tamen pro humanitate qua erga illos vsa est, temporaneam mercedem obtinuit. Primam huiusce assertionis partem ex libro Iosue stabiliemus, in quo scriptum est: Misit igitur Iosue filius Nū de Sethim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: Ite & considerate terram urbemque Hiericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Raab, & quieuerunt apud eā, fatetur sacra scriptura vt cuique perspicuum est Raab fuisse meretricem, & quidem à turpissima sui corporis prostitutione. Et huius est sententiæ Hieronymus, exponens illud Matthæi, Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, vbi dicit: Norandum in Genealogia saluatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehēdit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Vnde in consequentibus Ruth Moabitibus ponitur, & Bethsabee vxor Vriæ. Fatetur etiā Augustinus quæstione secunda, super Iosue, Raab fuisse mulierem fornicariam: & etiam enarrando psalmū illum: Memor ero Raab & Babylonis scientibus me. Tum etiam Origenes, homilia tertia super Iosue, siue Iesum Naue, dicit: Videamus quæ est meretrix Raab, Raab interpretatur latitudo. Quæ est ergo latitudo, nisi Ecclesia hæc Christi, quæ ex peccatoribus velut ex meretricatione collecta est? Denique Ambrosius libro secundo de Virginitate, dicit: Raab meretrix fuit, sed postq̄ deo credidit, salutem inuenit. Ad hæc, Chrysostomus, homilia quinta, de Pœnitentiā, dicit: Iesus ille qui dicit Raab meretrix viuat, imago erat domini Iesu dicentis, Meretrices & publicani prauentur vos in regnum dei. Si viuere debeat, quare meretrix? & si meretrix, quare viuat? Dico (inquit) priorem statum, quo sequētem discas mutationē. Et homilia tertia in Matthæum, agens de ijs qui Catalogo generationis Christi inscripti sunt, dicit: Vides quia nō ob exigua quædam & vilia, eam quæ de Iuda est, commemorauit historiam. Nam Ruth & Raab non frustra intulit mentionem, quarum vnā alienigenam, aliam etiam meretricem fuisse constat: sed vt disceres idcirco venisse Christum, vt nostra mala deleret omnia. Non enim quasi iudex, sed quasi medicus aduenit. Sicut igitur illi coniuges accepere meretrices, sic etiam fornicatricem hominum naturam sibi copulauit. Adde quod Irenæus libro quarto, aduersus hæreses Valentini & similibus, capite trigesimo septimo, asserit Raab fornicariam semetipsam condemnasse, quoniam esset gentilis omnium

peccatorū rea: suscepit autem speculatores, qui speculabatur vniuersam terram, & apud se abscondit, patrem scilicet & filium & spiritum sanctum. Quamobrem non potest mihi arridere sententia Lyrani dicentis, in secundū caput Iosue, Raab non fuisse meretricem secundum veritatem. Et ad id persuadendum infirma mo- uetur ratione, Raab nupsit ipsi Salmon, vt Matthæi primo capite notum euadit, in quo legimus, Salmon autem genuit Booz de Raab. Hic autē erat princeps nobilissimæ tribus scilicet Iudæ. Idcirco non est verisimile quod talem mulierem quæ erat actu infamis aut fuisset, in vxorem duxisset. Et loco huiusce tralationis, mulieris meretricis, habet tralatio Chaldaica, mulieris hospitalariæ: & dicebatur meretrix, quod pecuniā mereret ab ijs quos hospitio suscipiebat. Sed quid verat virum nobilitate insignitum ducere in vxorem, quandam mulierem scortatricem & nephanda libidine contaminatam? & præsertim si huiusmodi congressus non nihil habeat mysterij & figuræ, cum Christus originem trahens à quibusdam peccatoribus, vt testatur Hieronymus, venerit in hunc mūdum, vt omnium labem abstergeret. Et quia Lyranus aduersatur Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Chrysofomo, Origeni, Irenæo, & plerisque alijs, eius opinioni non adhæreo. Nec re Chaldaica versio impellit vt à communi sensu & receptissima tralatione desciscas. Nec verat Raab dici hospitalariam siue hospitam, & meretricem. Nec à sententia Lyrani discessit Iacobus Faber, in suis ad Matthæum commentarijs, sed neque tibi consulo vt ei hac in re patrocineris. ¶ Secundam assertionis partē ex doctorum testimonijs colligemus: Augustinus dicit in psalmum illū, Memor ero Raab, & Bābylonis scientium me, illa est meretrix quæ suscepit nuntios, & alia via eiecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit deum, cui dictum est, vt per fenestram mitteret coccum, id est vt in fronte haberet signum sanguinis Christi. Saluata est ibi, & Ecclesiam gentium significauit. Vnde dominus superbientibus Pharisæis dixit: Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedent vos in regnum cælorum. Præcedunt, quia vim faciunt, impellunt credendo, & ceditur fidei, nec obistere potest quisquam, quia qui vim faciunt, diripiunt illud. Ibi enim positum est, Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Hoc fecit ille latro, fortior in cruce quàm in fauce. Beatus quoque Chryso- stomus homilia quinta, de Poenitentia, asserit Raab Ecclesiæ figuram fuisse fornicatione demonum olim inuolūtē, nunc verò Christi exploratores suscipientis, nō eos qui à Iesu Naue, sed apostolos à Iesu vero saluatore trāsmisissos: Noui (inquit) quoniam deus vester in cælo desursum, & in terra deorsum, & præter eum non est deus. Hæc accipientes Iudæi non custodierunt. Hæc audiuit Ecclesia, & obser- uauit. Digna itaque Raab omni laude, Ecclesiæ imago. Quare & generosus Paulus eius fidei dignitatem discens, ex priori statu haud reprobam cogitauit, magis verò acceptabilem, sanctam ob ipsam conuersionem omnibus eam connume- rans sanctis, qui dixit: Fide Abel sacrificium obtulit, fide Abraham hoc & illud fecit, fide Noe arcam compegit, fide Moses hæc & illa fecit & gessit. Atque mul- tos deinde connumerans sanctos, tandem adiecit, Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, exploratores excipiens cum pace, & remittens alia via. Insuper Cyprianus libro primo Epistolarum, Epistola ad Magnum filium, dicit Raab por- tasse typum Ecclesiæ, cui dicebatur, Patrem tuum & matrem tuam & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuę foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in vnā domum solam, id est in Ecclesiam victuros, & ab interitu mundi euasuros colligi oportere. Quisquis autem de collectis foras eiecerit, id est si quisquam in Ec- clesia gratiam consequutus recesserit, & ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est ipsum sibi quod pereat, imputaturum. Quod apostolus Paulus explanat docēs & præcipiens hereticum vitandum esse vt peruersum & peccatorem, & à semet- ipso damnatum. ¶ Tertiam assertionis particulam ex contextu Iosue comproba-

bimus. Siquidem Raab diuino instinctu dixit exploratoribus: Noui quod domi- nus tradiderit vobis terram. Erenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terrę. Audiuius quod siccauerit dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto, & quæ feceritis duobus Amorreorum regibus, qui erāt trans Iordanem, Seon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuius, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spi- ritus ad introitum vestrum. Et huic applaudit veritati Glossa ordinaria, dicens in idem caput: Vides quomodo olim meretrix impia & immunda, nunc spiritu san- cto repleta est, de præteritis confitetur, de præsentibus credit, de futuris propheta- tur. Et cum dixit, Noui quod dominus tradiderit vobis terram, loquebatur de fu- turo, forma tamen & modo præteriti propter certitudinem suæ fidei, vt scribit Lyranus, quia tenebat ita certum, ac si iam esset factum. ¶ Quartam assertionis veritatem suadeo. Cū enim dixit Raab nuntijs à rege Hiericho ad se missis qui postulabant vt exploratores educeret, Exierunt, nescio quo abierunt, mentieba- tur. Nam inclusi erant domo, nec abierant: imò monuit vt ascenderent in solariū domus, & eos operuit stipula lini, sed mendacium illud fuit officiosum, vt dicit Lyranus, quia mentita est propter salutem suam & exploratorum. Nec huic recla- mat sententię Augustinus, libro vno contra mendacium, ad Consentium, capite decimoquinto, ostendens nullum mendacium esse iustum, eo quod ex veritate nō est: Quapropter (inquit) quando nobis de scripturis sanctis mentiendi proponun- tur exempla, aut mendacia non sunt, sed purantur esse, dum non intelliguntur: aut si mendacia sunt, imitanda nō sunt, quia iusta esse non possunt. Sed quod scri- ptum est, bene deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab Hierichun- tina meretrice, non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolen- tia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdūmq; non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala deus propter posteriora opera bona veller ignoscere, ita mirandum non est, quod vno tempore in vna causa deus vtrunque conspiciens, id est factum misericorditer, factūmq; fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum, malum illud ignouit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam non propter misericordiam fiunt, propter posteriora opera misericordię dimittuntur, cur non merito miseri- cordiæ dimittuntur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? Grauius est enim peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo subuenientis effici- tur. Ac per hoc si illud deletur opere misericordiæ postea subsequente, cur hoc quod est leuius, non deletur ipsa hominis misericordia & præcedente vt peccet, & comitante cum peccat? Ita quidem videri potest, verū tamen aliud est dicere, pec- care quidem nō debui, sed opera misericordiæ faciam, quibus deleam quod ante peccavi: & aliud est dicere peccare debeo, quia nō possum aliter misereri. Aliud est inquam dicere, quia iam peccauimus, benefaciamus: & aliud est dicere, peccamus vt benefaciamus. ibi dicitur faciamus bona, quia fecimus mala: hic autem, fa- ciamus mala, vt veniant bona. Ac per hoc ibi exhaurienda est sentina peccati, hic cauenda est doctrina peccandi. Restat itaque vt intelligamus illis mulieribus vel in Aegypto, vel in Hiericho, pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem vtiq; temporalem, quæ quidem & ipsa æternum aliquid etiam illis ne- scientibus prophetica significatione figuraret. Hæc ille. Ex cuius iudicio defumes vltimæ partis probationem. Nam Raab propter præclara & honesta humanitatis officia, quæ exploratoribus contulerat ne inciderent in manus regis Hiericho, euasit vnā cum suis parentibus mortem, & ciuitas Hiericho interfectis omnibus quæ erant in ea à viro vsque ad mulierem, & ab infante vsque ad senem, fundi- tus euersa est. Nec Chrysofomus harum enuntiationum asseritor, homilia quinta de Poenitentia, omnino excusat mendacium Raab, quandoquidem dicit: Cum

Iosue 2

Exodi 14.

Nume. 21.

& Deute. 3.

Glos. Ordin.

Lyranus.

Augustinus

Exodi 11.

Roma. 3.

Iosue 6.

Chrysofo.

enim transmissi à rege sunt qui exploratores quærent, dicunt ei: Si ingressi sunt ad te viri? Ipsa verò ad eos ira inquit, Ingressi, prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Nequaquam enim mendaciū ex se creditur, nisi præueniens veritatem ostēderit. propterea qui creduliter mentiuntur, prius vera fatentur atque omnibus manifesta, deinde mendacium inducunt ac dubium, ingressi ad te inquit, exploratores dicit, sic. Si enim à primo dixisset nō, ad scrutinium provocasset abeunt. Sed ingressi sunt inquit, & egressi eadem via, persequimini & comprehendite eos. O bonum mendacium, o bonum dolum, diuina non tradentem, sed pietatem custodientem. Si igitur Raab illam fratres poenitentia dignam effecit, atque per os sanctorum prædicatur, Iesu quidem Naue in deserto clamante: Viuat Raab meretrix, Paulo verò dicente, fide Raab meretrix non perijt cum infidelibus: multo magis nos, si poenitentiam induxerimus, salutem consequimur. Hæc ille. Nec vocat hoc mendacium bonum, quòd ex se & rei natura esset bonum & commedatione dignum, sed propter non mediocre commodum quod ex eo euenit.

Iosue 6.

CAPVT IIII.

1. Corin. 15.



Resurrectio erit omnium hominum, non tamen immutatio. [Hæc Paulina est Assertio, in prima Corinthiorum Epistola, vbi dicit Paulus, vt Latinorum exemplaria referunt: Omnes quidem resurgemus, sed nō omnes immutabimur, tamen quibusdā Græcis placuerit legere, Non omnes resurgemus, sed omnes immutabimur. Verum adnitemur efficitur, caciſſimis Pauli argumētis suadere futuram omnium resurrectionem. Paulus reprehendit quosdam Corinthios qui dicebant non esse resurrectionem mortuorum, cum tamen Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis. Si enim fatearis Christū à mortuis resurrexisse, primitias quidem dormientium, fateberis quoque & admittes mortuorum resurrectionē, & cum nullus sit qui nō gustabit mortem, aut iam gustauerit, colligā futuram omnium hominum resurrectionem. Rursum, Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: inuenimur autem & falsi testes dei, quoniam testimonium diximus aduersus deū, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Deinde acrius vrget Paulus, dicens: Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiles sumus omnibus hominibus. Nūc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine. Has rationes excutiēs Chrysoſtomus, dicit: Vides vt resurrectionem nostram ex eo rectissime probet, quia resurrexit Christus, prius re multifarie collecta. Prophetæ testati sunt inquit, & ipse conspiciendū se præbens ostendit, & nos prædicamus, & ipsi credidistis. Quadruplex testimonium concinnauit: Prophetarum, euentus, apostolorum, discipulorum, imò quintuplex. Nam & ipsa causa resurrectionem probat, pro alieno videlicet peccato mori. Si hoc porrò constat, constabit, sequeturque iam alterum, ceteros etiam mortuos resurrecturos. Hinc velut iam re concessa, accusat dubitātque: Si resurrexit inquit, quomodo inter vos quidam resurrectionem non esse dicunt? etiam hic aduersariorum audacia præoccupata, nō enim dicitis vos, sed inter vos quidam dicunt inquit, vt ne commune faceret crimen, & eos quorū id erat, ne proderet atque ita redderet impudentiores. Sed nec in vniuersum istud tacet, scilicet vt corrigantur. Itaque à reliqua multitidine separatis agere cum ipsis pergit, ita ad certamē (si quod deinde incumbat) debiliores formidolosiorēsq; etiam ceteros reddit, & in veritate fortius retinet, & tran-

Chrysoſto.

fugere ad eos, qui horum exitio imminabant, non finit. Nam vehemēti oratione voluit vti. Deinde ne dicerent esse perspicuum illud quidem, & omnibus notum, Christum videlicet resurrexisse, nec penes quenquam controuersum: verum ex eo corporum resurrectionem non consequi tamen, cum illa sit proclamata, vulgata, & ipsis oculis conspecta, hæc in sola hominum spe & fiducia sita, vide qui occurrat. Nam ab vtraque parte rursus hoc probat, quòd magnæ cuiusdam facultatis erat: Quid enim dicunt quidam (inquit) resurrectionem mortuorum non esse? Ergo illud identidem sublatum ruet, Christum videlicet resurrexisse. Subiungit igitur, Si verò resurrectio mortuorum non est, nec Christus ipse resurrexit. Vm vidēs & contentionem Pauli inuictam, qui non solū ex eo quod clarū sit id quod controuertitur, sed ex controuerso monstrare interim id quod clarum sit conetur: non quòd demonstratione res iam facta egeret, sed & hoc & illud æque certum esse ostendat. Sed qui tandem consequitur hoc, inquis? Nam nisi Christus resurrexerit, nec ceterorum resurgere quenquam, vt recte coheret, sic nisi resurgant ceteri, nec illum resurrexisse, quam rationem habeat non constat. Hoc igitur cum non satis nixum ratione videretur, vide vt perspicuum reddat antea feminibus ipsis Euangelij confessis quibusdam præiactis, cuiusmodi est pro peccatis nostris mortuum Christum resurrexisse, & quòd dormientium primitiæ sit. Nam si primitiæ, cuius nam primitiæ, nisi eorū qui resurgunt? Quomodo autem primitiæ fuerit, nisi quorum primitiæ sit excitentur? Quomodo igitur non excitentur? quòd si non excitantur, cur excitatur Christus? cur venit carnem quid assumpsit, si non fuit hanc resuscitaturus? Nam ea quidem non habuit opus ipse, sed nos, quod mox progressu ostendit. Progressus interim, si mortui (inquit) non resurgunt, nec Christus quidem resurrexit, quasi hoc illi sit cohærens. Nam carnem nisi resurrexturus fuisset, nunquam assumpsisset. Vides Euangelij œconomiam, ferè paucis illis verbis euerſam, & resurrectionis ambiguitate. De incarnatione verò nunc non agit, sed de resurrectione. Nam non incarnatum esse, sed mortuum esse, mortem soluit: siquidem carnem ille cum haberet, sub mortis imperio fuit. Si verò Christus non resurrexit (inquit) inanis videlicet est prædicatio nostra. Tamen sic consequatur: Si Christus non resurrexit, manifesta cum veritate, cum prophetis tantis, cum ipsa rerum fide pugnat. Sed quod ipsis horribilius erat ponit: Vacuum igitur præconium nostrum, vacua verò & vestra fides. Nam ipsorum mentem percellere vult, omnia nisi resurrexerit, amissus, omnia perierunt (inquit). Vides resurrectionis mysterium quantum? Nam si cum mortuus est resurgere non potuit, nec peccatum solutum est, nec mors, nec maledictio sublata. Et non vana solum docuimus nos, sed vana vos etiam credidistis. Neque hæc solum pestiferi dogmatis absurda narrat, sed ad hæc etiam dei testes falsi (inquit) inuēti fuisset, qui testificati de deo sumus, quòd Christum excitarit, quem non excitarit, si mortui videlicet non resurgunt. Quòd si absurdum hoc, criminatio enim & calumnia dei sit, & non resurrexit quemadmodum vos vultis, non hoc solum, sed alia præterea incommoda consequentur. Atque hæc rursus confirmat, repetitque: Si enim mortui non resurgunt, nec Christus est excitatus. Quod quidem nisi facturus fuisset, nunquam ad nos venisset. Verum hoc non dicit, sed finem, resurrectionem scilicet eius, per quam cætera omnia comprehendit: Si Christus (inquit) excitatus non est, vana fides vestra. Et quod clarum & confessum est, resurrectioni proxime circumponit, validioris & certi societate firmum & certum reddere volens, quòd infirmus erat, & minus certum. Adhuc in peccatis estis, nam si non resurrexit, nec mortuus est quidem: si non est mortuus, porrò nec peccatum soluit. Huius enim mors, peccati nostri solutio est. Ecce enim (inquit) Hic est agnus dei, qui tollit peccata mundi. Sed qui tollit? morte: agnum ideo vocauit, quòd esset mactandus. Quòd si non resurrexit, nec mactatus est: si non est mactatus, peccatum solutum non est.

v. j.

Ioan. 1.

si solum non est, in eo adhuc estis: si in eo estis, frustra credidistis ab eo vos liberatos. Præterea nisi resurrexit Christus, mors immortalis manet. Nam si ipse quoque morti obnoxius est, & dolores eius nondum soluit, qui ceteros liberavit, obnoxius adhuc ipse. Vnde subiunxit, igitur qui obdormierunt in Christo, perierunt. Quid de vobis (inquit) dico? cum & illi perierint omnes, qui omnia iam cōfecerunt, nec futurorum obscura notitia iam amplius subiunguntur. Quod in Christo dicit, vel eos qui in fide, vel qui propter ipsum Christum mortui sunt, tantum periculorum subierunt, tantum calamitatis hauserunt, arctam viam transferunt, intelligit. Vbi nunc Manichæorum ora sunt? qui resurrectionem, peccati liberationem interpretantur. Nam densi isti Syllogismi & recurrentes, eorum quæ dicunt ipsi, nihil probant, sed quæ dicimus nos: resurrectio enim eius qui cecidit, est. Itaque non solum resurrexit (inquit) sed ex mortuis etiam adiungit. Et Corinthij non de peccatorum remissione, sed de resurrectione corporum dubitabant. Quæ verò omnino necessitas est, ut nisi immunes peccato homines, nec Christum quidem fuisse dicamus? Nam istud nostrum, nisi suscitaret nos consequi, ut cur venerit, cur carnem assumpserit, cur resurrexerit, dicamus, probe habet, vestrum verò non item: seu peccent enim homines, seu non peccent, semper immunis peccati deus est, nec nostrum ad illud, nec illud ad hoc, quemadmodum in corporum resurrectione infertur. Si in hac vita spem tantum in Christum habemus, mortalium omnium miserissimi sumus. Quid ais Paule? supererit fiducia sola, si corpus non excitetur? An non animus superstes erit? erit, & immortalis quidem, sexcenties verò immortalis sit licet (ut est sanè) tamen citra carnem mirabilibus illis bonis non fruatur, quemadmodum nec punietur: ex eo hæc intelligas, quia non sola anima hic subiit laborem, verum etiam & corpus, & bonis ac malis actibus insudauit. cum enim corpus sit optimum animæ organum, & non nihil conducat ut ipsa sincerior & perfectius agat, & eo male affecto tardius operetur, aut ab operatione desistat, colligendum est præsidia ipsius corporis magnam adferre adiumentum ut tandem anima, in resurrectione mortuorum illis perpetuis bonis fruatur. Nec corpus martyrum atrocissimis tormentis discruciatum suo fraudabitur premio. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur (inquit) ut vnusquisque ferat quæ per corpus, seu bona, seu mala fecit. Nunc si in hac vita spem tantum in Christum habemus, mortalium omnium miserissimi sumus (inquit). Nam si corpus non resurgat anima nostra incoronata iacebit, extra cælestem beatitudinem erit. Quod quidem si des, nulla istic iam re in vniuersum fruemur. Si nulla, ergo in hac vita summa bonorum omnium nobis erit expectanda. Quid verò miserum magis sit? Hæc dixit partim quidem ad resurrectionem corporum credendam, eos confirmans, partim verò immortalitatem persuadens, ne prorsus hic dissolui nostra omnia putarent. Nam cum in superioribus satis quod volebat confirmasset, dixissetque: Si mortui non resurgunt, nec resurrexit Christus: si verò Christus non resurrexit, perimus, & adhuc in peccatis sumus. Rursus & hoc inducit, stultitiam eorum percellens. Nam quoties est necessarium dogma traditurus, obstinantiam formidine quadam exagitat prius, quod hic quoque fecit. Nam superius hæc sparsim ipsos sollicitos reddidit, cum omnibus excidisse doceret, & nunc aliunde item, velut maxime doluissent hoc idem facit, mortalium omnium miserissimi sumus, si post tot bella, tot mortes, post tot mala, tantis bonis excideremus. Et hæc tenus quidem nostra sibi constant, omniaque à resurrectione pendunt. Et hinc etiam patet, non de peccatis, sed de corporum resurrectione, de vita præsentis & futura, Paulo disputationem susceptam. Nunc autem Christus resurrexit primitiæ eorum qui obdormierunt. Postquam quanta mala sequantur, si resurrectionem neges, ostendit, rursus disputatione reducit: Nunc verò Christus ex mortuis resurrexit (inquit) ex mortuis continuo adiunxit, ora scilicet hæreticorum obstructurus. Primitiæ eorum qui obdormierunt. Si primitiæ, etiam ij resurgant oportet.

Quod si resurrectionem, peccati liberationem dicit, cum liber peccato mortalis nemo sit (nam & Paulus, Nil mihi conscius sum quidem, sed ob id non iustificatus sum inquit) quomodo erunt iuxta vos qui resurgant quidam? Vides de corporibus sermonem esse, quem ut probabilior reddat, assidue Christum in medium adducit, in carne resurgentem. Deinde causam etiam docet. Nam quod dixi, cum contendat, quanti sper causam non reddit, minus multis oratio probabilis est. Quæ causa igitur? quia enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Si per hominem, certe per eum qui corpus habet. Industriam porrò vide, ut aliud etiam argumentum necessarium excogitarit. Non alium quam qui victus est instaurare bellum, non aliam quam prostratam naturam recuperare victoriam posse, sic tandem ignominiam aboleri. Videamus ergo quam mortem dicat. Nam quemadmodum in Adam, inquit, omnes moriuntur: ita in Christo viuificabuntur omnes. Quid igitur? dic mihi, num omnes, in Adam peccati morte mortui sunt? Qui ergo Noe vir iustus seculo suo fuit? Qui Abraham, qui Iob, qui multi denique alij? Præterea qui viuificabuntur in Christo omnes, ij præsertim qui in gehennam abducentur? Ergo de corpore si dictum accipiamus, oratio constabit: si de peccato & iustitia, minime. Deinde ne viuificationem communem audiens, saluatum iri peccatores etiam putes. Vnusquisque in ordine suo (inquit). Non est enim cur cum resurrectionem eandem audis, iisdem omnes fruitorios esse rebus suspiceris. Nam si ne supplicium quidem omnium est idem, multo magis peccatorum & sanctorum discrimen ingens erit. Hieronymus in Epistola ad Minerium & Alexandrum, discutiens ample & copiose, difficillimam illam quæstionem: An omnes dormiēt, sed non omnes immutabuntur, nostræ subscribit assertioni: & primum illorum sententias expendit, qui ita legerunt apud Paulum, Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Et hanc quoque lectionem amplexatus est Theodorus Heracliotus, cuius suasio hæc est: Enoch & Helias, mortis necessitate superata, ita ut erant in corporibus, de terrena conuersatione ad cælestia regna transfati sunt. Vnde & sancti qui die consummationis atque iudicij in corporibus reperiendi sunt, cum alijs sanctis, qui ex mortuis resurrecturi sunt, rapiuntur in nubibus obuam Christo in aëra, & non gustabunt mortem, eruntque semper cum domino, grauissima mortis necessitate calcata. Vnde ait apostolus, Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Qui enim ex mortuis resurrexerint, & in nubibus viuētes rapti fuerint, transibunt ad incorruptionem, & à mortalitate, in immortalitatem mutabuntur, non in tempore, non saltem in breui spatio, sed in Atomo, & in puncto temporis, atque momento, quo palpebra oculi moueri potest, in nouissima tuba. Tanta enim fiet celeritate resurrectio mortuorum, ut viui quos in corporibus suis consummationis tempus inuenerit, mortuos de inferis resurgentes, præuenire non valeant. Quod manifeste Paulus edisserens ait, Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile istud induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, ut possit in vtramque partem, vel in pennis, vel in cælorum regno manere perpetuo. Diodorus Tarsensis Episcopus explicans hunc locum, Et mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur, dicit: Si incorrupti resurgēt mortui, haud dubium quin & ipsi ad meliora mutati: quid necesse fuit dicere, & nos immutabimur? An hoc voluit intelligi, quod incorruptio communis sit omnium, immutatio autem propriè iustorum? dum non solum incorruptionem & immortalitatem, sed & gloriam consequuntur. Apollinarius eademque Theodorus, asseruit, quosdam non esse morituros, & de præsentis vita rapiendos in futuram, ut mutatis glorificati: quibus corporibus sint cum Christo. Quod nunc de Enoch & Elia credimus. Didymus non pedibus, sed verbis in Origenis transiens sententiam, contraria via graditur: Ecce mysterium vobis loquor, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Quod ita differuit, si non indigeret

resurrectio interprete, nec obscuritatem haberet in sensibus, nūquam Paulus post multa quæ de resurrectione loquutus est, intulisset: Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem dormiemus, id est moriemur, non omnes autem, sed soli sancti immutabimur. Scio quòd in nonnullis codicibus scriptum sit, Non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Sed cōsiderandum an ei quod præmissum est, omnes immutabimur possit conuenire quod sequitur, Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Si enim omnes immutabuntur, & hoc commune cum cæteris est, superfluum fuit dicere, & nos immutabimur. Quamobrē ita legendum est, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Si enim in Adam omnes moriuntur & in morte dormitio est, omnes ergo dormiemus siue moriemur. Dormit autem iuxta idioma scripturarum, qui mortuus est spe resurrectionis futuræ. Omnisque qui dormit vti que experscitur, si tamē non subita vis mortis eum oppresserit, & mors somno fuerit copulata. Cunque omnes ita dormierint lege naturæ, soli sancti & corpore & anima, in melius mutabuntur, ita vt incorruptio omnium resurgētium sit. Gloria autem atque immutatio proprie sanctorum. Quòdque sequitur, In momento & in ictu siue in motu oculi, idem Didymus ita explanauit, Iuncta simul omnium resurrectione, rapiuntur obuiam Christo, sed hi quos mors dissoluerit, quæ præsens sermo significat. Quando enim dicit, In puncto temporis, & in motu oculi, atque momento, futuram omnium resurrectionem, cunctam primæ & secundæ resurrectionis excludit fabulam, vt alij primi, alij nouissimi resurgēturi esse credātur. Atomus autem punctum temporis est, quod secari & diuidi non potest. Vnde & Epicurus ex suis Atomis mundum struit, & vniuersa conformat. Quòdque iungit & dicit, In nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, duplicem habet intelligentiam, vt clangor tubæ aut vocis, indicet magnitudinem, iuxta illud quod scriptū est, Sicut tuba exalta vocem tuam, aur apertam omnium resurrectionem, iuxta illud quod in Euangelio legitur: Tu autem quando facis elemosynam, noli tuba canere ante te, hoc est absconditè fac misericordiam, & in secreto, ne videaris de alterius miseria gloriarī. Querimus autem cur ad nouissimam tubam mortuos scripserit resurgēturos. quando enim nouissima dicitur, vti que aliæ præcesserunt. In Apocalypsi Ioannis, septem describuntur angeli cum tubis, & vnoquoque clangente, primo videlicet, secundo & tertio, quarto & quinto, & sexto, quid per singulos actum sit, indicatur. Nouissimo autem, id est septimo claro tubæ strepitu personante, mortui suscitantur, corpora quæ prius habuerant corruptibilia, incorrupta recipientes. Vnde post nouissimam tubam, exponit apostolus, quid sequatur. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, nos autem immutabimur. Quando dicit nos, alium se & eos qui secum sunt, præter mortuos esse significat. Ad quod intelligendum, sunt qui dicant mortuos qui resurgāt incorrupti, esse corpora mortuorum: eos autem qui dicantur esse mutandi, animas debere accipi, quando in maiorem gloriam fuerint commutata, & peruenerint in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Alij verò asserunt, mortuos debere intelligi peccatores, qui resurgent incorrupti, vt possint æterna sustinere supplicia: eos autem qui commutantur, esse sanctos, qui de virtute in virtutem, & de gloria transferuntur in gloriam. Vnde & ad incorruptionem mortuorum intulit, Oportet enim corruptiuium hoc induere incorruptionem. Ad id autem quod dixerat, nos immutabimur, illud adiunxit, & mortale hoc induet immortalitatem. Aliud est enim immortalitas, aliud incorruptio: sicut aliud mortale, & aliud corruptiuū. Quicquid autē mortale est, & corruptiuum est: sed nō quod corruptiuum, statim & mortale. Corruptiua quippe sunt corpora, quæ carent anima, & tamen non sunt mortalia, quia nunquam habuere vitam, quæ proprie animatum est. Vnde signanter apo-

Esaie 58.

Matth. 6.

Apocaly. 8.

Ephes. 4.

stolus, corruptioni incorruptionem, & mortalitati immortalitatem, resurrectionis futuram tempore copulauit. Acacius Cæsareę post Eusebium Pamphili episcopus in quarto Syllection Zitimaton libro, proponēs sibi hanc eandem quæstionē, latius disputauit, & vtrunque suscipiens quod inter se videtur esse contrarium, sic loquutus est: Dicamus primū de eo quod magis in plurimis codicibus inuenitur, Ecce mysteriū dico vobis. Omnes quidem dormiemus, nō omnes autem immutabimur. mysterium dixit, vt attentos faceret auditores, de resurrectione plenius disserturus. Dormitio autem mortem istam, quæ communis est omniū, significat: vnde rectissime posuit, quòd omnes dormiamus, id est moriamur, sicut supra dixit, Quomodo in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Cum ergo omnes morituri sint, audite sacramenta quæ dico, Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, haud dubium quin angelus septimus, & mortui resurgent incorrupti. Si autem incorrupti erunt mortui, quomodo non immutabuntur, cum incorruptio ipsa mutatio sit? Sed hic commutatio, qua Paulus mutatus & sancti sunt, glorificatio intelligitur, incorruptio autem idcirco est communis omnium, quia in eo miserabiliores erunt peccatores, vt ad tormenta perpetui sint, & non mortali & corruptibili corpore dissoluantur. Legimus in eadem epistola, apostolo disserente sacratam diuersitatem resurrectionis, non in natura corporum, sed in varietate gloriæ, dum alij resurgūt ad pœnas perpetuas, alij ad gloriam sempiternam. Alia enim caro volatiliū, alia piscium, alia iumentorum, & corpora caelestia, & corpora terrestria. Sic (inquit) erit & resurrectio mortuorum. Cui sententiæ magis acquiescit Ecclesia, vt omnes communi morte moriamur, & nō omnes mutemur in gloriam, iuxta illud quod Daniel scribit, Multi dormientes in terrę puluere, resurgent, alij in gloriam æternam, alij in confusionem & opprobriū sempiternū. Qui enim resurgent in opprobriū & confusionem sempiternam, non resurgent in æternam gloriam, inquam Paulus & qui cum eo sunt, mutabuntur. Quæ cum ita se habeant, & sic intellecta sint à nobis eorum tantum commutationem suscipere, qui resurgent in gloriam, peccatorum autem & infidelium qui mortui appellātur & resurgent incorrupti, nequaquam commutationem, sed pœnas perpetuas esse dicendas. Deinde transit Hieronymus ad expendendam secundam lectionem, quæ ita fertur in plerisque codicibus: Non quidem omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Ex qua nonnulli asserunt multos viuos in corporibus reperiendos, & si non dormiant omnes, non omnes esse morituros: si autem non moriantur omnes, nō omnes resurgēturos. Resurgere enim proprie dicitur, qui prius moriendo cecidit. Vnde & Paulum volūt scribere in prima ad Theſsalonicēses epistola: Nos qui viuimus, qui residui erimus in aduētū domini, non præueniemus eos qui dormiūt: quoniam ipse dominus in iussu & voce archangeli, & tuba dei descēdet de cælo, & mortui in Christo resurgent primū, deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cū domino erimus. Et ex his dictis probare conātur Apostolum Paulum, & qui cum eo scribebant Epistolam, putasse se non esse morituros, sed reperiendos in die summationis in corpore. Quod si verum est, errauit Paulus, & humana estimatio ne deceptus est, vt arbitraretur se inueniendum in corpore, quod falsum esse rerum exitus approbauit. Hoc intellexerant & ipsi Theſsalonicēses sacramenta sermonis mystici nescientes, & coniecturis varijs fluctuabant, dicebantque: Si Paulus inueniendus in corpore est, proximus est dies iudicij. Vnde corrigat eos, secundam epistolam scribens: Rogamus vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostri congregationem in ipsum, vt non cito moueamini mente, nec terreamini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies domini, ne quis vos seducat vilo modo. quoniam nisi discessio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perdi-

Danie. 12.

2. Theſsal. 2.

v. iij.

tionis, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod colitur, ita ut in templo dei sedeat, ostendens se tanquam sit deus. Non meministis quod cum apud vos essem adhuc, hæc dicebam vobis? Quibus dictis hoc agit ut eos reuocet ab errore, ne putent diem appropinquare iudicij, & id quod scripserat, Nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt, aliter intelligant quam intelligi voluit ipse qui scripsit. Neque enim fieri potest ut qui ad Timotheum scripserat, Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, putaret se in carne perpetuum, & nunquam esse moriturum, & de vita æterna statim ad regna cælestia transiturum: præsertim cum ad Romanos scribens eadem dixerit, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ad Corinthios, Habitantes in corpore peregrinamur à domino, magis autem volumus exire de corpore, & esse cū domino. Qui hæc dicebat, nouerat utique se esse moriturum. melius est igitur spiritualiter sentire quod scriptum est, & dormitionem in præsentī loco, non mortem accipere, per quam anima à corpore separatur, sed peccatum post fidem & offensam dei, dormitionemque post baptismum, de qua & ad Corinthios loquebatur, Et ideo inter vos multi infirmi sunt, & dormiunt plurimi. Magis itaq; ex sententia Hieronymi cōuenit veritati, ita legere: Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Si enim omnes sunt immutandi, iuxta alteram lectionem, quomodo postea dicitur, quasi præcipuū atque priuatum & proprie apostolorum, & nos immutabimur? Quādo autem dicit nos, sanctos quosque significat. Quomodo autem intelligendum sit illud Pauli, Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt & cætera, explicat abunde Diodorus, residuos atque viuentes Paulus apostolus vocat, non quo velit intelligi & se & alios resurrectionis tempore in corpore reperiendos, sed nos dixit, pro eo quod est iustos, de quorum & ego sum numero. Ipsi enim rapiuntur obuiam Christo, & non peccatores. Viuentes autem non iuxta Tropologiā, sanctos accipimus, qui peccato nō mortui sunt, sed omnes quos in corpore adueniens Christus inuenit. Quodque sequitur, non præueniemus eos qui dormierunt, nequaquam ad peccatores referre debemus (Neque enim peccatores cum iustis rapiuntur obuiam Christo) sed eos quos mors dissoluerit. Verum quid ista perquiro, & apostolicis dictis calumniam facio, cū ipse manifestissime scribat, qui residui sumus in aduentu domini? Qui sint autem residui, verbis discimus saluatoris, Sicut in dieb; Noe ducebant vxores, & nubebant, & repente venit diluuiū, & tulit omnes, sic erit aduentus filij hominis. Quibus sermonibus approbatur in fine mundi multos viuos, & adhuc in corporibus reperiendos. Sequitur, in iussu & in voce archangeli, & mortui resurgent primi. Et hoc rursus saluator loquitur in Euangelio, Media autem nocte sponsus venit, qui utique viuentes in corpore deprehendet, quādo duerunt in lectulo vno, vnus assumetur, & alius relinquetur: & duę molentes, vna assumetur, & alia relinquetur. Quibus dictis ostenditur medio noctis securis omnibus consummationem mundi esse venturam. Origenes in tertio volumine Exigimaticōn epistolę Pauli ad Thesalonicenses prima, post multa quę vario prudentique sermone diseruit, hæc intulit: Quid est ergo quod scribunt Thesalonicensibus in verbo dei Paulus & Syluanus & Timotheus, Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt? Qui sunt isti viuentes qui loquuntur talia? Vtique Paulus, non ab hominibus, nec per homines & affectione & virtutibus copulatus. Et hoc non solum illi, sed quicumque Pauli & scientia & conuersatione similis est, dicere potest: Nos qui viuimus, quorum corpus mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuus propter iustitiam, & quorū mortificata sunt membra super terram, ita ut nequaquam concupiscat caro contra spiritum. Si enim adhuc desiderat caro, viuus: & quia viuus, desiderat: &

2. Timot. 4.

Roma. 7.

2. Corint. 5.

1. Corint. 15.

Gene. 7.

Matth. 24.

Matth. 25.

Matth. 24.

Galat. 1.

2. Thess. 1.

Roma. 8.

Colossen 3.

non sunt mortificata membra illius super terram. Quod si mortificata sunt, nequaquam contra spiritum concupiscunt, quæ mortificatione sui, huiusmodi desiderium perdidit. Sicut igitur qui vita caruere præsentī, & ad meliora translati sunt, magis viuunt, deposito mortis corpore, & vitiorum omnium incentiuis: sic qui mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt, nequaquam viuunt iuxta carnem, sed iuxta spiritum: viuunt in eo qui vita est, & viuunt in eis Christus: de quo scriptum est, Viuens est sermo dei & efficax, qui est dei virtus, deique sapientia. Viuunt enim in quibus viuunt virtus dei, omni humana fragilitate deposita, & in quibus viuunt sapientia, quæ abscondita est in deo, & in quibus viuunt, & operatur iustitia. Christus enim factus est nobis, non solum iustitia ex deo, sed & sapientia, & omne quod virtus est. Et si quidē in præsentī loco se à dormientibus, & in Christo mortuis, qui hanc scribunt Epistolam separarent, videbatur superflua annotatio, & ex vno loco assumptum testimonium non valeret. Nunc verò eodem sensu, quia & eodem spiritu, in prima ad Corinthios loquitur: Omnes non dormiemus, omnes autem immutabimur, in momēto, in motu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Hoc quod in præsentī loco scriptum est, in tuba dei descendet de cælo, compara illi quod ad Corinthios dicitur, in nouissima tuba: canet enim tuba, & cætera: Illi autē quod ad Thesalonicenses legitur, & mortui in Christo resurgent primi, hoc quod ad Corinthios scriptum est, & mortui resurgent incorrupti. Porro quod sequitur, deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, illi respondet, & nos immutabimur: quorum vtrunque sic intelligi potest: Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu domini, & nos qui immutabimur, & non sumus ex his qui appellatur mortui, sed viuimus, idcirco præsentiam domini non in morte, sed in vita præstolamur, quia de Israelitico genere sumus, & electi sunt de nobis reliquæ, de quibus dominus olim loquebatur: Dereliqui milia virorum, qui non curauerunt genu Baal. In Ioannis quoque Euangelio, viuorum & non viuorum duplex ordo describitur. Omnis qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Si viuos ita intelligimus, ut iam à nobis dictum est, dormientes & in Christo mortuos, illos esse credamus, qui cum velint in Christo viuere, tamen peccato mortui sunt. Sin autē reliquæ, & electio secundum gratiam, appellantur viuentes, qui non ita credunt, nec de Israelitica nobilitate generati sunt, dormientes & mortui appellantur in Christo. Sunt qui hunc locum ita edisserant: Viui appellantur, qui nunquam peccato mortui sunt: qui autem peccauerunt, & in eo quod peccauerunt mortui sunt, & postea conuersi ad pœnitentiam, purgant antiqua delicta, mortui appellantur, quia peccauerunt: in Christo autem mortui, quia plena ad deum mente conuersi sunt. Porro qui viuunt & habent testimonium fidei, & necdum receperunt promissionem dei, qui & de alijs melius quiddam cogitant, ut non absque his qui iusti sunt, coronentur, in eo habent beatitudinem, quod feruntur bono conscientie & viuunt, & relictī sunt in aduentu domini saluatoris. Sed quia clemens est deus, & vult saluare etiam eos qui dormierunt, & in Christo mortui sunt, non præuenient illos, neque soli rapiuntur in nubibus: sed iuxta exemplum Euangelicę parabolę, vnum denarium, vnāque mercedem, & vndecimæ horæ operarij, & primę qui in vineam missi sunt, salutis precium accipient. Nec hoc alicui videatur iniustum, ut dispar labor vnum præmium cōsequatur: magna quippe diuersitas est eorum qui post vulnera sunt sanati, & eorum qui nunquam viderunt mortis terrorem. de his puto dictum: Quis est homo qui viuat, & non videat mortem? redimet de morte animam suam. Neque enim (ut quidam putant) quis pro eo quod est, nullus accipitur, sed quasi dixerit, quis putas, iuxta illud quod scriptum est, Quis sapiēs, & intelliget hæc? Et in alio loco: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et iterū, Quis cognouit sensum domini? Residui ergo erūt de credentibus pauci, qui ad v. iij.

Hebræ. 4.

1. Corint. 23

3. Reg. 19.

Roman. 11.

Ioan. 11.

Roma. 11.

Matth. 20.

Psal. 88.

Psal. 106.

Psal. 14.

Esaiæ 40.

Roma. 11.

uentum domini videant, secundum id quod deus verbum factum est, nequaquam in vilitate carnis, sed in gloria triumphantis. Et considerandum quomodo primum dormientes appellauerit, deinde in Christo mortuos, quos viuentes praeuenire non poterunt. Qui enim non custodierit hoc quod scriptum est: Ne dederis somnum oculis tuis, neque palpebris tuis dormitationem, vt saluus fias, sicut caprea de vinculis, & sicut auis de laqueis, dormiet, & culpabili sopore torpescet: cumque dormierit, transibit in mortem. Sicut enim mouetur qui vigilat, sic qui dormit, iacet immotus, & mortis torpet similitudine. Quod autem dormitionem sequatur mors, & prima ad Corinthios Epistola docere nos poterit, in qua ita scriptum est: Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, primitiae dormientium, quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et post paululum: Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Cum ergo haec de dormitione dicantur & morte, & illud legamus in apostolo: Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Christus, Iuremus domino, & vobis faciamus deo Iacob, vnusquisque dicens in corde suo: Si ascendam super stratum meum, si dederis somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum domino, haud dubium quin in anima sua tabernaculum deo Iacob, vt deus in illo aeterna sede requiescat. Sequitur, quia ipse dominus in iussu, & reliqua. Descendet enim missus a sacerdote non diuersitate virtutis, sed dispensatione iudicis: & descendet ad eos qui deorsum sunt, verbum dei & sapientia & veritas atque iustitia. Et quanquam mortui sint, ad quos dignatur descendere, non tamen sunt ab eo alieni. Mortui enim vocantur in Christo. Qui autem viuunt, hoc habent priuilegium, quod eliguntur a pluribus: attamen vtriusque agmen, vt mortuorum in Christo & viuentium, rapiuntur pariter in nubibus obuiam Christo, vt non eum expectent donec ad terrena descendat, sed praesentia illius, & contubernio in sublimibus perfruantur. Quantaque clementia Christi, vt pro salute nostra non solum caro factus sit, sed ad mortuos vsque descendit, & in ipsa morte habeat signa viuentium. Aqua enim & sanguis de latere eius egressi sunt. Descendit igitur sermo diuinus voce archangeli praecedente, & praeparate sibi via in his qui possunt ferre praesentiam. Quod vt queamus intelligere, primi aduentus mysteria cognoscamus. Scriptum est de Ioanne, qui praecursor eius fuit, quod in eremo dixerit: Ego vox clamantis in deserto, & reliqua. Quid clamauit vox in deserto? Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Ob quod praemium, quamve mercedem? Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare dei. Hoc autem ideo, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nunc autem nequaquam vox prophetae in deserto erit, sed vox archangeli parantis vias, non in carnis humilitate venientis, sed ei qui est apud patrem verbum deus. Et tunc quidem egrediebantur in desertum, vt audirent assumpti hominis praecursorem, & viderent arundinem vento agitatam, de qua facta sunt tibi, & vocalis calamus, qui in ore puerorum dulci sonat modulamine, canentium in plateis atque dicentium: Cantauimus vobis, & non saltaistis. Nunc autem in voce archangeli praecedentis dominum descendentem de caelis, & in clarissima tuba vnusquisque credentium, vel ad praedium, vel ad sacerdotalia ministeria prouocatur. Legimus in Numerorum libro sacratas deo tubas quae ante hostias personent. Sin autem magna est vox angeli, & tubae & archangeli, quanto maior erit tubae dei, quae parat vias primum dormientium, & mortuorum in Christo: deinde eorum qui viuunt, & residui sunt, & sermonis dei praestolantur aduentum? Forsitan simplicis tubae clangor dormientibus & mortuis in Christo necessarius est, vox autem archangeli, & tubae dei, his qui viuunt, & in praesentia dei referuntur. Videamus quid possit intelligi, & id quod sequitur, simul cum illis rapiemur:

Psal. 131.

Ecclesia. 27.

Esaia 16.

Ephes. 5.

Psal. 131.

Ibidem.

Ioannis 19.

Esaia 40.

Matth. 3.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Ibidem. &

Lucae 7.

Nume. 10.

quo verbo ostendi puto subitum ad meliora transcendens, & idcirco raptum se voluisse dicere, vt velocitas transeuntis, sensum cogitatis excederet. Quod & in alio loco eiusdem verbi proprietate signauit: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus, nescio: deus scit, raptum istiusmodi vsque ad tertium caelum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, deus scit: quia raptus est in paradysum, & audiuit verba ineffabilia, quae non licet homini loqui. Alij enim proficientes, & (vt ita dicam) gradientes ad maiora crescebant, donec fierent iuxta id quod scriptum est: Magni valde nimis, & quosdam in caelum assumptos legimus. Paulus autem vas electionis, in tertium caelum raptus ascendit: & idcirco audiuit verba ineffabilia. Quomodo autem hi qui rapiuntur in nubibus rapiantur obuiam Christo, diligentius contemplandum est: Scimus nubes prophetas: quibus praecipit deus, ne pluerent super Israel imbrem, quando impleuerunt mensuram patrum suorum, & facta est lex & propheta vsque ad Ioannem Baptistam. Et quia deus posuit in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, non solum prophetas, sed & apostoli nubes intelligendi sunt. Si quis igitur rapitur ad Christum, ascendit super nubes legis & Euangelij, super prophetas & apostolos: & assumptis alis colubae eorumque doctrina ad excelsa sublatus occurrit, non deorsum, sed in aere & spiritali intelligentia scripturarum. Occurrens autem in spiritalibus & terrena dimittens, siue ille sit dormiens, siue in Christo mortuus, siue viuens, & in illius praesentiam reseruatus, semper cum illo erit, & perfruetur verbo dei, & sapientia, veritate, atque iustitia. Adde quod Augustinus libro 20. de Ciuitate dei, cap. 20. nostre subscribit assertioni. Et in primis edisserendo haec Pauli verba: Si credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini: quia nos viuentes qui reliqui sumus in aduersum domini, non praueuiemus eos qui ante dormierunt, &c. dicit Paulum praclarissime ostendere futuram mortuorum resurrectionem, quando veniet dominus Christus vtrique ad viuos & mortuos iudicandos. Sed quare (inquit) solet, vtrum illi quos hic viuentes inuenturus est Christus, quorum personam in se, atque illos qui tunc secum viuebant, transfigurabat Apostolus, nunquam omnino morituri sint: an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapiuntur in nubibus obuiam Christo in aera, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Neque enim dicendum est fieri non posse, vt dum per aera in sublime portantur, in illo spatio & moriantur & reuiuiscant. Quod enim ait: Et ita semper cum domino erimus, non sic accipiendum est, tanquam in aere nos dixerit semper cum domino esse mafuros: quia nec ipse vtrique ibi manebit, qua veniens transiturus est. Venienti quippe ibitur obuiam, non manenti: sed ita cum domino erimus, id est sic erimus semper habentes corpora sempiterna, vbicumque cum illo fuerimus. Ad hunc autem sensum quo existimemus etiam illos quos hic viuos inuenturus est dominus, in ipso paruo spatio, & passuros mortem, & accepturos immortalitatem ipse Apostolus nos videtur vrgere, vbi dicit: In Christo omnes viuificabuntur: cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum, dicat: Tu quod seminas non viuificatur, nisi moriatur. Quomodo igitur quos viuentes hic Christus inueniet, per immortalitatem in illo viuificabuntur, etsi non moriantur? cum videamus propter hoc esse dictum, Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Aut si recte non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quae moriendo quoquo modo reuertuntur in terram, sicut sese habet etiam illa in transgressorem, patrem generis humani diuinitus prolata sententia, Terra es, & in terram ibis, fatendum est istos quos nondum de corporibus egressos cum veniet Christus, inueniet, & in istis verbis Apostoli, & illis de Genesi non teneri, quoniam sursum in nubibus rapti, non vtrique seminantur, quia nec eunt in terram, nec redeunt, siue nullam prorsus experiantur mortem, siue paululum in aere moriantur. Sed aliud rursus

2. Corin. 12.

3. Reg. 17.

Matth. 23.

Matth. 11.

1. Cor. 12. &

Ephes. 4.

Augustinus

1. Corin. 15.

Gene. 3.

occurrit: quod idem dicit Apostolus, cum de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur: Omnes resurgemus, vel sicut alij codices habent, Omnes dormiemus. Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors praecesserit, nec dormitione possumus illo loco intelligere, nisi mortem. quomodo omnes vel dormient vel resurgēt, si tam multi quos in corpore inuenturus est Christus, nec dormient nec resurgent? Si ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viuentes, eisque in obuiam rapietur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, siue vbi dicit: Tu quod feminas, non viuificatur nisi moriatur: siue vbi dicit: Omnes resurgemus, aut omnes dormiemus: quia nec illi per immortalitatem viuificabuntur, nisi quamlibet paulum tamen ante moriantur, ac per hoc, & à resurrectione non erunt alieni, quam dormitio praecedit, quamuis breuissima, non tamen nulla. Cur autem nobis incredibile videatur illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter atque incorruptibiliter reuiuiscere, cum credamus (quod idem ipse Apostolus alibi aperitissime dicit) in ictu oculi futuram resurrectionem, & in membra sine fine victura tanta facilitate tamque inestimabili velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum puluerem? Nec ab illa sententia, qua homini dictum est, Terra es, & in terram ibis: futuros illos sanctos arbitremur immunes, si eorum morientium in terra, non recident corpora: sed sicut in ipso raptu morietur, ita & resurgent dum feruntur in aera. In terram quippe ibis, est, in hoc ibis amissa vita, quod eras antequam sumeres vitam: id est hoc eris exanimis, quod eras antequam esses animatus. Terrae quippe insufflauit deus in faciem flatum vitae, cum factus esset homo in animam viam, tanquam diceretur: Terra es animata, quod non eras: terra eris exanimis, sicut eras: quod sunt & antequam putrescant omnia corpora mortuorum, quod erunt & illa si morientur, vbi cunq; moriantur, cum vira carebunt, quam continuo receptura sunt. Sic ergo ibunt in terram, quia ex viuis hominibus terra erunt, quemadmodum ita in cinerem quod sit cinis, ita in vetustatem quod sit vetus: ita in testam, quod ex luto sit testa, & alia crescētia, sic loquimur. Quomodo autem sit futurum quod nunc expectamus, pro nostrae ratiūculae viribus, vtcunq; conijcimus, tunc potius erit, vt nosse possimus. Resurrectione quippe mortuorum futuram esse in carne, quādo Christus venturus est viuos iudicaturus & mortuos: oportet (si Christiani esse volumus) vt credamus. Sed nō ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valeamus. Et libro vndecimo contra Faustum Manichæum, capite 3. hanc vulgatam sequitur editionem, Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. Immutabuntur autem iusti qui ibunt in vitam aeternam, vt dicit libro vno de Fide ad Petrum Diaconum, capite 29. quod expressit Paulus, dicens: Et nos immutabimur. Eandem quoque lectionem approbat Tertullianus libro vno de Resurrectione carnis. Ad hanc, Cyprianus in Sermone de Resurrectione Christi, dicit resurrectionem esse cōmunem, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare & impios, dei hoc dictante iustitia, vt pietas & impietas in operatoribus debitis stipendijs donarentur, & qui finē habere contempserunt in malis, infinita clauderentur ultione in poenis: & qui gloriati sunt in cruce cū crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes. Tum etiam Ambrosius scribit in Oratione de Fide resurrectionis: Sicut primitiae mortis in Adam, ita etiam primitiae resurrectionis in Christo omnes resurgunt. Et ibidem, Licet in momento resuscitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine susciuntur. & ideo primi resurgent, qui maturo deuotionis occurfu, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntis solis aeterni radios receperunt. Quod vel de patriarchis iuxta veteris feriem testamenti, vel de Apostolis iuxta Euangelium iure memorauerim. Secundi autem qui ritum Gentium relinquentes ab errore fa-

1. Corin. 15.

Gene. 2.

Tertullianus
Cyprianus.

Ambrosius.

crilego transferunt in Ecclesiae disciplinam: & illi primi ex patribus, isti secundi ex Gentibus. Et enarrando illam Pauli sententiam, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, dicit: Omnes enim homines resurgent, sed soli qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur. siue ita: Omnes resurgemus, qui in aduentu Christi mortui inueniemur: non omnes immutabuntur, qui in corpore sint reperti, quia sancti soli beatitudinis gloriam consequentur. Damascenus libro quarto suae Theologiae, capite 28. dicit Christum resurrectionem mortuorum & verbo & opere manifestasse: Verbo quidem cum dixit, Audient qui in monumentis sunt, vocem filij dei: & ibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij: Opere, quando suscitauit Lazarum quatuoriduanum, & iam corruptum, & foetentem, non animam priuatam corpore, sed & corpus cum anima: & non aliud, sed hoc ipsum quod corruptum fuerat, suscitauit. Quomodo pacto enim cognosceretur aut crederetur mortui resurrectio, nisi signalibus indiuidui proprietatibus, ex quibus illud constabat? Sed Lazarum quidem, ad demonstrationem suae diuinitatis, & credulitatem & suae & nostrae resurrectionis suscitauit, qui rursus rediturus erat in mortem. Ipse verò dominus primitiae resurrectionis perfectae, & non amplius morti succumbentis factus est. Quapropter diuinus Apostolus dicebat: Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. igitur vana est fides nostra, igitur adhuc sumus in peccatis nostris. Nunc autem Christus resurrexit, primitiae dormientium, & primogenitus ex mortuis.

CAPVT V.

Resurrectio mortuorum talis futura est, qualis fuit Christi, & non Lazari. Hanc eruius Assertionem ex Augustino in epistola ad Deo gratias, de Resurrectione Christi, vbi ita scribit: In prima quaestione, monet quosdam, & requirunt de duabus resurrectionibus, quae conueniat promissae resurrectioni, vtrumnam Christi an Lazari? Si Christi (inquiunt) quomodo potest haec conuenire resurrectioni natorum ex semine eius, qui nulla feminis conditione natus est? Si autem Lazari resurrectio conuenire asseritur, nec haec quidem congruere videtur. Si quidem Lazari resurrectio facta sit de corpore nondum tabescente, de eo corpore quo Lazarus dicebatur, nostra autem multis seculis post ex confuso eruetur. Quibus respondetur, ideo non Lazari resurrectionem, sed potius Christi congruere promissae resurrectioni, quia Lazarus ita resurrexit, vt iterum moreretur. Christus autem (sicut de illo scriptum est) surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod etiam promissum est resurrecturis in fine seculi, & cum illo regnaturis in aeternum. Sic autem non pertinet ad resurrectionem differentia natiuitatis Christi & nostrae, quod ille sine virili semine, nos autem non sine viro & foemina creati sumus, sicut etiā non pertinet ad ipsius mortis differentiam. Non enim propterea illius non vera mors fuit, quia sine virili semine natus est: sicut nec ipsius primi hominis aliter exorta caro quam nostra (quandoquidem ille sine parentibus de terra creatus est, nos verò ex parentibus) aliquid attulit ad differentiam mortis, vt aliter ille moreretur, aliter nos. Sicut autē non ad mortis, sic nec ad resurrectionis differentiam valet diuersa natiuitas. Sed si nec hoc quod scriptum est de primo homine, similiter infideles homines volūt credere, quarant vel animaduertant si vel hoc possunt quam multorum animalium genera sine parentibus ex terra procreantur, quae tamen coeundo pariant etiam ipsa sui simile: nec propter diuersitatem natiuitatis intersit aliquid ad naturam eorum quae procreata sunt ex terra, & eorum quae illis coeuntibus orta sunt. Similiter enim viuunt similiterque moriuntur, quamuis dissimiliter nata sint. Ita non est absurdum vt similiter resurgant corpora, quae dissimiliter orta sunt. Huiusmodi autem homines non valentes inueniri ad quam rem intersit aliquid diuersum & ad quam non intersit, vbi non ad-

Damascen.

Ioan. 5.

Ioan. 11.

Augustinus

Roman. 6.

uerterint aliquam distantiam primordiorum, etiam omnia consequentia dista-
re oportere contendunt, possunt tales putare oleum ex adipibus non debere na-
tare super aquam, sicut illud quod ex oliua est: quoniam longe est vtriusque origo
dissimilis, quando illud ex ligno, hoc ex carne profluxerit. Quantum autem atti-
net ad illam differentiam, quod Christi corpus, non dissolutum tunc atque putre-
dine die tertio resurrexit, nostra verò post longum tempus, ex quadam quo solu-
ta discesserant confusione reparabuntur, humanæ facultati vtriusque impossibile
est, diuinæ autem potestati vtriusque facillimum. Vt enim radius oculi nostri non
citius peruenit ad propinquiora quàm ad longinquiora, sed vtraque interualla pa-
rili celeritate coningit: ita cum in ictu oculi, sicut Apostolus dicit, sit resurrectio
mortuorum omnipotentiae dei & ineffabili nutu tam facile est quæque recētia,
quàm diuturno tēpore dilapsa cadauera suscitare. Incredibilia sunt hæc quibus-
dam, quia inexperta, cum omnis natura rerū tam sit plena miraculis, vt non qua-
si facili peruestigatione rationis, sed videndi consuetudine mira non sint, atque
ob hoc, nec consideratione nec inquisitione digna videantur. Possumus & oppor-
tune hanc approbare assertionem ex eo quod dicit Paulus: Christus resurrexit à
mortuis primitiæ dormientium. Nec dicitur primitiæ, nisi eorum qui resurgunt,
vt diligenter annotauit Chrysostomus, & excitentur illi quorum est primitiæ. Et
homilia 65. in Ioānem, dicit: Oportet resurrectionem talem esse, qualis fuit Chri-
sti. Quare pender anchora & spes nostræ resurrectionis à gloriosa Christi resurre-
ctione. Et huic plaudit sententiæ Hieronymus in epistola ad Pammachium, aduer-
sus errores Ioannis Hierosolymitani, dicens: Lege ergo de resurrectione carnis
quæ subdita sunt, & cum legeris & nō placuerint (scio enim haud placitura igno-
rantibus) suspende iudicium, expecta paulisper vsque ad finē respōsionis nostræ,
cohibe sententiam: & si tibi postea non placuerint, tūc nos calumniæ denotabis.
Passionem quoque eius in cruce & mortem ac sepulturam quæ vniuersa seruauit,
ac resurrectionē veritate & non putatiue cōfitemur, qui & primogenitus ex mor-
tuis primitias massæ corporum nostrorū, quas in sepulchro positas suscitauit, per-
uexit ad cælum, spem nobis resurrectionis in resurrectione proprii corporis tri-
buēs. Vnde & omnes sic speramus resurgere ex mortuis, sicut ille resurrexit. Non
in alijs quibusdam peregrinis, & in alienis corporibus quæ assumuntur in phanta-
smate, sed sicut ipse in illo corpore quod apud nos in sancto sepulchro cōditum
resurrexit, ita & nos in ipsis corporibus quibus nunc circundamur, & in quibus
nunc sepelimur, eadem ratione & visione speramus resurgere. Quæ enim iuxta
Apostolum seminantur in corruptione, surgent in incorruptione: quæ feminan-
tur in ignobilitate, surgēt in gloria. Seminatur corpus animale, surgit corpus spi-
rituale. De quibus & saluator docens, loquutus est: Qui enim digni fuerint seculo
illo, & resurrectione ex mortuis, neq; nubent, neq; nubentur: neq; enim vltra mo-
ri poterunt, sed erunt sicut angeli dei, cum sint filij resurrectionis. Rursum in alia
parte epistolæ, hoc est in fine suorū tractatum, vt auribus illuderet nescientium
strepitum resurrectionis ac pompā, hac verborum ambiguitate liberauit. Sed ne-
que de secundo glorioso aduētū domini nostri Iesu Christi intermisimus, qui ven-
turus est in gloria sua iudicare viuos & mortuos: ipse enim suscitabit omnes mor-
tuos, & ante suum tribunal esse faciet, & vnicuique reddet secundum quod egit
per corpus, siue bonum, siue malum: scilicet, aut coronandus in corpore, quod ca-
ste egit & iuste: aut condemnandus, quod voluptatibus pariter, iniquitatibusque
seruiuit. Hoc quod in Euangelio legimus, In consummatione mundi, si fieri po-
test, seduci etiam electos, in hoc capitulo comprobamus. Audit vulgus indoctum
mortuos & sepultos, audit resurrectionem mortuorum, veritate & non putatiue,
audit primitias massæ nostrorum corporum in domini corpore ad caelestia per-
uenisse, audit resurrecturos, non in peregrinis alienisq; corporibus quæ assun-
tur in phantasmate, sed sicut surrexit dominus in corpore, quod apud nos in san-

1. Corin. 15.

Ibidem.

Chrysost.

Hieronym.

1. Corin. 15.

Matth. 22.

Matth. 16.

Roma. 2.

2. Corin. 5.

Matth. 24.

cto spulchro conditum iacuit, ita & nos in ipsis corporibus quibus nunc circun-
damur & sepelimur, in die iudicij resurrecturos.

CAPVT VI.

Resurgent homines absq; vlla deformitate.] Hæc Augustiniana est Af-
fertio libro 22. de Ciuitate dei, capite 19. Sed priusquam Augustinus hu-
iusce veritatis ferat censurā, in capite 18. eiusdem libri, citat illud Pau-
li testimonij, de integra & consummata mystici corporis Christi per-
fectione, Et ipse dedit quosdam quidē apostolos, quosdam autē prophe-
tas, alios verò euangelistas, alios autē pastores & doctores ad consummationem
sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurra-
mus omnes in vnitatē fidei & agnitionis filij dei, in virum perfectū, in mēsuram
ætatis plenitudinis Christi. Quod si (inquit) hoc ad resurrectionis formā, in qua
erit vnusquisq; referendū esset, quid nos impediret nominato viro intelligere &
foeminā? vt virum pro homine positū acciperemus, sicut in eo quod dictum est:
Beatus vir qui timet dominum, vtiq; ibi sunt & foeminæ quæ timent dominum.
Deinde in 19. capite subnectit: Quid iam respondeam de capillis atq; vnguibus?
Semel quippe intellecto, ita nihil periturum esse de corpore, vt deforme nihil sit
in corpore, simul intelligerem ea quæ formæ factura fuerant enormitatem, massæ
ipsi accessura esse, non locis in quibus membrorum forma turpetur. Velut si de li-
mo vas fieret, quod rursus in eundem limum redactum torum de toto iterum fie-
ret, non esset necesse vt illa pars limi, quæ ansa fuerat, ad ansam rediret: aut quæ
fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundū, dum tamen totum reuerteretur in to-
tum, id est totus ille limus in totū vas, nulla sui perdita parte remearet. Quapro-
pter si capilli toties tonsi, vnguēsve defecti, ad loca sua deformater redeunt, non
redibunt, nec tamen cuiq; resurgenti peribūt: quia in eandem carnem, vt quem-
cunq; ibi locum corporis teneant, seruata partiū congruentia materiæ mirabilia
te vertentur. Quamuis quod ait dominus, Capillus capitis vestri non peribit, non
de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi.
Vnde & alibi dicit: Capilli capitis vestri numerati sunt omnes. Neq; hoc ideo di-
xerim, quod aliquid existimem corpori cuiquā periturum. quod naturaliter ine-
rat, sed quod deforme natum fuerat (non vtiq; ob aliud, nisi vt hinc quoq; osten-
deretur quàm sit pœnalis conditio ista mortaliū) sic esse rediturum, vt seruata in-
tegritate substantiæ deformitas pereat. Si enim statuā potest artifex homo, quam
propter aliquam causam deformē fecerat, conflare & pulcherrimam reddere, ita
vt nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore
indecenter extabat, nec parilitati partium cōgruebat, non de toto vnde fecerat,
amputare atq; separare, sed ita conspergere vniuerso atq; miscere, vt nec foedita-
tem faciat, nec minuatur quantitatē, quid de omnipotenti artifice sentiendum est?
Ergo ne non poterit quasq; deformitates humanorū corporum non modo visita-
tas, verum etiā raras atq; monstrosas, quæ huic misere vitæ congruunt, abhorrent
autem ab illa futura felicitate sanctorum, sic auferre ac perdere, vt quasq; ea-
rum faciunt, etsi naturalia, tamen indecora excrementa substantiæ corporalis nul-
la eius diminutione tollātur? Ac per hoc non est macris pinguibusve metuendum,
ne ibi etiam tales sint, quales si possent, nec hic esse voluissent. Omnis enim cor-
poris pulchritudo, est partium cōgruentia cum quadam coloris suauitate: vbi au-
tem non est partiū congruentia, aut ideo quid offendit, quia paruum est, aut ideo
quia nimium proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium,
vbi & quæ praua sunt, corrigētur: & quod minus est q̄ decet, vnde creator nouit
inde supplebitur: & quod plus est quàm decet, materiæ seruata integritate detrahe-
tur. Coloris porrò suauitas quāta erit, vbi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris
sui? quæ claritas in Christi corpore cum resurrexit ab oculis discipulorum po-
tius abscondita fuisse, quàm defuisse, credenda est. Non enim eā ferret humanus

Augustinus

Ephes. 4.

Psal. 111.

Lucæ 11.

Matth. 10.

Matth. 13.

Lucæ 24. &
Ioan. 20.

Gene. 19.

atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi vt posset agnosci. Quo pertinuit etiã vt conrectantibus ostenderet suorum vulnerũ cicatrices, vt etiam cibum porũmq; fumeret, non alimentorũ indigentia, sed ea qua & hoc poterat potestate. Cum autem aliquid non videtur quãuis asit, à quibus alia quæ pariter asunt, videtur: sicut illam claritatẽ dicimus affuisse non visam, à quibus alia videbantur, & *ἀσφαλῆς* Græce dicitur, quod nostri interpretes Latine dicere non valentes, in libro Geneleos cæcitatẽ interpretati sunt. Hæc enim passi sunt Sodomitæ, quando quærebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire: quæ si cæcitas fuisset, qua fit vt nihil possit videri, non ostium quo ingrederetur, sed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent. Et capite 20. scite & copiose docet nullam in corporibus martyrum futurã deformitatem in die extremi iudicij, sed dignitatẽ, & quãdam quãuis in corpore, non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebis: nec ideo tamẽ si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorũ, quibus dictum est, Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo nouo seculo, vt iudicia gloriosorũ vulnerũ in illa immortalis carne cernantur, vbi membra vt præcideretur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem mēbris redditis, non perditis, apparebunt. Quãuis itaq; omnia quæ acciderunt corpori vitia tunc non erunt, non sunt tamen deputanda, vel appellanda vitia, virtutis indicia. Absit autẽ vt ad resuscitanda corpora, vitæq; reddenda, non possit omnipotẽtia creatoris omnia reuocare quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in puluerẽ, cinerẽve collapsum, vel in humorẽ solutum, vel in auras est exhalatũ. Absit vt sinus vllus, secretũmq; naturæ, ita recipiat aliquid subtractũ sensibus nostris, vt omnĩ creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatẽ. Et paulo pòst dicit Augustinus: Vnde iam etiam quæstio illa soluenda est, quæ difficilior videtur cæteris, vbi quæritur, Cum caro mortui hominis etiã alterius sit viuẽtis caro, cui potius eorũ in resurrectione reddatur. Si enim quispiã cõfectus fame atque cõpulsus, vescatur cadaueribus hominum, quod malũ aliquoties accidisse, & verus testatur historia, & nostrorum temporũ infœlicia experimenta docuerunt. Non quisquã veridica ratione contendet totum digestũ fuisse per imos meatus, nihilq; inde in eius carne mutatum atq; cõuersum, cũ ipsa macies quæ fuit & non est, satis indicet quæ illis escis derimenta suppleta sint. Iam itaq; aliqua paulo ante præmissi, quæ ad istũ quoq; nodũ soluendũ valere debebunt. Quicquid enim carniũ exhausit fames, vtq; in auras est exhalatũ, vnde diximus omnipotentẽ deum posse reuocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquã mutuo sumpta deputanda est, quæ sicut æs alienũ ei redhibenda est, vnde sumpta est. Sua verò illi quem fames exinaniẽrat ab eo qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur: quãuis etsi omnibus perisset modis, nec vlla eius mareries in vllis naturæ latebris remãssisset, vnde vellet eam repararet omnipotens. sed propter sententiã veritatis qua dictum est: Capillus capitis vestri nõ peribit, absurdũ est vt putemus cum capillus hominis perire non possit, tantas carnes fame depastas, atq; cõsumptas perire potuisse. Quibus omnibus pro nostro modulo consideratis atq; tractatis, hæc summa cõsicitur, vt in resurrectione carnis in æternum eas mensuras habeat corporũ magnitudo, quas habebat perficiendæ siue perfectæ cuiuscũq; indita corpori ratio iuuetutis in membrorũ quoq; omnĩ modulis cõgruo decore seruare. Quod decus vt seruetur, si aliquid demprũ fuerit indecẽti alicui grãditati in parte aliqua constitutæ, quod per totũ spargatur vt neq; id pereat, & cõgruentia partiũ vbiq; teneatur, non est absurdũ, vt aliquid inde etiã staturæ corporis addi posse credamus, cũ omnibus partibus, vt decorẽ custodiãt id distribuitur, quod si enormiter in vna esset, vtq; non deceret. aut si cõtenditur in ea quemq; statura corporis resurrecturũ esse, in qua defunctus est, non pugnatẽ resistendũ est, tantũ absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tardi-

ras, omnisq; corruptio, & si quid aliud illud, non decet regnũ in quo resurrectio nis & promissionis filij æquales erunt angelis dei, si non corpore, non ætate, certe fœlicitate. Eadẽ penẽ cõmemorat libro vno Enchiridij ad Laurẽt. cap. 89. dicens: Ipsa itaq; terrena materies quæ discedẽte anima fit cadauer, nõ ita resurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabatur, & in alias atq; alias aliarũ rerũ species, formasq; vertuntur, quãuis ad corpus redeant vnde dilapsa sunt, ad eadẽ quoq; corporis partes vbi fuerũt redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit quod tam crebra tonsura detonsit, si vnguibus quod toties dempsit exectio, immoderata & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionẽ carnis non credentibus occurrit infortunas. Sed quẽadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquefceret, aut cõtereretur in puluerẽ, aut cõfunderetur in massam, & eam vellet artifex rursum ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatẽ quæ particula materiæ cui mēbro statua redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat: restituta resumeret, ita deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra cõstiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues: an quicquid eorũ perierat, mutetur in carnẽ, & in partes alias corporis reuocetur curante artificis prouidẽtia, ne quid indecẽs fiat. Et capite 90. præcedentibus hæc subiungit: Nec illud est consequens, vt ideo diuersa sit statura reminiscẽtium singulorũ quia fuerat diuersa viuẽtium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiscãt. Sed si hoc est in consilio creatoris, vt in effigie sua cuiuscũq; proprietates & discernibiles similitudo seruetur, in cateris autẽ corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in vnoquoq; materies, vt nec aliquid ex ea pereat: & quod alicui defuit, ille suppleat: qui etiam de nihilo potuit quod voluit, operari. Si autẽ in corporibus resurgẽtium rationalis inæqualitas erit, sicut est vocũ quibus cantus impletur, hoc fiet cuiq; de materia corporis sui, quod & hominẽ reddat æqualem angelicis cõtibus, & nihil in cõueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quicquid futurum est, hoc decebit: quia nec futurum est, si non decebit. Et ex ijs quæ antecedunt, pulcherrimam facit cõsecutionem in capite 91. Resurgent igitur sanctorum corpora sine vllò vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas resurgẽdi, quanta fœlicitas erit. ¶ Quod si lubenter rescire velis, an etiam monstrorũ fœtus absq; vllò vitio, ac vlla maculæ & turpitudinis nota resurgent, in eodem libro, capite octuagesimo septimo, quidnam sentiat Augustinus de hac re, planẽ cognosces, vbi ita loquitur: Neque enim & monstra quæ nascuntur & viuunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiosa resurrectura credenda sunt, ac non potius correctæ emendatæque natura.

CAPVT VII.

Resurrectio Christi facta propter nostram iustificationem, magnam nobis spem cõtulit. Priorem huiusce Assertionis partẽ ex Paulo decerpimus, dicente in epistola ad Romanos: Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Hæc edisserẽs Origenes, existimat Paulum hæc de Christo dixisse, vt ostendat qd ea pro quibus Christus traditus est, etiam nos abhorreere debeamus & abijcere. Si enim propter peccata nostra traditum esse credimus, quomodo non alienũ nobis, & inimicum ducitur omne peccatũ pro quo redemptor noster traditus memoratur in mortem? Nam si nobis aliqua rursum societas cum peccato aut amicitia fiat, ostendimus quod nihili ducamus mortem Christi Iesu, amplectentes & sequentes ea quæ ille expugnauit & vicit. Idq; totum simul connectens Apostolus tanquam corpus ipsum peccati, indumentum veteris hominis appellauit, quod deponendum suadet his qui credit ei, qui susceperat dominum Iesum à mortuis, vt abiecto indumen-

Matth. 22.

Roman. 4.
Origenes.

ro iniustitiæ, induant se dominum Iesum, quod est verum iustitiæ indumentū, vt merito credentibus fides ad iustitiam reputetur. Traditus est ergo propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Etenim si surreximus cum Christo qui est iustitia, & in nouitate vitæ ambulamus, & secundū iustitiā viuimus, surrexit nobis Christus ad iustificationem nostrā. Si verò nōdum deposuimus veterē hominē cum actibus suis, sed in iniustitia viuimus, audeo dicere q̄ nondum resurrexit nobis Christus ad iustificationē, nec traditus est propter peccata nostra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo pro quo ille perulit mortē? si hoc credo quōd ille ad iustificationē meā surrexit, quomodo iniustitia placet? Iustificat ergo eos Christus tātummodo qui nouam vitam exēplo resurrectionis ipsius susceperūt, & vetusta iniustitiæ atq; iniquitatis indumēta velut causam mortis abijciunt. Tum etiam Augustinus Sermone 15. de Verbis Apostoli, explicādo hunc Pauli locū, Resurrexit propter iustificationem nostram, dicit Christum resurrexisse propter nostrā iustificationem, vt nos iustificet, & iustos nos faciat. Sed quis non videt Paulum reddidisse rationē mortis Christi, & eiusdem resurrectionis, neq; passionem & resurrectionē ad eundem contendere finem? Quandoquidem Christus pro nobis oppetit mortem, & cruci affixus est, vt à tyrānica diaboli captiuitate redimeremur, & nostra expiarentur delicta. Insigniter autē subiugata morte resurrexit, vt iustificaremur, & speraremus nos aliquando resurrecturos. ¶ Secundam assertionis partem ex Augustino eruimus, qui in epistola ad Honoratum, de Gratia noui testamēti, capite nono, dicit Christum suam resurrectionem (quam non sicut nostrā in longum differri oportebat, vt in exemplo carnis eius disceremus quid in nostra sperare deberemus) noluisse alienis demonstrare, sed suis. Alienis dico non natura, sed vitio, quod semper est contra naturam. Mortuus est ergo in conspectu hominū, resurrexit autē in conspectu filiorum hominū: quia mors ad hominē pertinebat, resurrectio ad filiū hominis. Sicut enim in Adam omnes moriūtur, sic & in Christo omnes viuificabūtur. Vt igitur exemplo suæ carnis exhortaretur fideles suos temporalem pro æterna felicitate contemnere, vsq; ad mortē pertulit persequentes atq; sauiantes, & quasi victo & oppresso superbe illudētes. Quōd autē carnem suam resuscitauit, & discipulorū conspectibus & cōtactibus reddidit, eisq; vidētibus ascendit in celū, ipsos edificauit, & quod prædicare deberent, euidentissima veritate monstrauit. Illos autē à quibus tanta mala vsq; ad mortē pertulerat, quasi de illo superato & extincto gloriātes, in ea opinione dereliquit, vt quisquis eorū salute æterna saluus fieri veller, hoc de illius mortui resurrectione crederet: quod ij qui viderunt signis contestantibus prædicauerunt, & pro ea prædicatione familia perpeti non dubitauerūt. Et libro 4. de Trinitate, capite 3. asserit vnam Christi resurrectionē, duas nobis resurrectiones præstitisse, cum corpus eius in vtraq; re, id est in morte, & in resurrectione, & sacramento interioris hominis nostri, & exēplo exterioris medicinali quadā conuenientia ministratū est. ¶ Quoniā de excellentissima Christi resurrectione scopum proposuimus, non absurde percōrabimur quæ ad eiusdē resurrectionis mysteria spectant. Et primū discutiemus quanam sanctissimi prophetæ de hac resurrectione prædixerūt. Dicit Psalmographus in persona Christi: Ego dormiui & somnum coepi, & resurrexi, quoniam dominus suscepit me. Et iterum in alio loco, Propter miseriam inopum, & gemitum pauperū nunc exurgam, dicit dominus. Et alibi, Domine eduxisti de inferno animā meam, saluasti me à descendibus in lacum. Et in alio, Quoniā conuersus viuificasti me, & de abyssō terræ iterum reduxisti me. Item, Et factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Nō dixit homo, sed sicut homo: sicut homo enim erat, quia etiā descēderat in infernum, sed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri nō poterat. Et ideo in vno natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ maiestatis ostenditur. Osee autē propheta manifeste de tertia die prænuntiat hoc modo: Sanabit nos (inquit) post bi-

Augustinus

1. Corin. 15,

Psal. 3.

Psal. 11.

Psal. 29.

Psal. 84.

Psal. 87.

Osee 6

duum, in die autem tertia resurgemus, & viuemus in cōspectu eius. Esaias verò aperte dicit: Qui educit de terra pastorem magnum ouium. Sed & mulieres quōd Esaiæ 40. visuræ essent resurrectionem eius, Scribis, & Phariseis, & populo non credentibus, etiā hoc prædixit Esaias his verbis: Mulieres quæ venitis ab spectaculo, venite, non enim est populus habens intellectū. Sed & de illis quæ post resurrectionem perrexisse dicuntur, & quæsisse eum, & non inuenisse, sicut Maria refertur venisse ante lucem, & non inuento eo, flens, dixisse ad angelos qui aderant: Quia tu Ioannis 20. lerunt dominum, & nescio vbi posuerūt eum, etiam hoc dicitur in Canticis canticorum: In cubili meo quæsiui & non inueni eum. De illis quoque quæ inuenierunt eum, & tenuerunt pedes eius, prædicitur in Canticis canticorum: Tenebo eum, & non dimittam eum, quem dilexerit anima mea. Adde quōd cum Ionas Ionæ 2. fuit in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, deinde dei iussu, piscis eum euomuit in aridam, & à tenebris ad lucem reuocatus est: id præfigebat mortem Christi & resurrectionem, qui postquam tribus diebus ac tribus noctibus iacuit in corde terræ, reuixit, & ab inferis ad vitam eductus est, vt liberaret eos qui mortis vinculis tenebantur, & post victoriā de suis hostibus habitam, illos ad beatorū infulas perduceret. Et hæc nos docet Christus in Euangelio Matthæi, dicens: Sicut Matth. 12. fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. ¶ Rursum disquiremus si nam Christus plenè docuerit suam resurrectionem: & quōd ita sit dicendum suadebimus, Primo quōd mysterium & veritatem suæ resurrectionis per angelos manifesta- uerit. In Euangelio Matthæi scriptum est: Vespere autem sabbati quæ lucefcit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus, angelus enim domini descēdit de celo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quōd Iesum qui crucifixus est, quæritis, non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite & videte locum, vbi positus erat dominus. Et cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno currentes nuntiare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Angelus ille amplissimum tulit testimonium resurrectionis Christi. Nec addubito quin mulieres illæ obstringebantur ei credere. Nam à deo missus erat, vt eis nuntiaret dominum tertia die, sicut prædixerat, resurrexisse. Verum vt ab animo tenebras incredulitatis expellerent, & firmissima fide crederēt Christum à somno mortis expergefatum esse, ostendit eis locum vbi positus erat dominus, nec tamen eum inuenierunt, quia iam surrexerat, etiam antequam angelus reuoluisset lapidem. Et ex eo ostendit eis locum, authore Hieronymo, vt si eius verbis non crederēt, vacuo crederent sepulchro, & gradu concito pergerent ac nuntiarent discipulis Christum resurrexisse. Et apertius multo id à Luca declaratur, dicente de istis mulieribus: Et ingressæ monumētum, non inuenierunt corpus domini Iesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vul- rum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborū eius. Ad hæc, Christus abunde mentibus suorum discipulorum inculcauerat se passurum crucis supplicium, & tertia die resurrecturum. Cum enim Petrus os apostolorum & vertex

Matth. 16. professus est Christum esse filium dei viui. vetuit dominus suis discipulis, ne cui-
 piam dicerent quòd esset Iesus Christus, deinde cepit suis ostendere, quia oportet
 eret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principi-
 bus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Tum etiam cum transfigura-
 tus est coram Petro, Iacobo, & Ioanne, præcepit illis de monte descendentibus,
 ut nemini reuelarent insignem illam visionem, donec filius hominis à mortuis
 resurgeret. Item, Conuersantibus eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis
 tradendus est in manus hominum, & occidetur, & tertia die resurget. Et ali-
 bi, Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto: &
 ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus
 sacerdotum, & Scribis, & condemnabitur eum morte, & tradent eum gentibus ad
 illudendum, & flagellandum: & crucifigendum, & tertia die resurget. Præterea
 beatus Marcus loquens abunde de gloriosa Christi resurrectione, dicit: Surgens
 Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalena, de qua eiecerat se-
 ptem dæmonia. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flen-
 tibus. Et illi audientes quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc
 autem duobus ex his ambulantibus, ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.
 & illi euntes nuntiauerunt cæteris, nec illis crediderunt. Illis autem duobus pere-
 grinis euntibus in castellum nomine Emmaus (vt narrat Lucas) apparuit Iesus,
 quem ramen non agnoscebant, & cum eis confabulando, dixit: Qui sunt hi ser-
 mones quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus
 cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cog-
 nouisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De
 Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone corâ deo & om-
 ni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in
 damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus quia ipse es-
 set redempturus Israel, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quòd hæc
 facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fue-
 runt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam
 visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex no-
 stris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non
 inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omni-
 bus quæ locuti sunt propheta. Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in
 gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in
 omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, &
 ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum domine,
 quoniam aduersperascit, & inclinata est iam dies: & intrauit cum illis. Et factum est
 dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat il-
 lis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euauit ex oculis eo-
 rum. Et dixerunt adinuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis dum lo-
 queretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt
 in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, di-
 centes: quòd surrexit dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ ge-
 sta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dum autem hæc
 loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit: Pax vobis, ego sum, nolite timere.
 Conturbati verò & conterriti, existimabāt se spiritum videre. & dixit eis: Quid tur-
 bati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pe-
 des, quia ego ipse sum, palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet,
 sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc
 autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid
 quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauam mellis. Et cum
 manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt ver-

ba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est im-
 pleri omnia quæ scripta sunt in lege Moyse, & prophetis, & psalms de me. Tunc
 aperuit illis sensum, vt intelligeret scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum
 est, Et sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari
 in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, inci-
 pientibus ab Hierosolyma. Vos autem testes estis horum. Sed dic quæso, quid a-
 pertius, quid denique manifestius hac sacra historia dici potuit, ad exprimendum
 resurrectionem Christi? Suis discipulis exprobrauit duritiam mentis & increduli-
 tatem, quòd non credidissent eum tertia die resurrexisse, cum tamen frequenter
 eis significasset se passurum mortem, & deinde tertia die à passione resurrecturum.
 Et ne perpetuo hæstarent, & errore infidelitatis inuoluerentur, voluit suum corpus
 post suam resurrectionem à suis discipulis contrèctari, vt viderent eius manus &
 pedes, quod erat certissimum resurrectionis argumentum. Denique apud Mar-
 cum legimus: Nouissime autem recumbentibus illis vndecim apparuit, & expro-
 brauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum re-
 surrexisse, non crediderunt, & dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædica-
 re Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui
 verò non crediderit, condemnabitur. Meminit & ample Ioannes Euangelista re-
 surrectionis Christi, & postquã hoc mysterium Mariæ Magdalena detectum est,
 Cum sero esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli
 congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis:
 Pax vobis: Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Causi sunt ergo disci-
 puli, viso domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego
 mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum,
 quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.
 Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat: cum eis quan-
 do venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autem di-
 xit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum
 in locum clauorum, & mitram manum meam in latus eius, non credam. Et post
 dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis: venit Iesus ianuis
 clausis & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digi-
 tum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum,
 & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus
 & deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non vi-
 derunt & crediderunt. Nónne euidentissima est resurrectionis Christi ratio, per-
 mittere ipsi Thomæ infidelitatis nube velato, vt admoueret digitem lateri Chri-
 sti trãffosso, & manifeste cognosceret cicatrices vulnerum, quibus pretiosum do-
 mini corpus cruciatum erat & afflictum? Nec potuit Thomas his argumentis
 non moueri ad credendum suum præceptorem à morte excitatum esse. Insuper
 Christus se manifestauit suis discipulis ad mare Tyberiadis vbi piscabantur. Et
 cum nocte nihil prendidissent, mane stetit Iesus in littore, non tamen cognoue-
 runt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium
 habetis? Responderunt ei: Non. Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & in-
 uenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine pi-
 scium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simõ
 Petrus cum audisset quia dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) &
 misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longe erant
 à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt
 in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis
 Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & tra-
 xit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et
 cum tot essent, non est scisum rete, dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo
 x.ij.

Marci 16.

Ioan. 20.

Ioan. 21.

audebat discipulorum interrogare eum, tu quis es? scientes quia dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis: & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset à mortuis. Paulus etiam commemorat Christum post suam resurrectionem suis discipulis apparuisse, dicens: Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia visus est Cephe, & post hoc, vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus: nouissime autem omnium, tanquam abortiuo, visus est & mihi. Chryso-
 1. Corin. 15.
 stomus hæc explicans, dicit: Quanquam Euangelium dicat Christum primum Mariæ visum, tamen Cephe, id est Petro, primum inter viros se scilicet videre maxime flagranti, visus est. Adde quod qui Christum primus confessus erat, non ab re primus etiam resurgentem vidit. Præterea cum huiusce discipulum esse negasset, quo minus se reiectum putaret, præ cæteris hunc conspectu suo dignatur. Ad hæc, quod huic primo pascendas oues commisit. Eadem causa propter sexum imbecillitatem, saluatoris gratiam primo mulier & nascentis & resurgentis sensit. Hæc ille. Venerabilis Beda enarrans illum Marci locum, Dicite discipulis eius & Petro, dicit: Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione. Nisi enim eum angelus nominatim exprimeret, qui magistrum ter negauerat, inter discipulos venire non auderet. Nec desunt viri doctissimi qui dicunt angelum Petri peculiariter meminisse, vt vel ex hoc Petrus qui plurimum imberberat mæroris, non solum ex passione domini, sed & ex negationis reatu, specialem reciperet consolationem, & intelligeret dominum nequaquam sibi obitatum sed propitium, sed clementem & misericordem, qualem & ipse illum intelligere debebat. Glossa ordinaria commentando illud Marci: Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia, reddit rationem cur Christus primo apparuit post suam resurrectionem Mariæ Magdalene, & in hunc modum differit: Mariæ Magdalene primo ostenditur, de qua eiecerat septem dæmonia, quia meretrices & publicani, præcedunt synagogam in regnum dei: vt latro præcessit apostolos. Apostoli flent & lugent, quia necdum videntur, sed cito consolabuntur. Beda de hac re ita loquitur: In principio mulier auctor culpæ viro fuit, executor vir erroris exiit: nunc quæ prima mortem gustauit, resurrectionem prima videt: & ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quæ viro culpam transfuderat, transfudit & gratiam. Vnde hæc quæ lugentibus lætitiâ resurrectionis prima nuntiavit, à septem dæmonibus curata memoratur, vt vbi abundauit peccatum, superabundasse & gratia monstraretur. Septenarius enim pro vniuersitate ponitur. Quæ autem à septem dæmonibus, hoc est vniuersis sceleribus liberata erat, prima resurgentem dominum vidit, ne quis digne poenitens, de venia desperet, videns eam quondam tot vitijs subditam, nec à deo dilectam, vt ipsis euangelistis & apostolis resurrectionem euangelizaret. Attende quid dicat Augustinus sermone centesimo quadagesimo quarto, cur voluerit Christus suam resurrectionem prius sexum foemineum nuntiare: Quia (inquit) per sexum foemineum cecidit homo, per sexum foemineum reparatus est homo. Quia virgo Christum peperit, foemina resurrexisset nuntiabat. Per foeminam mors, per foeminam vita.

CAPVT VIII.

Augustinus **R**estitutio alieni facit vt peccatum remittatur. In primis quod restitutum sit alienum, siue fuerit furto, rapina, calumnijs, vsura, aut inuasionibus ablatum, siue quis id ipsum inuito domino derinuerit, suadeo ex Augustino dicente in epistola ad Macedonium: Si enim res aliena pro-

pter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remitteretur peccatum, nisi restituatur ablatum. sed (vt dixi) cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, siue alios patiendos malos, siue ipse male viuendo, nec aliud habet vnde restituat. Hinc certe non possumus dicere, redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus & negare. Vbi quidem si aliquos sustinet repente cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas. quia etsi non est vnde luat ablatam pecuniam, merito tamen dum eam per molestias corporales redhibere compellitur, peccati quo male ablata est, poenas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum, non ad hoc vt minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem seuiat, ille præsertim qui iam remisit culpam, sed querit pecuniam, etsi fraudari metuit, non expetit vindicari. Denique in talibus causis, si persuadere potuerimus, eos pro quibus interuenimus, non habere quod poscitur, continuo nobis eorum molestiam relaxantur. Aliquando autem misericordes, & in ipso dubio nolunt homini pro incerta pecunia, certa inferre supplicia, ad hanc misericordiam etiam nos prouocare & exhortari decet. Melius enim etiam si habet, amittis: quam si non habet, aut excrucias, aut occidis. Sed pro istis magis apud eos qui repetunt, quam apud eos qui iudicant, intercedere conuenit: ne ipse videatur auferre, qui cum habet potestatem, non cogit reddere: quauis in cogendo ita debeat adhibere integritatem, ne amittat humanitatem. Illud verò fidelissime diximus, eum qui pro homine ad hoc interuenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem quantum honeste potest ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adiuuat, ac non potius subuertit atque opprimit. Sed nunquid ideo nos aut exigere, aut ad exigendum tradere vel possumus, vel debemus? Agimus quantum episcopalis facultas datur, & humanum quidem nonnunquam, sed maxime ac semper diuinum iudicium cominantes. Nolentes autem reddere quos nouimus & male abstulisse, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diuersitas personarum diuersam, videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad maiorem insaniam concitari. Aliquando etiam si res magis curanda non impedit, sancti altaris communionem priuamus. Verum sepe accidit vt nos fallant vel negando se abstulisse, vel affirmando se vnde restituant, non habere. Saepe etiam & vos fallimini putando vel nos non agere vt reddant, vel ipsos habere vnde reddant: & omnes aut penè omnes homines amamus nostras suspiciones vel vocare vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis mouemur: cum credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera. Deinde dicit Augustinus, fufus aperiens quæ restitutioni obnoxia sunt: Qui contra ius societatis humanæ, furtis, rapinis, calumnijs, oppressionibus, inuasionibus, abstulerit, reddenda potius quam donanda censemus. Zachæi publicani Euangelico exemplo, qui cum hospitio dominum suscepisset, in vitam sanctam repente mutatus: Dimidium (inquit) rerum mearum do pauperibus, & si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo. Veruntamen si iustitia syncerius consulatur, iustius dicitur aduocato: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetit, iniquitati affuisti, iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Et paulo post agens de restituendis vsuris, in hunc modum loquitur: Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem foenore? Hæc atque huiusmodi male vtrique possidentur, & vellè vt restituerentur, sed non est quo iudice repetantur. Iam verò si prudenter intueamur quod scriptum est, Fidelis hominis totus mundus diuitiarum est, infidelis autem nec obolus. nonne omnes qui sibi videntur gaudere licite conquisitis, eisque vti nesciunt, aliena possidere conuincimus? Hoc enim certe

alienum non est quod iure possidetur: hoc autē iure, quod iuste, & hoc iuste quod bene. Omne igitur quod male possidetur, alienum est: male autē possidet qui male utitur. Cernis ergo quā multi debeant reddere aliena, si vel pauci quibus reddantur, reperiuntur: qui tamen ubi sunt, tanto magis ista contemnunt, quanto ea iustius possidere potuerunt: iustitiam quippe & nemo male habet, & qui non dilexerit, non habet. Pecunia verò & à malis male habetur, & à bonis tāto melius habetur, quanto minus amatur. Hæc ille. Teluculenter & scite docuit Augustinus, fictitiam illius esse pœnitentiam, qui non reddit alienum cum tamen opportune reddere potest. Si tamen ea prematur inopia ut reddere non possit, integritate animi, & prœpta voluntate pensanda est restitutio: nec excrucandus est eculeo aut quæstione, ut tibi satisfaciatur, sed quam velles tibi fieri misericordiā si in eandem incidisses paupertatem, debes & illi facere. Cum tamē nobis suppetunt opes, quibus alienum restituere possumus, non ea laborare debemus pigritia, & oscitantia, ut restitutionem differamus. Neq; satis est pœnitentia duci, cum nobis non deest quod restituamus. siquidem non remittetur peccatū, nisi restituatur ablatum. Absoluetur autem & perficitur pœnitentia, restitutione, & satisfactio. Sunt enim pœnitentiæ partes, contritio, confessio, & satisfactio. Comprobabimus eandem assertionis partem illo Pauli testimonio, dicentis: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorē, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Nos cohortatur Paulus, ut quæ sunt debita proximo exoluamus, & reddamus: si pecuniarium sit debitum, soluendum est, nec inuito domino detinendum est. si famam aut honorem viri probi læserimus, aut intulerimus damnum bonis animi, & corporis, debemus restituere, alioqui nō videbimur diligere proximum. Adde quòd ille censetur reus qui furri conscius, quærente possessore non indicat, modo furtum recuperari possit. Nec dico ut indicet furem & prodar, sed furtum. Igitur fortiori argumento ille censetur reus, qui detinet alienum inuito domino: & per consequens detinens alienum (intelligo citra rationem & causam) restituere tenetur. Nec accusandus est qui furibundo non reddit gladium, quo homicidiū perpetraret. nam eo tempore quo delirat, & insania mentis laborat, non astringitur ei quod suum est restituere, non enim absque causa & ratione detinet: sed cum furor eius sedatus fuerit, & ad se redierit, reddet gladium. ¶ Secundam assertionis partem ex illo Ezechielis loco suffulciemus: Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mādatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius quæ peccauit non imputabuntur ei, iudicium & iustitiam fecit, vita viuet. Tum etiam ex opposito huius enuntiationis, Non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, ita ratiocinari poteris: Remittetur igitur peccatum, si restituatur ablatum, modo eum pœniteat, qui dolo, aut fraude, aut furto, aut quouis alio modo alienum abstulerit.

Roma, 13.


Ezechie, 33.

FINIS DECIMISEXTI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XVII.

CAPVT I.



Piritus sanctus communis charitas, qua pater & filius inuicem se diligunt, licet principaliter procedat à patre, non tamen prius quàm à filio. ¶ Priores huiusce Assertionis partes affirmat Augustinus lib. 15. de Trinitate, capite 17. dicēs: Spiritus sanctus secundum scripturas sanctas nec patris solius est, nec filij solius, sed amborum, & ideo communem qua inuicē se diligunt pater & filius, nobis insinuat charitatem. ut autē nos exerceat sermo diuinus, non res in promptu sitas, sed in abdito scrutandas, & ex abdito eruendas maiore studio fecit inquiri. Non itaque dicit scriptura, Spiritus sanctus charitas est.

Augustinus

quod si dixisset, non parua partem quæstionis istius abstulisset, sed dixit, Deus charitas est: ut incertum sit, & ideo requirendum, vtrum deus pater sit charitas, an deus filius, an deus spiritus sanctus, an deus ipsa trinitas. Neque enim dicturi sumus, non propterea deum dictum esse charitatē, quòd ipsa charitas nulla sit substantia, quæ dei digna sit nomine, sed quòd donum dei sit, sicut dictum est deo: Quonia tu es patientia mea. Neq; enim propterea dictum est, quia dei substantia, est nostra patientia, sed quod ab ipso nobis est, sicut alibi legitur: Quoniam ab ipso est patientia mea. Hunc quippe sensum facile refellit scripturarum ipsa locutio. tale est enim, Tu es patientia mea, quale est, Tu es domine spes mea, & deus meus, misericordia mea, & multa similia. Non est autem dictum, Domine charitas mea, aut tu es charitas mea, aut deus charitas mea: sed ita dictum est, Deus charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est. Hoc qui non discernit, intellectum à domino non expositionem quærat à nobis: non enim apertius quicquam possumus dicere. Deus ergo charitas est. Vtrum autem pater, an filius, an spiritus sanctus, an ipsa trinitas, quia & ipsa nō tres dij, sed vnus deus, hic quæritur. Sed iam in hoc libro superius disputauimus, non sic accipiendam esse trinitatem quæ deus est, ex illis tribus quæ in trinitate nostræ mentis ostendimus, ut tanquam memoria sit omnium trium pater, & intelligētia omnium trium filius, & charitas omnium trium spiritus sanctus: quasi pater nec intelligat sibi nec diligat, sed ei filius intelligat, & spiritus sanctus ei diligat: ipse autem sibi, & illis tantum meminerit. Et filius nec meminerit nec diligat sibi, sed meminerit ei pater, & diligat ei spiritus sanctus, ipse autem & sibi & illis tantummodo intelligat. Itēmq; spiritus sanctus nec meminerit nec intelligat sibi, sed meminerit ei pater, & intelligat ei filius, ipse autem & sibi & illis non nisi diligat. Sed sic potius, ut omnia tria, & omnes & singuli habeant in sua quisq; natura, nec distent in eis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio siue charitas, sed vnum aliquid sit quod omnia valeat sicut sapientia. & sic habeatur in vniuscuiusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplēxque substantia. Si ergo hæc intellecta sunt, & quantum nobis in rebus tantis videre & coniectare concessum est, vera esse claruerunt, nescio cur non sicut sapientia & pater dicitur, & filius, & spiritus sanctus, & simul omnes non tres, sed vna sapientia: ita & charitas & pater dicatur & filius & spiritus sanctus, & simul omnes vna charitas. Sic enim & pater deus, & filius deus, & spiritus sanctus deus, & simul omnes vnus deus.

1. Ioan. 4.

Psal. 70.

Psal. 61.

Psal. 90.

Ioan. 3.

x. iij.

Et rament non frustra in hac trinitate, non dicitur verbum dei nisi filius, nec donum dei nisi spiritus sanctus, nec de quo genitum est verbum, nec de quo procedit principaliter spiritus sanctus, nisi deus pater: ideo autē addidi principaliter, quia & de filio spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi pater dedit non iam existenti, & nondum habenti: sed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & spiritus sanctus spiritus esset amborum. Non est igitur accipienda transeuntes, sed diligenter intuenda inseparabilis trinitatis ista distinctio. Hinc enim factum est, vt proprie dei verbum, etiam dei sapientia diceretur, cum sit sapientia & pater, & spiritus sanctus. Si ergo proprie aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius quam vt hoc sit spiritus sanctus? vt scilicet in illa trinitatis simplici summāque natura, non sit aliud substantia, & aliud charitas: sed substantia ipsa sit charitas, & charitas ipsa sit substantia, siue in patre siue in filio, siue in spiritu sancto, & tamen proprie spiritus sanctus charitas nuncupetur. Sicut legis nomine, aliquando simul omnia veteris instrumenti sanctorum scripturarum significantur eloquia. Nam ex propheta Esaia testimonium ponens Apostolus, vbi ait: In alijs linguis, & in alijs labijs, loquar populo huic. pramissit tamen, In lege scriptum est. Et ipse dominus, In lege (inquit) eorum scriptum est, quia oderunt me gratis, cum hoc legatur in psalmo. Aliquando autem proprie vocatur lex quae data est per Moysen, secundum quod dictum est: Lex & prophetarū vsque ad Ioannem. & In his duobus praecipis tora lex pēder & prophetarū. Hic vtrique proprie lex appellata est, de monte Sina, prophetarum autem nomine etiam psalmi significati sunt, & tamen alio loco ipse saluator: Oportebat (inquit) impleri omnia quae scripta sunt in lege & prophetis & psalmis de me. Hic rursus prophetarum nomen exceptis psalmis, intelligi voluit. Dicitur ergo lex vniuersaliter, cum prophetis & psalmis: dicitur & proprie, quae per Moysen data est. Item dicuntur communiter prophetarū simul cum psalmis, dicuntur & proprie praeter psalmos. Et multis alijs exemplis doceri possunt multarum rerum vocabula, & vniuersaliter poni, & proprie quibusdam rebus adhiberi, nisi in re aperta vitanda sit longitudo sermonis. Haec ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconuenienter existimet charitatem appellare spiritum sanctum, quia & deus pater, & deus filius, potest charitas nuncupari. Sicut ergo vnicum dei verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum sit vniuersaliter & spiritus sanctus & pater ipse sapientia, ita spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo charitatis, cum sit vniuersaliter charitas & pater & filius. Sed dei verbum, id est vnigenitus dei filius, aperte dictus est dei sapientia ore Apostolico, vbi ait Christum dei virtutem, & dei sapientiam. Spiritus autem sanctus vbi sit dictus charitas, inuenimus, si diligenter Ioannis apostoli scribemur eloquium, qui cum dixisset, Dilectissimi, diligamus inuicem, quia dilectio ex deo est: secutus adiunxit: Et omnis qui diligit, ex deo natus est: qui non diligit, non cognouit deum, quia deus dilectio est. Hic manifestauit eam se dixisse dilectionem deum, quam dixit ex deo. Deus ergo ex deo est dilectio. sed quia & filius ex deo patre natus est: & spiritus sanctus ex deo patre procedit, quem potius eorum hic debeamus accipere dictū esse dilectionem deum, merito quaeritur. Pater enim solus ita deus est, vt non sit ex deo: ac per hoc dilectio quae ita deus est vt ex deo sit, aut filius est, aut spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum dei dilectionem commemorasset, non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, & misit filium suum liberatorem pro peccatis nostris, & hinc exhortatus esset, vt & nos inuicē diligamus, atque ita in nobis deus maneat, quia vtrique dilectionē deum dixerat, statim volens de hac re apertius aliquid eloqui: In hoc (inquit) cognoscimus quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in deo manere, & ipsum in nobis. Hoc autē facit dilectio, ipse est igitur deus dilectio. Denique paulopost cum hoc ipsum repetisset atque

1. Corin. 1.

1. Corin. 14.

Ioan. 15.

Psal. 34.

Matth. 11.

Matth. 22.

Lucæ 24.

1. Corin. 1.

1. Ioan. 4.

dixisset, Deus dilectio est, continuo subiecit, & qui manet in dilectione, in deo manet, & deus manet in eo. Vnde supra dixerat, in hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Ipse ergo significatur vbi legitur, Deus dilectio est. deus igitur spiritus sanctus qui procedit ex deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem dei & proximi, & ipse dilectio est. Non enim habet homo vnde deum diligat, nisi ex deo. Propter quod paulopost dicit: Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos. Apostolus quoque Paulus, Dilectio (inquit) dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Haec ille. Nec importune colliges ex hoc Pauli testimonio, Spiritum sanctum proprie dici charitatem quamuis id à Paulo suppressum sit. Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est, igitur haec charitas creata ab vberissimo totius charitatis fonte, scilicet à spiritu sancto dimanauit, & per consequens apposite & proprie spiritus sanctus dicitur charitas increata. Et in breuem epilogum redigam quae fusa & copiose ab Augustino de diuinis attributis edifferta sunt. Quemadmodum filius proprie censetur sapientia, licet pater sit sapientia, pariter & spiritus sanctus, comuni tamen appellatione: ita spiritus sanctus proprie nuncupatur charitas, quamuis vniuersali nomine pater sit charitas, etiam & filius: & spiritus sanctus est nexus atque vinculum, quo pater & filius inuicem se diligunt. Adde quod non minus attribuere possumus & accommodare spiritui sancto charitatem, quam patri attribuamus potentiam, tametsi filius sit potentia, pariter & spiritus sanctus: nec potentia patris maior est & praestantior potentia filij & spiritus sancti. Ex eo denique spiritus sanctus principaliter à patre procedit siue spiratur, quia pater dedit filio ipsum producendo, vt ab eo spiritus sanctus procederet. Hoc autem filius non contulit patri. His consentanea sunt quae dicunt Scholastici doctores, spiritum sanctum spirari à filio per patrem, ita quod pater dedit filio vim spiratiuam qua spirat spiritum sanctum. Nā dicit Christus: Omnia quaecunque habet pater, mea sunt, ostendens spiritum sanctum ad apostolos missum, de suo non nihil accepisse: non tamen spiratur spiritus sanctus à patre per filium, alioqui filius dedisset patri vt spiraret spiritum sanctum, quod est absurdum. quod si spiritus sanctus à solo patre procederet, non diceretur spiratus, sed genitus. Nam tota ratio quare filius est genitus, est, quia à solo patre per modum naturae procedit, agere ex tota sua virtute & necessitate naturae, & eodem modo se habente ad producendum vnum immediate. Sed spiritus sanctus procedit à patre & filio per modum voluntatis: & hic modus producendi potest fieri à pluribus agentibus eiusdem gradus & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfecte producendum: & quia spiritus sanctus procedit à duobus, scilicet à patre & filio, & aequae perfecte producit vnus sicut ambo, nec perfectius ambo quam alter, idcirco recta illorum est sententia qui dicunt spiritum sanctum spirari à patre & filio per modum voluntatis. Et licet pater & filius sint duae personae spirantes, tamen spirant quatenus vnum, quia habent vnam & eandem vim spiratiuam qua spirant spiritum sanctum. ¶ Vltimam assertionis partem suadeo: Pater & filius simul spirant spiritum sanctum, & eadem omnino virtute, igitur spiritus sanctus non posterius procedit à filio quam à patre. Item ex Augustino, Pater generando filium dedit ei vt ab eo procederet spiritus sanctus, igitur simul genitus est filius à patre, & ab vtroque spiritus sanctus processit. Adde quod libro decimoquinto de Trinitate, capite vigesimo sexto inquirens, An iam processerit de patre spiritus sanctus, quando natus est filius, an nondum processerit, ita scribit: Non possunt prorsus ista ibi quaeri, vbi nihil ex tempore inchoatur, vt consequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem filij de patre, intelligat sine tempore processionem spiritus sancti de vtroque. Et qui potest intelligere in eo quod ait filius: Sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso: non sine vita existenti iam

Roma. 5.

Ioan. 16.

filio vitam dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam pater filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae patris, qui dedit: intelligat sicut habet pater in semetipso, ut de illo procedat spiritus sanctus, sic dedisse filio ut de illo procedat idem spiritus sanctus, & utrumque sine tempore: atque ita dictum spiritum sanctum de patre procedere, ut intelligatur quod etiam procedit de filio, de patre esse & filio. Si enim quicquid habet de patre habet filius, de patre habet utriusque, ut de illo procedat spiritus sanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quae habent prius & posterius, quia omnino nulla ibi sunt. Quomodo ergo non absurdissime filius dicitur amborum, cum sicut filio praestat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturae de patre generatio, ita spiritui sancto praestet essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturae de utroque processio. Hac ibi.

Athanasius. Recte etiam nos commune facit Athanasius in suo Symbolo, ut firmissime credamus, in diuinis non esse prius neque posterius. Et licet sit ordo, eo quod est pluralitas personarum, alioqui esset confusio: non tamen hunc ordinem ita intelligere debes, ut vnum sit post aliud, alioqui esset in diuinis prius & posterius: sed quia vnum est ab alio, ut filius a patre: aut vnum a duabus personis, ut spiritus sanctus. Et hic ordo a quibusdam vocatur ordo originis, qui nullo modo includit prius & posterius, sed quod vnum (si velis) habeat ab alio originem, vel sit fons totius originis. Et hanc originem siue processionem in Euangelio Ioannis comperies. Siquidem Christus volens persuadere Iudaeis se esse missum a suo patre caelesti, dicebat: Ab ipso sum, & ipse me misit. & rursum: Si deus, pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex deo processi. Item, Exiui a patre. Et in illis locis ostenditur processio filij, quae cum sit a solo patre per modum naturae, vocatur generatio. De processione spiritus sancti scriptum est, Cum autem venerit paracletus (quem ego mittam vobis a patre) spiritus veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. iam tibi innotescit spiritum sanctum a patre procedere. Sed quod a filio procedat, indicat locus ille: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur: & quae ventura sunt, annuntiabit vobis. ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Cum dicit Christus, de meo accipiet, quia omnia quaecumque habet pater, mea sunt, plane docet spiritum sanctum non solum processisse a patre, sed etiam a filio. quandoquidem omnia quae patris sunt, praeter rationem paternitatis & innascibilitatis, sunt filij. idcirco pater generando filium, dedit ei vim spiratuiam, qua spiraret spiritum sanctum.

Damasceus. Quamobrem non recipimus quod dixit Damascenus libro primo suae Theologiae, capite vndecimo: Spiritum sanctum ex patre, & spiritum patris nominamus. Ex filio autem spiritum sanctum non dicimus, sed spiritum filij nominamus. Sed condonanda est venia Damasceno, eo quod tempus antecesserit, quo spiritus sancti processionem ex patre filioque credendam Ecclesia catholica expresse determinavit, & huius est iudicij Clithoucus, in enarratione illius capituli. fatentur ingenue Athanasius, Didymus & Chrysostomus, spiritum sanctum a patre & filio processisse. Et in Symbolo Niceno, idem catholica confitetur Ecclesia. Nec me pigebit ex sacris literis ostendere, spiritum sanctum dici spiritum patris & filij. Apud Mattheum legimus quod dicebat Christus suis discipulis: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et ad Galatas dicit apostolus: Quoniam autem estis filij, misit deus spiritum filij sui in corda vestra. Sciscitabitur quispiam, an pater & filius sint vnum principium spiritus sancti, non enim dici possunt duo principia spiritus sancti, alioqui non spirarent vna & eadem vi spiratua. dicit Augustinus libro quinto de Trinitate, capite decimoquarto, patrem & filium esse vnum principium spiritus sancti, & hac ratione ad id suadendum nititur: Si ergo & quod datur, principium habet eum a quo datur, quia non

aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est patrem & filium, principium esse spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut pater & filius vnus deus, & ad creaturam relatiue vnus creator & vnus dominus, sic relatiue ad spiritum sanctum vnum principium. Ad creaturam verò pater & filius & spiritus sanctus, vnum principium, sicut vnus creator, & vnus dominus. ¶ Rursum inquires, an spiritus sanctus prius erat donum quam daretur. Idem Augustinus in eodem libro, capite 15. hanc diluit quaestionem, dicens: An semper procedit spiritus sanctus, & non ex tempore, sed ab aeternitate procedit? Sed quia sic procedebat ut esset donabile, iam donum erat, & antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse & antequam deretur, donatum autem nisi datum fuerit, nullo modo dici potest. Et capite decimoquarto, asserit spiritum sanctum quatenus donatum, referri ad eum qui dedit, & ad eos quibus dedit. quatenus igitur donum, duntaxat est patris & filij: sed quatenus donatus, est patris & filij, qui dederunt, & etiam noster, qui accepimus. ¶ Mouent nonnulli scrupulum, an spiritus sanctus a filio distingueretur, si ab eo non procederet: & quod ita sit dicendum, suadent, Persona diuina a quavis alia distinguitur sua proprietate personali, sed in spiritu sancto est spiratio passiva, proprietate quidem personalis, in filio verò filiatio siue generatio passiva: igitur si spiritus sanctus non procederet a filio, ab eodem distingueretur. Non deunt tamen validissime rationes ad probandum partem oppositam. Principia formalia distinguendi personas diuinas, sunt relationes oppositae, eo quod natura & essentia personae diuinae distingui non possunt. Sed filiatio & spiratio passiva non sunt relationes oppositae, ut omnibus exploratum euadit: non enim filiatio opponitur spirationi passivae, sed paternitati, & spiratio passiva, spirationi actiuae: igitur filiatio & spiratio passiva non sunt principia formalia distinguendi filium & spiritum sanctum, & per consequens, si spiritus sanctus a filio non procederet, ab eodem minime distingueretur. Adde quod spiratio actiua est essentialis & intrinseca filio, nam ex aduerso, ei extrinsece adueniret tanquam accidens subiecto, quod non est dicendum. Tunc sic argumentor, spiratio actiua est intrinseca filio, ergo sine illa filius non potest esse: ergo si spiritus sanctus non procederet a filio, filius non esset, & per consequens ab eodem non distingueretur. Ad haec, vis spiratua est eadem & communis patri & filio: quod si patri, vis illa sit intrinseca, erit & filio. Tum etiam, si generatio passiva & spiratio passiva sufficiant ad distinguendum filium & spiritum sanctum, generatio actiua & spiratio actiua sufficienter distinguere patrem in duo supposita, quod est absurdum: & consequentiam facile probabo, qualis est oppositio inter generationem passiuam & spirationem passiuam, talis est oppositio & repugnantia inter generationem actiuam & spirationem actiuam: igitur si generatio passiva & spiratio passiva sint principia formalia distinguendi duas personas, etiam generatio actiua & spiratio actiua. Nec eò confugere potes, dicendo quod spiratio actiua & generatio actiua reperiuntur in eodem supposito, non autem generatio passiva & spiratio passiva. Nam scopus totius quaestionis est, An huiusmodi relationes disparatae & non oppositae, sint rationes formales distinguendi personas. Nescio etiam quid illi comminiscantur dicentes, spiritum sanctum distingui a filio si ab eodem non procederet, cum spiritus sanctus nihilo differret a filio, si a solo patre procederet, nec diceretur spiratus, sed genitus. Scholastici doctores problematicam hanc habent quaestionem. Dico ego impossibile esse spiritum sanctum distingui a filio si ab eodem non procederet, etiam admittendo hypothese[m] impossibilem, quod spiritus sanctus non emanaret a filio, sed a solo spiritu sancto: eo quod rationes formales distinguendi personas diuinas, sunt relationes oppositae. Et argumentum propositum diluemus, cuius summa haec est: Persona diuina a quavis alia distinguitur sua proprietate personali, id verum non est, nisi illa proprietate alteri sit opposita relatiue: modo filiatio siue generatio passiva, non opponitur

relatiue spirationi passiuæ, sed paternitati aut generationi actiuæ.

CAPVT II.

Sibylla Erythræa quædam de Christo manifesta conscripsit. Hæc Augustiniana est Afferrio, libro decimo octauo de Ciuitate dei, capite vigesimo tertio. Hoc enim de Christo vaticinata est, *ἡ σοφὴ χριστὸς θεὸς ἰδὸς σωτῆρ,* id est Iesus Christus, dei filius saluator. Et longe plura de abstrusissimis Christi mysterijs cecinit, cuius carmina latinitate donata, sunt hæc:

Judicij signum, tellus sudore madescet,
 E cælo rex adueniet, per seclâ futurus:
 Scilicet in carnem, præsens vt iudicet orbem,
 Vnde deum cernent incredulus atque fidelis
 Celsum cum sanctis, æui iam termino in ipso,
 Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicet ipse,
 Cum iacet in culcus densis in vepribus orbis,
 Reijcient simulachra viri, cunctam quoque gazam,
 Exuret terras ignis, pontumque polumque.
 Inquirens tetri portas effringet Auerni.
 Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
 Tradetur, fontes æternæque flamma cremabit,
 Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
 Secreta, atque deus referabit pectora luci.
 Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
 Eripitur solis iubar, & chorus intrerit astris,
 Soluetur cælum, lunaris splendor obibit,
 Deijciet colles, valles extollet ab imo,
 Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
 Iam æquantur campis montes, & cerula ponti
 Omnia cessabunt, tellus confracta peribit,
 Sic pariter fontes torrentur fluminæque igni,
 Et tuba tunc sonitum tristem demitter ab alto
 Orbe gemens facinus miserum, variis que labores,
 Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens,
 Et coram hic domino reges sistentur ad vnum,
 Decidet è cælis, ignis que & sulphuris amnis.
 His sacris carminibus prædixit Sibylla Erythræa, diuino quodam numine afflata, extremum iudicium: in quo Christus iudicabit viuos & mortuos, bonis eternū daturus præmium, malis verò & improbis perpetuam pœnam irrogaturus. Tunc decider cælum & immutabitur, conflagrabit elementa, terra dehiscens, malorum vltrix, tartareum chaos & horrenda supplicia manifestabit. Mire cohærent hæc carmina & vaticinia ijs quæ Matthæi vigesimo quarto capite, de secundo Christi aduentu comemorantur. Hæc denique Sibylla (quam quidam Cumanam esse credunt, vt refert idem Augustinus in eodem loco) nihil habet in suis carminibus, quod ad deorum falsorum, siue fictorum cultum pertineat, quinimo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad ciuitatem dei. Et in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, capite decimo sexto, dicit quosdam versus Sibyllinos aperitissime Christi passionem demonstrasse. Et huiusmodi sunt, In manus iniquas, & infidelium postea veniet. Dabunt deo alapas manibus incestis. Et oribus immundis expuent saliuas venenosas. Dabit autē in verbera omnino innocens dorsum, Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur. Et coronam portabit spineam. In cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, Inhospitalitatis hanc monstrabant mensam: Ipsa enim stulta,

deum tuum non cognouisti, ludentem mortalibus mentibus, sed & spinis coronasti corona, horridumque fel miscuisti. Templi verò velum scindetur & die media nox tenebrosa nimis tribus horis. Et mortis fatum finiet trium dierum somno suscepto. Et nunc à mortuis regressus in lucem venit, primus resurrectionis initium reuocatus ostendit. Et ne falso putes quæ à Sibyllis prædicta sunt, esse commentitia, & meris nugis vaniora, adferam quæ luculenter scripsit Lactantius, vir siquidem omni genere doctrinæ instructissimus, de Sibyllarum commendatione, libro primo de Falsa religione, capite sexto, vbi refert M. Varronem (quo nemo vnquam doctior extitit) dixisse omnes scæminas vates, Sibyllas à veteribus nuncupatas esse, vel ab vnus Delphidis nomine, vel à consilijs deorum denuntiandis. *σίουρ* enim deos, non *θεός*, & consilium non *βούλη*, sed *βουλῆ* appellabant Aeolico genere sermonis, itaque Sibyllam dictam esse quasi *θεοβουλή*. Cæterum Sibyllas decem numero fuisse, easque omnes enumeravit sub authoribus, qui de singulis scripturarunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexadri Macedonis scripsit. Secundam Libycam, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de diuinatione composuit. Quartam Cumanam, in Italia, quam Neuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem, eamque Graijs Ilium petentibus vaticinam & perituram esse Troiam, & Homerum mædacia scripturum. Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amaltheam, quæ ab alijs Demophile, vel Herophile nominatur, eamque nouem libros attulisse ad regem Tarquinium priscum, ac pro eis trecentos philippeos postulasse, regemque aspernatum pretij magnitudinem, & derisisse mulieris infaniam, illam in conspectu regis tres combuisset, ac pro reliquis idem pretium postulasse. Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. Quæ denuo tribus alijs exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse, quorum postea numerus sit auctus, capitolio resecto quod ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Graecis, & præcipue Erythræis coacti allatique sunt Romam, cuiuscunque Sibyllæ nomine fuerat. Octauam Helleponticam in agro Troiano natam vico Marpeffo, circa oppidum Gergithiū, quam scribit Heraclides Ponicus, Solonis & Cyri fuisse temporibus. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyra. Decimam Tyburtem, nomine Albuncam, quæ Tyburi colitur vt dea, iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inuentum esse dicitur, tenens in manu librum. Cuius sacra fenatus in capitolium transtulerit. Harum omnium, Sibyllarum carmina, & feruntur & habentur præterquam Cumanæ, cuius libri à Romanis occultantur, nec eos ab vilo nisi quidecim viris inspicere fas est. Et sunt singularum singuli libri, qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, vnus esse creduntur, suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest, præter Erythrææ, quæ & nomen suū carmini verum inseruit, & Erythræam se nominatam iri prælocuta est, cum esset orra Babylonæ, sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum deum prædicant, maxime tamen Erythræa, quæ celebrior inter ceteras ac nobilior habetur. Siquidē Fenestella diligentissimus scriptor de quidecim viris dicens, ait restituto capitolio retulisse ad Senatam C. Curionem consulem, vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ cõquisita Romam deportarent. Itaque missos esse P. Cabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui descriptos à priuatis versus circa mille, Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronē. In his ergo versibus quos legati Romam attulerunt, de vno deo hæc sunt testimonia, *ἓς θεός, ὅς μόνος ἔστιν ἀποθνήσκων*, id est vnus deus qui solus principatur, isque amplissimus increatus. Hunc esse solum deum summum qui cælū fecerit, luminibusque distinxerit, & λ&

Lactantius.

θεός μόνος ἔστι πάντων κτλ. id est, sed solus deus vnus eminentissimus, qui fecit caelum solémque & stellásque, fructiferámque terrá, & aquę maris fluctus. Qui quoniá solus sit ædificator mundi, & artifex rerum, vel quæ in eo sunt solum coli oportere testatur, κεντὸν τὸν μόνον ἔντα σέβει ἡ γένεσις κόσμου, ὁ μόνος ἔστι αἰῶνα κτλ. ἔξ αἰῶνος ἔτυχε. Id est ipsum qui solus est colito principem mundi, qui solus est in seculo atque à seculo factus. Item alia Sibylla quæcunque est, cum perferre se ad homines dei vocem diceret, sic ait, ἔγώ μόνος εἰμι θεός, καὶ οὐκ ἔστι θεός ἕτερος, id est solus enim deus sum, & non alius. Agit idem author de Sibyllinis oraculis libro quarto, de vera sapientia, capite decimoquinto, & decimo octauo.

C A P V T III.

Sara typus rerum spiritalium, ad Pharaonem introducta excusatur, nec fuit polluta.] Priorem huiusce Assertionis partē ex Augustino desumpsimus, in Epistola ad Vincentium, de vi corrigendis hereticis, vbi dicit: Nō ignoras quōd iste duę mulieres Sara & Agar, & duo filij earum Isaac & Ismael, pro spiritalibus & carnalibus figurētur. Et cum legamus ancillam & filium eius à Sara passos graues molestias, Paulus tamen apostolus dicit, quōd ab Ismaele persecutionem sit passus Isaac. Sed sicut tunc, inquit, ille qui erat secundum carnem, persequebatur eum qui erat secundum spiritum: ita & nunc, vt qui possunt intelligant, magis Ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia, & impierate carnalium, quos temporalibus molestijs atque terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera & legitima mater, etiam si asperum amarūmq; sentiat, non malum pro malo reddit, sed bonum discipline expellendo malum iniquitatis, apponit: non odio nocendi, sed dilectione sanandi. Hæc ibi. Sara & Isaac res spiritalis figurantur, Agar verò & Ismaele, carnales. Et in Epistola ad Bonifacium, de moderate coercendis hereticis, dicit: Si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem paritur, nō quæ facit, querant ab apostolo quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ: liberam quippe matrem nostrā cælestem Hierusalem, id est veram dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autē melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm illam Sara coercendo. illa enim dominæ faciebat iniuriam, ista imponebat superbię disciplinam. Tum etiam libro vno expositionis Epistolę ad Galatas, de hac re scribēs ita ait: Cælestem Hierusalem Sara significat, quę diu deserta est à concubitu viri propter cognitam sterilitatem. Non enim tales homines qualis erat Abraham ad explendam libidinem vrebatur foeminis, sed ad successionem prolis. Et huic accedit sententiæ Hieronymus, enarrans illum Pauli locum ad Galatas: Hæc enim sunt duo testamēta, vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar: Penē (inquit) cunctorum super hoc loco ista est explanatio, vt Agar ancillā, interpretentur in lege, & in populo Iudeorum, Saram autem liberam in Ecclesia, quæ de gētib; congregata est, quæ mater sanctorū sit, Paulo dicēte, Quæ est mater omnium nostrum. Hæc diu non peperit antequam Christus de virgine nasceretur, & sterilis fuit, necdum risu mūdi Isaac de electo patre cum voce sublimium dogmatum resonante. ¶ Secundam assertionis partem ex sacris doctoribus approbabit. Antequam tamē quid de hac re sentiant, proferamus, contextum Genesios nobis fauentem excutere conabimur. Descendit Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi. Preualuerat enim fames. Cumq; prope esset vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori suę: Noui quōd pulchra sis mulier, & quōd cū viderint te Aegyptij, dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo obsecro te, quōd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tuam. Cūq; ita ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierē quōd esset pulchra nimis. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum,

Augustinus

Galat. 4. Gen. 21.

Hieronymus Galat. 4.

Gen. 12.

Et sublata est mulier in domum Pharaonis, Abram verò bene vsi sunt propter illam, fueruntq; ei oues & boues, & asini & serui & familie, & asinę & cameli. flagellauit autē dominus Pharaonem plagis maximis, & domū eius, propter Sarai vxorem Abram. Vocauitque Pharaon Abram, & dixit ei: Quisnam est hoc quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quōd vxor tua esset? quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce vxor tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharaon super Abram viris, & deduxerunt eum, & vxorem eius, & omnia quæ habebat. Hæc contextus continet, ex quo animaduertimus magnam ipsius Abraham prudentiam, qui cum inedia & vrgenti fame pressus ingrederetur Aegyptum, finxit Sarā, esse suam sororem, vt mortis pericula declinaret, nec Sara insigni modestia & compositis affectibus commendata negauit se esse sororem Abraham: quam cum deperiret Pharaon fictionis nescius, eiúsque pulchritudine frui vellet, obstitit dominus, & multis ac acerrimis plagis, Pharaonem ad violadā Saræ pudicitiam paratissimum, affecit. Hieronymus illam edisserens historiam, in questionibus Hebraicis, dicit: Licet corpus sanctarum mulierum, non vis maculet, sed voluntas, & excusari possit Sarai, quōd famis tempore, sola regi in peregrinis locis marito conuiuente, resistere nequiuert, tamen potest & aliter foeda necessitas excusari, quōd iuxta librum Hester, quæcunque mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus vngebatur oleo myrrino, & sex mensibus in pigmentis varijs erat, & curationibus foeminarum, & tunc demū ingrediebatur ad regem. Atque ita potest fieri, vt Sarai postquam placuerat regi, dum per annū, eius ad regem preparatur introitus, & Abraham Pharaon multa donauerit, & Pharaon postea sit percussus à domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente. In hanc quoque descendit sententiam Augustinus libro vigesimo secundo, contra Faustum Manichæum, capite trigesimo tertio, dicens: Neque enim Abraham flagitio consensit vxoris, eiúsque vedit adulterium: sed sicut illa famulam suam non libidini mariti permisit, sed officio generandi vltro intulit, nequaquam turbato ordine naturali, vbi eius potestas erat, iubens potius obediens, quàm cedens concupiscenti: sic & ipse coniugem castam, & casto corde sibi coherentē, de cuius animo vbi pudicitie virtus habitabat, nullo modo dubitabat, racuit vxorem, dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis atque impijs capriua possideretur, certus de deo suo, quōd nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit. nam Pharaon territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem diuinitus didicit, illam cum honore restituit. Eadem penē refert in libro questionum super Genesim, quæstione 26. inquirendo, quomodo accipiat quōd Abraham veniens in Aegyptum, celare voluit vxorem suam esse Saram, secundum omnia quæ de hac re scripta sunt, vtrum hoc conuenerit tam sancto viro, an sub defectione fidei eius intelligatur, sicut nonnulli arbitrati sunt: Iam quidem contra Faustum de hac re disputauimus, & diligentius à presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit cōsequens, vt cum aliquot dies apud regem Aegypti Sara fuerit, etiam eius concubitu credatur esse polluta. quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas, & nisi fomentis & vnguentis diu prius accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharaon manu dei, vt viro reddi iuberet intactam, quam ipsi deo maritus comiserat, tacens quōd vxor esset, & non mentiens quōd soror esset, vt caueret quod cauere quantum homo poterat, & deo commendaret, quod cauere nō poterat: ne si & illa quod cauere poterat, deo tantum dimitteret, non in deum credere, sed deum tentare potius inueniretur. Et libro vno de octo Dulcitiij questionibus, quæstione septima, paulò aperius hæc aperit mysteria, dicens: Pharaon accepit Saram quidem vxorem, continuoque ditatus est Abraham multis Aegyptiorum muneribus propter illam: sed non scriptum est, quōd cum ea Pharaon dormierit, ei que permixtus sit: quoniam deus eum multis magnisque

Hieronymus

Hester

Augustinus

cladibus affligendo id facere non permittit. Non enim placitæ regibus ad coniugium foemine, mox etiam carne copulabatur. Sed sicut legimus in libro qui prenotatur Hester, per aliquot menses, imò per totum annum, vnguentis, pigmentis, & aromatibus accurabantur earum corpora, prius quam corpori regio misceretur. Hoc ergo spatio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharaon cõrritus & exterritus, marito restitueret vxorẽ. Idem dicit libro decimosexto, de Ciuitate dei, capite decimonono, vbi ira concludit: Absit vt credamus Sarã alieno concubitu fuisse pollutam, quia multo est credibilis, hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permittum. Videtur tamẽ omnino Chrysofomus homilia trigesima secunda, in Genesim, ab Augustini sententia dissidere, Multus, inquit, erat timor propter insaniam Aegyptiacam, & quia nondum mortis erat soluta tyrãnis, propterea in adulterium vxoris consentit iustus, & quasi seruit adulterio, in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat. Erat adhuc terribilis facies mortis, nondum erant arca portæ contractæ, nõdum erat aculeus eius hebetatus: sed hac suppressa opinione, existimo adhærendum esse sententiæ Augustini. Erenim maluisset Abraham vir ipsa iustitia iustior, potius honestam oppetere mortem, quam flagitio suæ vxoris consentire, eamque in nephandum adulterium pellicere. Adde quòd certus erat deum non permisisse Saram eximio continentia flore decoratam, turpissimum adulterij scelus perpetrasse. Tum etiã antequam vxores ingrederentur ad regem Aegyptiorum, sex mensibus vnguebantur oleo myrtino, & sex alijs mensibus accurabantur pigmentis & aromatibus, & prius quam fluxisset annus, Pharaon dimiserat Saram illam & intactam, nullaque libidine foedatam. Nescio tamen si nam Chrysofomus velit dicere, Abraham paratum fuisse, in adulterium suæ vxoris consentire, vt corporalem mortem deitasset, nisi diuinum obtitisset subsidium, quod tamen non crediderim. Nam fortis & constans, mallet mori, quam nephando flagitio consentire. Quod autem dicit Chrysofomus in fine illius historie, Saram seruata castitate sua, intactam domum Pharaonis egressam esse, communi aliorum doctorum iudicio consentaneum est. Cyrilus in quodam dialogo de Adoratione in spiritu sancto, dicit: Cũ iusto Abraham omnis spes adempta esset, nihilque omnino haberet quod ageret, mediator affuit deus, & vxorem ab Aegyptiorum libidine eripuit. Corripuit enim dominus Pharaonem cruciatibus magnis & terribilibus, domumque eius, propter Saram vxorem Abraham, dimittebantque iusto vxorem absque contumelia. Adde quòd Lyranus exponens illud Genesios: Dic ergo obsecro te quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, suffragatur Augustino: Sed queritur (inquit) quomodo Abram homo tantæ perfectionis per tale mendacium exposuit vxorem suam periculo adulterij, quia vt videtur magis debuisset eligere mori. Ad hoc dicendum quòd homo in periculo positus, semper debet agere ad sui liberationem id quod potest secundum viam humanam, vt non tenter, deum omittendo illud per quod potest euitare periculum quantum potest. & quando nihil potest ultra, tunc absque tentatione dei potest residuum committere dispositioni diuine. Abrã autem in terra Chanaam, habebat familiam magnam, nec habebat bona temporalia, vt panem & vinum & similia, vnde posset eam sustentare cum esset ibi peregrinus, nec habebat magnã pecuniam, vnde posset victualia emere: & si haberet, incolæ illius non ei venderent, cum essent in tanta fame positi quòd vix haberet victualia pro seipsis & familia propria, & ideo si mansisset Abraham in terra illa, statim imminerat ei eiusque familie periculum mortis propter famem, & ideo illi periculo debuit primo occurrere, quod & fecit descendendo in Aegyptum, quæ erat terra fertilis. Periculum autem castitatis suæ vxoris nõ erat ita propinquum, quia probabiliter existimabat, quod sua vxor reseruaretur regi propter sui pulchritudinem, sicut & factum est. sciebat enim quòd tempore illo reges nõ accederent ad vxores suas de nouo acceptas, nisi post anni circulum, sicut habetur Hester 2. & infra

Chrysofomus.

Cyrillus.

Lyranus.

tantum tempus sperabat dei adiutorium sibi sueque vxori & toti familiae affuturum. Dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis. non docuit eam mēiri, sed veritatem occultare caute. mulieres enim & viri de eadem natione propinqua, fratres & sorores nominabatur. vnde in capite sequenti Abram vocauit Loth nepotem suum fratrem, dicens: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores tuos & pastores meos, fratres enim sumus. Gene. 13.

CAPVT

IIII.

S Amuel non fuit sacerdos.] Hæc Augustiniana est Assertio, in libro questionum veteris & noui Testamenti, questione quadragesima sexta, vbi hunc mouet scrupulum Augustinus: Vtrũ Samuel fuerit de filijs Aaron, & vtrum sacerdos fuisse existimandus sit: quem in hunc modum dissoluit, Sunt quidam inter nos, qui partim negotijs secularibus occupati, partim minus studiosi circa scripturas sacras errorem patiuntur, putantes Samuelem sacerdotem fuisse, id est, ex Aaron habere originem, ex cuius progenie constituit dominus deus nasci, non fieri sacerdotes. Nec alicui præter filios eius concessum est, vt poneret in altare incensum. Ex quibus aliqui plus errantes, negant quidem Samuelem de genere fuisse Aaron, hoc est non illum dicunt natum sacerdotem, & nihilominus sacerdotio illum asserunt functum. Quibus prius respondendum est. Peius enim est negare Samuelem natum fuisse sacerdotem, & tamẽ asserere illum functum esse sacerdotio, quam dicere sacerdotem illum fuisse ex filijs Aaron. Hic enim ignorantia est, illic stultitia. Cũ enim dicunt, qui illum putant natum sacerdotem ex filijs Aaron nõ esse, manifestum habebunt non illũ fuisse sacerdotem, ignari, quia non licuit agere alicui sacerdotiũ, nisi ei qui esset ex semine Aaron. Compertũ enim habent, manifestum enim est, quòd Chore cum nõ esset ex filijs Aaron, & voluisset super altare imponere incensum, hiatu terræ absorptus est cũ socijs suis, Et Ozias rex cum non vtiq̃ue esset ex semine Aaron, sed ex tribu Iuda, & præsumpsisset agere sacerdotiũ, stans ante altare, percussus lepra in fronte est, & sic expirauit. Illi autem qui dicunt Samuelem non natũ esse sacerdotem, & nihilominus egisse illum asserunt sacerdotium, satis stultum est quod dicunt, & stulto suadere quòd bonũ est, laboris est maximi. Quarta enim hebetudine ducuntur, vt sole apparatus super terram dicant, quia nox est? Cum enim legant, & non vno loco legant, hoc à deo esse decretum, vt nemo auderet sacerdotium agere præter Aaron & filios eius, obstinata mente contendunt, sacerdotem fuisse Samuelem. non enim intelligunt, quia si natus sacerdos non est Samuel, & sacerdotium egit, præsumptor dicitur. quia hoc deus statuit, vt nascerentur, non fierent sacerdotes, & de Samuele hoc sentire puto tutum nõ esse. Quomodo enim posset fieri, vt vir laudabilis, & dei testimonio commẽdatus hoc ageret, quod inconcessum sciebat? Cuius etiam præsumptionis vindictã pro certo habebat Samuel, & iterum factã. neque enim dei iudicio potuit ad hoc aspirare, quem immutabile sciebat, à quo si forte hoc audisset, tentari se potius credidisset, sciendo deum nullo modo sententiam suam posse rescindere. Posset enim magis sub dei apparatus & nomine, id agi secum credere, vt circunueniretur à parte aduersa, quam iudicium suum, deum posse mutare. Denique cum Balaam prohibitus fuisset à deo, ne iret ad Balaam, & postea iterum requisisset, an iret, indignatus ei deus, ex ore asine corripuit eum, quia prohibentem angelum videns asina, ceptum iter implere volebat. Balaam verò, prohibete deo ne iret, iterum interrogans, an ire illũ vellet, sic de deo quasi de homine iudicauit, qui per id quod imprẽscius est, varius & mutabilis est. Sed Balaam nullo diuino testimonio commendatur, erat enim hariolus: Samuel autem vir deo charus, & iudiciorum eius sciens fixam esse sententiam, quomodo aliud fieri crederet, quam sciebat à deo esse constitutum? Sed Heli, inquit, mortuo, & filijs eius sacerdotibus, Samuel coepit agere sacerdotiũ, quod nec lectio docet, nec ratio admittit. Hoc enim dicentes, nullum putant tunc fuisse, qui ageret

Augustinus

Numeri 16.

2. Paral. 26.

4. Regũ 15.

Exodi 29.

& 40.

Numeri 22.

1. Regũ 4.

y. j.

sacrificium siue sacerdotiū, vt his tribus mortuis, nisi Samuel populi munera obtulisset, sacerdotiū agi desisset, quæ asseueratio dei est inimica. His enim deus improuidus iudicatur, quasi nescius, cum id statuit, quod permanere non possit. Vt quid enim nullis alijs quàm filijs Aaron sacerdotium agere vsque in seculum statuit, hoc est, vsque ad tempora aduentus Christi, si hoc deficere sciebat? Si autem nesciuit, quod absit, improuidus fuit, & ideo fieri potuit, vt nec Samuel fuerit illis deficientibus sacerdos. Si autem prouidus & præscijs deus est, permansit quod statuit: & si permansit quod statuit, Samuel non egit sacerdotium, qui dei non erat sacerdos. in veteri enim lege nasci decreuit deus sacerdotes, in noua verò, fieri dominus iussit sacerdotes. Eligant nunc vnum de duobus, aut natum probent Samuelem sacerdotem, aut factum. Sed consentiunt non illum natum esse sacerdotem, quia sciūt illum non esse ex filijs Aaron. Si ergo natus non est sacerdos Samuel, factus autem non legitur, nec probatur, quia nec statuerat deus fieri sacerdotes, in absoluto est Samuelem minime fuisse sacerdotem. Sed contradictores clausis oculis, si sacerdos (inquiunt) nō fuit, vicem tamen egit sacerdotis, quoniam legitur deo sacrificium obtulisse. Quis audeat negare quod scriptum probatur. Obrulit enim deo sacrificium Samuel, sed non inde vicem sacerdotis egisse cognoscitur. Ipse enim semper dicitur offerre, cuius oblationes sunt, quas super altare imponit sacerdos. & Saul obtulit hoc vtique genere, id est per sacerdotem, sicut & nunc offertur, & Dauid obtulit, & Salomon obtulit, & cæteri similiter obtulerunt, nunquid omnes vicem sacerdotis egerunt? Quamuis enim proprio sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cuius nomine agit sacerdos: ipse enim imputatur, cuius munera offeruntur. Et qui non fuit sacerdos, quomodo vicem agere poterat sacerdotis? Nunquid diaconus potest vicem gerere sacerdotis? Præfectus etenim potest agere vicem præfecti, & prætor pratoris: non tamen priuatus potest agere vicem potestatis alicuius: quanto magis sacerdotis vicem agere nō potest, qui non est sacerdos? Quo enim cōsilio ad hoc aspirare audeat, quod sibi scit non licere? Nam si sacerdos alicubi desit, potest alterius loci sacerdos rogatus venire, & vicem eius agere: non tamen propheta, quāuis sanctę vitę sit, agere potest quod scit sibi minime esse cōcessum. Aliud est enim bene viuere, & aliud potestatem alicuius officij accipere. Sicut enim qui sacerdos est, non ex eo vitam suam cōmendatam putare debet: ita & qui sanctę conuersationis & vitę est, non iam ex eo sibi sacerdotiū vendicare debet. Quāuis enim bonū sit sacerdotiū, tamen malū erit ei, cui concessum non est, & præsumit. Nam si respiciamus quod scriptum est de sancto Samuele, videbimus quale testimoniū de ei scriptura, dicens: Et innotuit (inquit) omni populo, quoniam fidelis est Samuel propheta domino. Et in psalmo, Fiāt, inquit, Moyſes & Aaron in sacerdotes eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Quis non aduertat ex hac distinctione diuisas esse personas dignitatū causa, vt Moyſes & Aaron sacerdotalem dignitatē adepti nō scantur: Samuel verò inter prophetas deo dignus extitisse habeatur, qui precibus deum inuocabant, ad protegendum populum suum? sicut legitur. Intātum autem sacerdotes minime defuisse probantur, vt reuocata arca ab allophylis baiulis leuitis viris Bethsamitis obtulerunt deo sacrificia absente Samuele. Rege autem facto Saule, Achimaas erat pronepos Heli sacerdotis, qui portabat Ephor. Sed hinc, inquiunt, videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephor. Quasi non hodie diaconi Dalmaticis induantur, sicut episcopi. Ephor autem etiam Dauid legitur fuisse indutū, & duplicem Ephor. Samuel autem adhuc puerulus, succinctus erat Ephor: nunquid puerulus potuit deo munera populi offerre? Vides ergo quia Ephor, vnum quidem nomen est, sed non vnam rem semper significat. Sacerdotes enim portabant, non vestiebantur Ephor: reges verò, & leuita Samuel, induebantur Ephor. Aliquando ergo vestis, aliquando quasi armariolū quod portabant sacerdotes ad interrogandū dominum, significatur Ephor. Quātum apparet pro-

1. Regū 7.

1. Reg. 15.

2. Regū 6.

3. Regum 3.

1. Regum 3.

Psal. 98.

2. Regū 6.

batur est Samuelem non sacerdotem, sed prophetam fuisse. Nunc his respondemus, qui ignorantes quia Samuel non est de filijs Aaron sacerdotis, æstimant illū sacerdotē fuisse: nec enim fas erat, vt de origine Aaron descendens, sacerdos non esset. Quos primum volo cognoscere, quia si sacerdos erat Samuel, sine dubio & Helcana pater eius, sacerdos fuit. Congruum quoque fuerat, & filios eius sacerdotes fuisse: quos, quia sacerdotes non erant, iudices illos constituit filijs Israel, sicuti & idem ipse erat Samuel. Sic enim legimus, quia iudicauit filios Israel. Helcana autem pater Samuelis, propter quod sacerdos nō erat, ascendebat (inquit) in diebus statutis, de ciuitate sua Ramathaim adorare & sacrificare deo omnipotēri Sa baoth, & ibi erat Heli, & duo filij eius Ophni & Phinees sacerdotes domini. Quid tam apertum, quia veniebat Helcana offerre munera sua ante dominum per sacerdotes tempore competenti, secundum quod statuerat Moyſes, vt tribus temporibus anni offerret munera, & decimas suas, vbi fuisset arca domini & sacerdotes? quippe & cum duas vxores habuit tempore vno, quod illicitum est sacerdotibus: erat enim Helcana ex Leuitis, sicut generationū ordo se continet in libro Paralipomenon. Adhuc enim Leuitę non erant habentes ordinem constitutū ministerij circa sacerdotes & arcā domini. Dauid enim in regno suo disposuit vices sacerdotibus & Leuitis, vt à viginti annis & supra: in lege autē viginti quinque annis & supra, inciperent exhibere seruitia dominicis ceremonijs, vt essent de filijs Aarō, id est de Phinees & Thamar traduce classes sacerdotū viginti quatuor, quę vices suas agerent certis tēporibus. Leuitę autem constituti sunt, qui erant tabernaculi iamiores, & qui baiuli arcę domini, & qui excubias seruarent, & qui vasorū essent custodes, & qui promiscuas susciperēt oblationes. Et viginti quatuor classes institutę sunt cantantiū, & citharizantium, & musicorū ceterorum, ita vt etiā hi, id est omnes leuitę haberent temporū vices, quia necesse erat eos & oriū habere, vt & domorū suarum agerent curam. Et non solū hęc proficiunt ad causam suam predictam, quoniam Samuel non fuit de filijs Aaron, sed & illud quod dicit mater eius ad dominū: Quia si mihi (inquit) dederis filium, commodo eum domino omnibus diebus vitę suę: non hoc diceret, si natus esset sacerdos, oportebat enim illū seruire altari: sed quia leuita erat, & lex leuitis adhuc nō erat posita, sed vnusquisque pro voluntatē sua agebat, ita vt oberrantes illicita præsumerent, Ionatha enim filius filij Moyſi, cū inter leuitas deputatus esset, sacerdotiū agere præsumpsit. Ac per hoc legimus in libro Iudicum: Quia vnusquisque (inquit) placita sibi faciebat, eo quod nō esset rex in Israel. idcirco nouit Anna dicens: Comodo eum domino, ne cum cæteris oberraret. Et vt plenius quæstio discuti possit, etiam illud tractemus quod dictū est de Helcana, quia veniebat ex diebus in dies offerre munera sua & decimas. quomodo decimas offerebat, qui nihil possidebat? Leuitę enim non acceperunt agros, quia de decimis, quæ à plebe dabantur, victum querebant. Sed potest fieri, & sic datur intelligi, quia potuit habere possessionem vxoris suę aut emptam, quia de alijs tribubus accipiebant vxores, non solū hi, sed & cæteri, ita vt & sacerdotes acciperēt de alijs tribubus vxores. Nā Ioiade sacerdos magnus, vxorem duxit de tribu Iuda, filiā regis Ioram. Videtur tamē Augustinus secum pugnare. Nam libro 17. de Ciuitate dei, capite 4. dicit: Heli sacerdote reprobato, substitutus est in dei ministerium Samuel, simul officio functus sacerdotis & iudicis. Sed vt arbitror, id ab Augustino dictum putes, quia deo offerebat sacrificium, non tamen quod ex se id muneris obiret quod & sacerdos obibat. Dixerat etiam Augustinus, cap. 5. eiusdem libri, Samuelem non esse de filijs Aarō, sed retractauit lib. 2. Retractionū, ca. 43. vbi eundem librū proferendo, dicit: Quod dictū est de Samuele, Nō erat de filijs Aaron, dicendū potius fuit, non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotū defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit. Nā in filijs Aaron, reperitur pater Samuelis, sed sacerdos nō fuit, nec ita in filijs, vt eum ipse, genuerit Aarō, sed sicut omnes illius populi dicuntur filij Israel.

y. ij.

1. Paral. 23.

1. Paral. 24.

1. Regum 1.

Iud. 17.

2. Paral. 22.

Augustinus
1. Reg. 28.

Tob 1.

Amuelis spiritus non fuit vere à Pythoniffa excitatus. Hanc deducemus Aſſerionem ex Auguſtino, libro 2. quaſtionū, ad Simplicianum, quaſtione tertia, vbi in hunc modum ſcribit: Item quaeris, vtrum ſpiritus immundus qui erat in Pythoniffa, potuerit agere vt Sa- muel à Saule videretur, & loqueretur cū eo. Sed multo maioris miraculi eſt, quòd ipſe Satanas princeps omnium immundorum ſpirituum potuit loqui cum deo, & petere ad tentandum Tob iuſtiſſimum virum, qui etiam ten- randos apoſtolos petijt. Aut ſi hoc non ideo habet difficilem quaſtionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ vbiq̄e præſens veritas loquitur, nec propterea magni meriti eſt cui loquitur deus, intereſt enim quid lo- quatur. quia & imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus prou- dentiffime conſulit ad ſalutem: & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quaſtio eſt, nulla ſit quaſtio quomodo etiam immundus ſpiritus cum anima ſancti viri loqui potuerit. Omnibus enim ſanctis, deus creator & ſanctificator longe vtiq̄e maior eſt. Quòd ſi hoc mouet quòd licuerit maligno ſpiritu excitare animam iuſti, & tanquam de abdi- tis mortuorum receptaculis reuocare, nonne magis mirandum eſt quòd Satanas ipſum dominum aſſumpſit, & cōſtituit ſuper pinnaculum templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum eſt vt excitaretur, ſimiliter later. Niſi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuiſſe licentiam ad deum viuum, vnde voluit aſſumendum, & vbi voluit conſtituendum, quam ad Samuelis defun- cti ſpiritum à ſuis ſedibus excitandum. Quòd ſi illud in Euangelio nos ideo non perturbat, quia dominus voluit atque permiſit nulla diminutione ſuę poteſtatis & diuinitatis id fieri, ſicut ab ipſis Iudæis, quanquam peruerſis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri ſe, & vinciri, & illudi & crucifigi, atque in- terfici paſſus eſt, non eſt abſurdū credere ex aliqua diſpenſatione diuinę volun- tatis permiſſum fuiſſe, vt non inuitus nec dominante aut ſubiugante magica po- tentia, ſed volens atque obtemperans occultę diſpenſationi dei, quæ & Pythoniſ- ſam illam & Saulem latebat, conſentiret ſpiritus prophætę ſancti ſe offendi aſ- pectibus regi, diuina eum ſententia percuffurus. Cur enim anima boni hominis à malis viuis euocata ſi venerit, amittere videatur dignitatem ſuam, cum & viui plerunque boni vocati ad malos veniant & agant cum eis quod officium poſtulat æquitatis, ſeruato atque inconcuſſo decore virtutis ſuę, & illorum vitijs pro re- rum præſentium vel vſu vel neceſſitate tractatis? Quanquam in hoc facto po- teſt eſſe alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non vere ſpiritum Sa- muelis excitatum à requie ſua credamus, ſed aliquod phāſma & imaginariam illuſionem diaboli machinationibus factam, quam propterea ſcriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, qua- rum imagines ſunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua parte materiæ, metalli aut ligni vel cuiuſcunq̄e rei aptæ ad opera huiuſmodi, quæque etiam videntur in ſomnis, & omnes ferè imagines earum rerum quarum imagi- nes ſunt appellari nominibus ſolent. Quis eſt enim qui hominem pictum dubi- ter vocare hominem? quandoquidem & ſingulorum quorumque picturam cum aſpiciamus, propria quæque nomina incunctanter adhibemus. velut cum intuen- tes tabulam aut parietem dicimus, Ille Cicero eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma, cum aliud nihil ſint quam pictę imagines. Vnde cherubim cum ſint cæleſtes poteſtates, fictę tamen ex metallo quod impe- rauiſt deus, ſuper arcā Teſtamenti, magne rei ſignificandę gratia non aliud quam cherubim illę quoque effigies vocitantur. Item ſi quis videt ſomnium, non dicit, Vidi imaginem Auguſtini, aut Simpliciani, ſed vidi Auguſtinum aut Simplicia- num, cum eo tempore quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus: vſque adeo mani-

feſtum eſt, nō ipſos homines, ſed imagines eorum videri. Et Phārao ſpicas ſe di- xit vidiffi in ſomnis & boues, non ſpicarum aut bouum imagines. Si igitur liqui- do conſtat nominibus earum rerum quarum imagines ſunt, caſdem imagines ap- pellari, non mirum eſt quòd ſcriptura dicit Samuelem viſum, etiam ſi forte ima- go Samuelis viſa apparuit, machinamento eius qui tranſfiguratur ſe velut in ange- lum lucis, & miniſtros ſuos velut miniſtros iuſtitiæ. Iam verò ſi illud mouet, quo- modo à maligno ſpiritu Sauli vera prædicta ſunt, poteſt & illud mirum videri, quomodo demones agnouerint Chriſtum, quem Iudæi non agnoſcebant. Cū e- nim vult deus etiam per inſimos & infernos ſpiritus aliquę vera agnoſcere, tem- poralia duntaxat atque ad iſtam mortalitatem pertinentia, facile eſt & nō in con- gruam, vt omnipotens & iuſtus ad eorum poenam quibus iſta prædicuntur, vt iſta- lum quod eis impendet, antequam veniat, prænoſcendo patiantur, occulto appa- ratu myſteriorum ſuorū etiam ſpiritibus talibus aliquid diuinationis imperſiat, vt quod audiunt ab angelis, prænūciant hominibus. Tantū autem audiunt, quan- tum omnium dominus atque moderator vel iubet, vel ſinit. Vnde etiam ſpiritus Pythonicus in Actibus apoſtolorum arteſtatur Paulo apoſtolo, & Euangeliffa eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias ſuas, & verum quod noſſe potuerint, non do- cendi magis quam decipiendi ſine prænūciant. Et forte hoc, quòd cum illa ima- go Samuelis Saulem prædiceret moriturum, dixit etiam ſecum futurum: quòd v- tique falſum eſt. magno quippe interuallo poſt mortem ſeparari bonos à malis, in Euāgelio legitur, cum dominus inter ſuperbum illum diuitem cum iam apud inferos tormenta pateretur, & illum qui ad eius ianuam vlcerofus iacebat, iam in requie conſtitutum, magnum chaos interiectum eſſe teſtetur. Aut ſi propterea Sa- muel Sauli dixit, Mecum eris, vt non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parēti- conditionem mortis referatur, quòd vterque homo fuerit, & vterque mori po- tuerit. Iamque mortuus mortem viuo prænūciabat. Hæc ille. Eadem prorsus ſeri- bit libro vno de octo Dulcicii quaſtionibus, quaſtione ſexta: Perſtringam pau- cis quæ latius de hac quaſtione diſſeruit Auguſtinus, Samuelis ſpiritus diuinę di- ſpenſationi obtemperans, ſe oſtendit aſpectui Saulis, diuina eum ſententia per- cuſſurus. Aut expreſſius & commodius hiftorię Regum accedendo, dices imagi- nem Samuelis apparuiſſe Sauli, illius machinamento & induſtria, qui ſe tranſfigu- rat in angelū lucis. Et quia imago ſolet appellari nomine illius rei cuius eſt imā- go, idcirco cum imago Samuelis apparuit Sauli, prædicens illum moriturum, ap- paruit & Samuel. Sauli, cui dixit: Quare inquietati me vt ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis. Si quidē Philiffim pugnāt aduerſum me, & reſeſſit à me, & ex- audire me noluit, neq̄ in manu prophetarum, neque per ſomnia. vocaui ergo te vt oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel, Quid interrogas me, cum dominus reſeſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? faciet enim tibi dominus, ſicut lo- cutus eſt in manu mea, & ſcindet regnū de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia nō obediffi voci domini, neque feciffi iram furoris eius in Amalech: idcirco quo dpatris fecit tibi dominus hodie, & dabit dominus etiam Iſrael te: cum in manu Philiffim. Cras autem tu & filij tui mecū eritis, ſed & caſtra Iſrael tradet dominus in manus Philiffim. Adde q̄ eadem hiftoria videtur planè nobis ſuadere: Samuelem nō vere apparuiſſe Sauli. Cū enim diceret Saul Pythoniffa, Quid vidiffi? reſpondit ei mulier prorsus neſcia ſi nam vere excitaretur Samuel, Deos vidi aſcendentes de terra, dij illi (niſi mea me fallat opinio) erant dæmo- nes aut dæmonum phantaſmata, hæc perturbato animo audiens Saul, dei gratia deſtitutus, dixit mulieri Pythonem habenti: Qualis eſt forma eius? Quæ ait, Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel eſſet. Et inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit. Hæc edifferens Auguſtinus, in libro quaſtionum veteris Teſtamēti, quaſtione vigefima ſeptima, dicit: Quid Saul intellexit, retulit: & quia non bene intellexit, contra ſcripturam aliū ado- y. iij.

Gene. 41.

Acto. 16.

Luca 16.

2. Corin. 11.

rauit quàm deum, & putans Samuelem, adorauit diabolum, vt fructum fallaciae suae haberet Satanas. Hoc enim nititur vt adoretur quasi deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non vtrique vir iustus permisisset se adorari, qui praedicaue- rat deum solum esse adorandum. Tum etiam libro secundo, de Mirabilibus sacrae scripturae, capite vndecimo, eandem pertractans difficultatem, dicit: Quali- ter Samuel à Pythonissa suscitari dicitur, dum Pythonissa daemonicis incanta- tionibus & prestigijs vti videtur? Et quomodo Saul qui in viuētibz prophetis dei responsum non inuenit, resuscitatum à morte prophetam audire meruit? Vnde non hunc esse Samuelem illum prophetam, per factum factum intelligitur, sed diabolus qui se transfert in angelum lucis, in phantasia Samuelem consideratur. Quod ex sermonibus eius recte dignoscitur, quoniam funesto Sauli dicebat: Tu & filij tui mecum eritis. Etenim si verus hic Samuel ostēsus esset, nullo modo ini- quum regem consortem sui meriti post mortem diceret. Si ergo à Pythonissa di- abolus ostenditur, quare Samuel in diuina scriptura dicitur suscitatus? In multis sacrae scripturae locis imaginatis rebus verarum rerum nomina saepe ascribun- tur. Quomodo & praedicta virga in similitudinem serpentis imaginata, & phan- tastica illa magorum serpentium in Aegypto, & ille eneas in deserto serpens no- minatur. Duo quoque cherubin pro similitudine obumbrare propiciatorium nū- tiatur. Quinque mures vel quinque anuli de terra Philistim in capsella cum arca domini deferuntur. Duodecim boues sub mari aeneo, & quatuordecim leones in throno Salomonis eburneo statuuntur. Cherubin quoque & palmae, & mala gra- nata, & retia in templi aedificio depicta describuntur, cum haec omnia non ipsa rerum veritate, sed pro similitudine ista nomina recipiunt, ipse tamen scripturae nulla incertitudinis regula quasi res veras, haec nominatim ponunt. phantasma igitur Samuelem velut ipse Samuel, ostēsum pronuntiat, sicut & in visibus propheta- rum, & in Apocalypsi Ioannis, ostēsi viri pronuntiantur. Verum sectatores pri- mae opinionis sibi vendicabunt quod idem author scribit, libro vno de Cura pro mortuis gerenda, capite decimo quinto, vbi ostendit nihil prohibere quosdam ex mortuis ad viuos remigrare. Mitti (inquit) ad viuos aliquos ex mortuis, sicut ecō- trario Paulus ex viuis in paradysum raptus est, diuina scriptura testatur. Nam Sa- muel propheta defunctus viuo Sauli etiam regi futura praedixit, quamuis nonnul- li nō ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse, cum li- ber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiat, contineat in laude patrum quōd Samuel etiam mortuus prophetauerit. Dicit Hieronymus plerūque pu- tasse Saulem signum accepisse de terra, & de profundo inferni, quando Samue- lem per incantationes & artes magicas visus est suscitasse, nec tamen fatetur Sau- lem à mortuis excitasse Samuelem, sed quōd eum suscitasse visus sit. Praeterea Ly- ranus nostrae patrocinatur assertioni, enarrans eandem historiam: existimat ta- men probabiliorem illorum esse sententiam, qui dicunt animam Samuelem vir- tute diuina & eius dispensatione apparuisse Sauli, vt diuinam ei sententiam an- nuntiaret. Et licet Pythonissa demonem vt Samuel excitaretur, inuocauerit, ta- men prohibitus est demon diuina virtute venire, & factum illud moliri. Et illi obiectioni responderi: Si Samuel vere apparuisset Sauli, non permisisset se ado- rari. verum est adoratione patriae, permisit tamen se adorari adoratione dulciae, nec hoc fuit malum, sicut & Dauid permisit se adorari à Nathan propheta. De- fendendo tamē opinionem illam quam Augustinus putat esse intellectu facilio- rem respondet eo modo quo & Augustinus, argumentis in contrarium adductis.

Exodi 25.

1. Regum 6.

3. Regum 7.

Apocaly. 4.

2. Corin. 12.

Eccle. 46.

Hieronymus

Lyranus.

3. Regum 1.

Saul prophetauit.] Hanc eruius Assertionem ex sacris literis. Siquidē in primo libro Regum scriptum est: Misit Saul lictores vt raperet Dauid. Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinatum, & Samue- lem stantem super eos, factus est etiam spiritus domini in illis, & pro- phetare coeperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit & alios nū- tios: prophetauerunt autem & illi. Et rursus misit Saul tertios nuntios, qui & ipsi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul, abiit. & ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnā, quae est in Sochor, & interrogauit & dixit, in quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictumque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha. Et abiit in Naioth in Ramatha. Et factus est etiam super eum spiritus domini, & ambulabat ingrediens, & prophetauit vsque dum veniret in Naioth in Ramatha. Nec falso- putes spiritum domini esse spiritum demonis, cuius instinctu Saul praedicebat fu- tura: sed esse spiritum sanctum, qui sua benignitate contulit Sauli gratiam & do- num prophetandi. Nec improbi ac flagitiosi Saulis mores inhihebant quo minus vaticinaretur. Nam spiritus sanctus spirat & bonis & malis donum prophetiae. Et in hanc descendit sententiam Augustinus libro secundo, de Mirabilibus sacrae scripturae, capite decimo, dicens: Saul inuidiae stimulo suscitatus, & malo spiritu saepe arreptus, cum Dauid occidere vellet, & ipse Dauid tunc cum Samuele & ceterorum prophetarum cuneo propheteret, misit Saul nuntios, & ipsum inter- ficiendum de medio prophetarum rapere iubet, sed illos protinus vt veniebant, spiritus qui in prophetis loquebatur, arripiebat. Ipse quoque Saul quasi inuitum famulis opus, stricto arcu post eos exiens, cum inter prophetas venerat, prophe- tabat. Diximus autem cum de Balaam & asina eius differuimus, quoniam spiri- tus sancti verba, non dicentium merita pensantur, sed ipsius voluntate vbicun- que voluerit, proferuntur, per quod tamen proferentium ea merita non in melius augentur, si bona non habent opera, sicut in Balaam, & Saul, & Caipha pontifice. Vnde tales prophetae in iudicio dicent: Nonne in tuo nomine prophetauimus: dam- nati domino respondebunt, & ramentum aeterni ignis consortium inter ceteros impios subibunt. At verò & hoc loco quidam aestimat quod Saul non diuino spiritu, sed malo illo quo saepe arripiebat, per totum illum diem propheteret, donec Dauid etiā imminens mortis periculum, ipso suo spiritu arreptus, domini dispensatione euaderet. Sed qualiter hoc sentiri potest dū ita scribitur, Et factus est super eum spi- ritus domini, & ambulans prophetauit? Nisi forte sic in hoc loco accipiat spiri- tus domini, quomodo & alio loco, spiritus domini malus, Saul arripiebat. Verūta- men vbicunq; sine additamento spiritus dei, vel spiritus domini, vel spiritus Chri- sti, vel spiritus Iesu, in scripturis sanctis inuenitur, spiritus sanctus esse à nullo sa- no sensu dubitatur. Vbicunq; verò cum additamento dicitur esse spiritus domi- ni malus, vt est in libro Samuelem, intelligitur diabolus esse, qui domini propter mi- nisterium, malus propter vitium dictus videtur. Saepe quoque cū singulariter spi- ritus tantum, & non addito sanctus, aut dei, aut aliquid quodcunq; ex his quae ad signandum aut demonstrandum spiritum sanctum pertinent, deprehenditur, contrarius spiritus qui est diabolus, aut subiectus quisq; sibi ex his qui ministrant daemionibus, dignoscitur. Et libro secundo, ad Simplicianum, quaestione prima, con- nectēs adinuicem hos duos sacrae scripturae locos, Infuluit spiritus domini malus in Saul: Et infuluit spiritus domini in Saul, & prophetauit, amplissime docet da- tam fuisse Sauli reprobis ad momentum temporis prophetiam. Et ab exordio illius quaestioni auspicando, dicit: Et primum quidem quod de primo Regnorum libro infuluit vt exponerem quomodo dictum sit, Et infuluit spiritus in Saul, cum alibi dicat, Et infuluit spiritus domini malus in Saul, ita enim scriptum est, Et factum est cum conuerteret humerum suum, vt iret à Samuel, conuerit deus in Saul cor aliud, & venerunt omnia signa illa die, & venit inde in collem, & ecce chorus pro- y. iiii.

1. Reg. 19.

Augustinus

Matth. 7.

1. Reg. 16.

1. Reg. 10.

1. Reg. 16.

pherarum in obuiam illi, & insiluit in illū spiritus domini, & prophetauit in medio eorum. Prædixerat enim hæc illi Samuel, cum eum iustus vnxisset. Et hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis. Spiritus enim vbi vult spirat, & spiritum prophetiæ nullarum animarū potest maculare contactus. Attingit enim vbiq; propter suam munditiam. Afficit enim omnes nō eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorundem hominum vbi rerum demonstrantur imagines, alios per fructum mentis ad intelligētiā, alios vtraque inspiratione, alios etiam nescientes. Per informationē spiritus, duobus modis. Aut per somnium, sicut nō solum plerique sancti, sed & Pharaō & Nabuchodonosor, vterque vidit quod nemo eorū intelligere valebat, sed tamen vterque videre poterat. Aut per demonstrationē in ecclasi, quod nonnulli latini stuporem interpretantur, mirum si proprie, sed vicine tamen, cum sit mētis alienatio à sensibus corporis, vt spiritus hominis diuino spiritu assumptus capiendis atque intuēdis imaginibus vacet, sicut Danieli demonstratum est, quod non intelligebat, & Petro illud vas submissum de cælo quatuor linteis, nam & ipse quid illa demonstratio figuraret, postea cognouit. Per fructum autem mētis, ad intelligentiam vno modo, cum hæc ipsa quæ demonstrantur imaginibus, quid significant, & quo pertineant, reuelantur, quæ certior prophetia est. Nam magis ipsam vocat apostolus prophetiā, sicut Ioseph meruit intelligere, quod Pharaō nō nisi videre: & Daniel exponit regi, quod ille cernit & nescit. Cum verò ita mens afficitur, vt non rerū imagines coniecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur sicut intelligitur sapientia & iustitia, omniisque incommutabilis & diuina species, ad prophetiam de qua nūc agimus, non pertinet. Vtroque autē munere prophetiæ donandi qui & rerum imagines in spiritu vident, & quid valeant simul intelligunt, aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quedā exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cum esset pontifex prophetauit de domino, quod expediret vnum mori pro tota gente, cum aliud in verbis quæ dicebat, attenderet, quæ non se à seipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla, & res tuę prudentiæ notissimas loquor. Non enim ista discis à me, sed in eis quæ percontando probas, & cognoscere cupiens proficientem, & corrigere paratus errantem. Hoc autem verbo quod positum est, Et insiluit in eū spiritus, tāquam ex abdito diuinitatis secreto repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quo nam potius affectum esse intelligamus Saul, satis apparet ex eo quod ibi scriptum est, Conuertit deus in Saul cor aliud. Sic enim aliam cordis affectionem significat, quia conuertendo fecit deus vt imaginum significantium & præfigurantium capax fieret ad prophetiam diuinationem. Tārum autem distat inter prophetiam prophetarum, sicut Esaias, sicut Hieremias, & ceteri huiusmodi fuerunt, atque istam transitoriam quæ in Saul apparuit: quantum distat inter loquelā humanam, quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana propter necessariū prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaā propheta. accepit enim hoc ad tēpus illud iumentū, vt deus quod statuerat, demonstraret, non vt habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. Aut si hoc exemplū maiore differentia remotū est, multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momētum temporis, affectu transitorio prophetiā: quando ille dederat, qui & asinam cū voluit, loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quàm homo re probus ab electis, sed tamē ab hominibus. non enim si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiā pertinet, continuo sapiens existimādus est: sicut nec quisquam si aliquando prophetauerit, iam inter prophetas numerabitur. cum & dominus in Euāgelio dicat, quosdam cum gaudio verbum excipere, & radicis altitudinem non habere, sed esse temporales. Ideoque sicut consequens indicat lectio, factum est in parabolam, Et Saul inter prophetas. Hoc igitur mirari desinamus cū in hominibus apparet diuinitus aliquid, quorum vel meritum, vel habitum excedit,

Gene. 41.

Danie. 2.

Acto. 10.

Ioannis 11.

Num. 22.

Matth. 13.

cum forte vult deus cuiusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari. Si autem hoc monet quod postea Saul malo spiritu inuadente præfocabatur, qui prius prophetiæ spiritum acceperat, neque hoc mirandum est. Illud enim factū est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito vindicandi. Nec mouere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili, præsertim eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur. Aut non videmus in ipso Petro (vt indicat Euāgelium) extitisse tantam confessionem, vt audire meruerit, Beatus es Simō Bar Iona, quia nō reuelauit tibi caro & sanguis, sed pater meus qui in cælis est. Et paulo post tam carnaliter eum de domini passionem sensisse, vt statim audiret, Vade post me Saranas, scandalum mihi es: non enim sapias quæ dei sunt, sed quæ hominum. Et fortasse aliquanto interius intelligentibus, tantum valet ad visa illa mentis hæc differentia, qua Petrus primo, deo patre reuelante quod filius dei esset Christus, & postea ne moreretur, extimuit: quantum valet ad distinguenda visa, quæ in spiritu hominis alienata mente imagnarie fiunt, reuelatio prophetiæ, qua primo afflatus est Saul, & commixtio spiritus mali quo postea premebatur. Iam verò illud quod etiam malus appellatus est spiritus domini, sic intelligitur, quomodo dictum est: Domini est terra, tanquam creatura, & in eius posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala, omnis enim creatura dei bona est: illud congruat quod ipse Saul iam reprobus & sceleratus atq; ingratus sancto Dauid, persecutor etiam eius, cum saeuissima inuidiæ fascibus ageretur, tamen adhuc Christus domini dicebatur: sicut eum appellauit ipse Dauid, cū vindicauit extinctum. Sed magis arbitror malignum spiritum à quo ipse vexabatur Saul, ideo dictum spiritū domini, quod occulto domini iudicio Saulem vexabat. Vtitur enim deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde sit quisq; malignus spiritus, quia mala voluntate nocere appetit, tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo sub quo sunt omnia certis & iustis meritorum gradibus ordinata. quia sicut non est mala voluntas à deo, sic non est potestas, nisi à deo. Tum etiam enarrando psalmum illum, Qui protegit in aquis superiora eius, factetur Saulem prophetasse, quamuis sine charitate propheticum dei munus haberit, ex quo animaduertas peccatum mortale non pugnare cum dono prophetiæ, quod optimis & pessimis, vt voluerit spiritus sanctus, dari potest.

CAPVT VII.



Aulem esse damnatum veteris testamenti scripturæ satis aperte manifestant. Hanc suadeo Assertionē, Cum Philistinū acri pugna decertarent aduersus filios Israel, & irruerent in Saul & in filios eius, dixit Saul armigero suo: Euagina gladium tuum, & percutite me, ne forte veniant incircuncisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius, fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium suum, & irruit super eum. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo. Et huic contextui hanc subnectam rationem: Qui sibi consciiuit mortem autoritate propria, etiam ne incidat in manus suorum inimicorum, aeternam damnationem incurrit: sed Saul sibi consciiuit mortem autoritate propria, ne incidere in manus inimicorum, igitur aeternam damnationem incurrit. Minor est notissima, non enim deus eum ad perpetrandum turpissimum illud facinus impulerat, nec vt seipsum transfunderet gladio, ei iusserat: nec factum illud heroica virtute ac animi magnitudine dignū erat. Nam (vt dicit Aristoteles) mortem sibi consciscere ob virandam paupertatem vel ignominiam, non est fortis, sed timidi. Tum etiam dicit Augustinus libro primo de Ciuitate dei, capite 17. Nam vtique si non licet priuata potestate alicui hominem occidere, vel nocentem, cu-

Matth. 16.

Psal. 23.

Psal. 103.

1. Reg. 31.

Augustinus

ius occidendi licentiam lex nulla concedit: profecto etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et ratio fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudae factum merito detestamur, eumque veritas iudicat, cum se laqueo suspenderit, scelerata illius traditionis auxisse potius quam expiisse commissum, quoniam dei misericordiam desperando exitiabiliter poenitens, nullum sibi salubris poenitentiae locum reliquit, quanto magis a sua nece se abstinere debet, qui tali supplicio, quid in se puniat, non habet. Iudas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit, & tamen non solum Christi, verum etiam suae mortis reus finiuit hanc vitam, quia licet propter suum scelus, alio tamen scelere suo occisus est. Et capite 20. eiusdem libri, idem persequendo institutum, ita scribit: Neque enim frustra in sanctis canonicis libris, nusquam nobis diuinitus praecipitum permittitur, ut vel ipsius adipiscenda immortalitatis, vel illius carendi, cauendae mali causa nobis in ipsis necesse inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: Non occides, praesertim quia non addidit, proximum tuum. Sicut falsum testimonium cum veraret, falsum (inquit) testimonium non dices aduersus proximum tuum. Nec ideo tamen si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum, quoniam regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit. quando quidem scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si aduersus proximum hoc faceret, cum in eo praecipit quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximum prohibeatur, possitque non recte intelligentibus videri non esse prohiberi, ut aduersus seipsum quisquam falsus testis assistat, quanto magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere, cum in eo quod scriptum est, Non occides, nihilo deinde addito, nullus nec ipse vtiq; cui praecipitur, intelligitur exceptus. Ad haec, capite 22. accedit sententia Aristotelis, dicens: Et quicumque hoc in seipso perpetraverunt, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientiae sanitate laudandi sunt. Quanquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quaeque aspera vel aliena peccata seipsum interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quae ferre non potest, vel duram sui corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionem. Denique plurimum nobis praestat adiumenti ad suffulciendam nostram asseruionem, quod primo libro Paralipomenon de Saule scriptum est: Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prauaricatus sit mandatum domini, quod praeeperat, & non custodierit illud, sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in domino. Posset quispiam locum hunc, Mortuus est Saul propter iniquitates suas, exponere de morte temporanea, & non aeterna: nisi videretur his postremis verbis, Nec sperauerit in domino, sed in diuinatoribus, & his qui suis praestigijs & arte magica deludunt homines. Qui igitur firmissimam suae salutis anchoram, & certissimam spem non defigit in dei misericordia, sed desperatione adactus moritur, aeternis supplicijs dignus est. Adde quod non nihil habet momenti, quod aliubi de Salomone filio Dauid dicit dominus: Ipse aedificabit mihi domum, & firmabo solium eius usque in aeternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstulisti ab eo, qui ante te fuit. Pollicetur dominus deus se non ablaturum misericordiam suam a Salomone, quam tamen abstulit a Saule, qui ante Dauid regnauit. Siquidem quando Samuel mortuus apparuit Sauli, verius eius imago (ut dictum est) Saul dixit ei: Coarctor nimis, siquidem Philistijm pugnant aduersum me, & deus recessit a me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocaui ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum dominus recesserit a te, & transferit ad aemulum tuum? Augustinus scite pertractans in libro quaestionum veteris testamenti, quaestione 18. qua-

Matth. 27.

Exodi 20.
Ibidem.

Matth. 22.

1. Paral. 10.

1. Paral. 17.

1. Reg. 18.

Augustinus

re Saul peccans petit orari pro se vt ignosceretur sibi, & impetrare non potuit, Dauid autem peccans postulauit, & veniam consecutus est: dicit: Dei iudicium retrahari non conuenit, nam humana imbecillitas atque imperitia, dei se debet iudicio tradere, in quo non sapit, vt ex sententia dei intelligat veritatem, & nihil aliud fieri debuisse, quam quod videt fecisse deum, quem scit acceptorem personarum non esse. Si enim Dauid precem suscepit, & Saul refutauit, nihil aduersum sentiendum est deum fecisse. Sciens enim qua mente vterque locutus est, eius petitionem accepit, quem vidit tribulato corde veniam postulare. Illum autem desperat, quia animam eius poenitentiae non tetigerat dolor, quia deus cordis auditor est, magis quam vocis. Hinc dictum est: Homo videt in facie, deus autem in corde. Ideo etiam fallimur, quia simulatio in verbis & vultu circumuenit nos: in corde enim quid sit, videre non possumus. Quamobrem dei iudicium sequi nos oportet, qui secundum cor, in quo vniuscuiusque sententia est, examinat singulos. Hoc etiam & saluatorem fecisse inuenimus. Scribam enim se offerentem non suscipit, sedentem autem Leui ad telonium suscepit, quia verba scribae non secutum est cor. Leui autem tacens hoc in corde habebat, quod Scriba in verbis. Iesus autem qui (iuxta quod scriptum est) sciebat quid esset in homine, Leui elegit. Propterea Dauid non alium pro se voluit humiliari sicut Saul, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur. Haec ille. Si huic celeberrimo doctore auscultaueris, & quid in discussione huiusce quaestionis dixerit, plane intellexeris, non habitabis Saulem esse damnatum. Ex eo deus Saulem despexit, quia nullis poenitentiae lachrymis sui animi fordes abluat. Dicit etiam Chrysostomus in sermone de Poenitentia, Poenituit deum quod Saulem regem elegerit. quapropter nisi quia idem poenitentiam ignorauit. Lyranus enarrans locum illum iam a nobis citatum, Arripuit itaque Saul gladium: de hac re scribit in hunc modum: Ex hoc dicunt doctores nostri concorditer, ipsum esse damnatum, quia interfecit seipsum, quod nulli est licitum. Ad hoc etiam inducitur quod habetur 1. Paralipomenon 10. Mortuus est Saul propter iniquitates suas, &c. Hebraei vero dicunt ipsum esse saluatam, quia audita domini sententia, sibi per Samuelem annuntiata, de omnibus peccatis suis poenituit. Et licet primo fuisset desolatus, tamen diuinam sententiam de morte sua & filiorum suorum, ac regni translatione patienter acceptauit, vt diuina voluntas impleretur. Quod videtur ex hoc quod modico cibo sumpto pro sustentatione naturae per totam noctem ambulauit, vt veniret ad praelium secundum diuinum iudicium, ibidem moriturus. Nec Ionathan primogenitum suum, seu alios duos filios suos ibidem existentes suasisit de praelio recedere, volens diuinam sententiam non solum in se, sed etiam in filijs recipere in poenam suorum peccatorum. Ad hoc etiam inducunt Hebraei quod Samuel dixit ei: Tu & filij tui craseritis mecum, id est in parte iustorum, tum quia Samuel in illa parte erat, tum quia Ionathas qui erat sanctus & bonus, credendus est, quod in parte sanctorum sit receptus: & idem dicunt de Saule, quia eodem modo dicitur de vtroque, Tu & filij &c. Ad hoc etiam videtur facere quod dictum est capite nono de Saule quod erat electus & bonus, nec erat in filijs Israel vir melior illo. & ideo, licet multipliciter & grauiter peccauerit, videtur tamen diuinae pietati congruum vt propter eius bonitatem dominus dederit ei in fine poenitentiae locum, ad euadendum poenam aeternam, non tamen ad recuperandum regiam dignitatem. Nec auctoritates superioribus adductae de abiectioe Saulis a deo, videntur aliud sonare, quam quod Saul de regia dignitate, quae ad Dauid erat transferenda ex determinatione diuina, deiciendus erat. Ad illud autem quod obijcitur in contrarium, dicunt Hebraei, & aliqui etiam Christiani, quod interficere seipsum intuitu propriae personae, vt quis per hoc mortem acerbioram vel turpiorem euadat, semper est illicitum, sed interficere seipsum intuitu diuini honoris, ne scilicet vituperium exerceatur in proprio corpore, redundans in dei vituperium, sicut timebat Saul, ne in ipso qui erat prin-

1. Reg. 16.

Matth. 9.
Luca 5.2. Reg. 12.
1. Reg. 15.

Chrysosto.

Lyranus.

1. Reg. 18.

2. Mach. 14. cipalis in populo fierent ludibria in contemptum dei Israel (vt dicunt isti) hoc non est illicitum. Et hoc modo Razias videtur se interfecisse 2. Machabæorum 14. nec tamen inde vituperatur in scriptura, sed magis laudari videtur. Hoc etiã modo Iudic. 16. do Sãson se interfecit, vt dicitur Iudicum 16. Isto etiam modo aliqua sancta mulieres se interfecerunt, ne infideles ipsis abuterentur, exercendo luxuriam contra diuinum honorem. Veruntamen Augustinus istas mulieres non excusat à culpa, libro primo de Ciuitate dei, capite 26. nisi hoc fecerint instinctu diuino nobis occulto. Isto etiam modo posset excusari Saul, si alia via non sufficerent, nisi contrarium inueniatur expresse determinatum in sacra scriptura, vel per determinationem Ecclesiã, quod non recolo me vidisse. Ad illud quod obijcitur 1. Paralipomenon decimo, Mortuus est Saul propter iniquitates suas, &c. potest dici quod propter iniquitates suas, pœna mortis inflata est ei & filijs eius, sed quod propter hoc sit damnatus, autoritas non sonat: sicut fur suspenditur propter furta sua, si tamen eum poeniteat in fine veraciter, & mortem patienter sustineat, efficitur dignus vita æterna. Quod autẽ sequitur, Insuper & Phytonissam cõsulerit, nec sperauerit in domino, nõ valet: quia licet tunc non sperauerit, quando ipsam cõsultuit, tamen de omnibus istis & alijs malis finaliter poenituit, & tunc in domino sperauit de salute æterna, licet non de temporali vita. Oppugnat tamen Burgensis illam Hebræorum opinionem, quã nullis sacra scripturæ testimonijs innititur ad probandum Saulem non esse damnatum: Non enim (inquit) habet fundamentum in auctoritate, nec in ratione. Nam fundamentum eorum assumptum ex hoc quod Saul diuinam sententiam per Samuelem sibi annuntiatam acceptauit, nullius valoris est. In hoc enim non excusant Saulem à peccato, sed potius eum grauius accusant, quod sic patet: Nam in Phytonicis diuinationibus duo prohibentur in lege diuina: quorum vnum est, tales diuinatores consulere, vnde Deuteronomij 18. scriptum est: Non sit in te maleficus, neque qui Phytones consulat. Aliud verò prohibitum est, ne quis verbis talium credat seu assentiat. Vnde in eodem Deuteronomij capite: Gentes ista quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt, tu autẽ à deo tuo aliter institutus es. Ex his manifestissime sequitur, quod volentes excusare Saulem à consultatione Phytonissæ, eo quod sententiã sibi per Samuelem suscitatum annuntiatam acceptauit, non solum ipsum non excusant à peccato consultationis, sed insuper ipsum noui peccati accusant, scilicet acquirere scendi verbis magicis, seu diuinationibus: vt Saul non solum sit primi præcepti transgressor, sed etiam secundi. Si autem dicatur quod Saul non credidit Phytonissæ, sed prophetiæ Samuelis, qui erat fidelis propheta domini, hoc non valet. Nam secundum Augustinum, Samuel non apparuit in spiritu, sed dæmon in Saulem transformatus est: & sic non Samueli, sed dæmoni credidit, verbis eius affentiendo. Dato etiam quod Samuel in propria persona apparuisset, vt quidam volunt, licet minus sane, adhuc Saul peccauit credendo verbis illius, cuius ratio est: Nam dicentes Samuelem verè fuisse suscitatum, hoc asserunt ex dispensatione diuina euenisse, quã Phytonissam & Saulem latebat: & sic Saul non credebatur ipsum esse verum Samuelem, sed spiritum malignum arte magica in Samuelis specie apparentem, cui credendo haud dubie peccauit. Quod autem dicunt Hebræi Saulem omnium suorum peccatorum poenitentiam egisse, huiusmodi assertio reijci potest. Nam sacra scriptura huius poenitentia non meminit, nec illi probare possunt, quod eum sui delicti poenituerit, nisi recurrant ad acceptationem prædictæ sententiæ, quã (vt planè ostensum est) non includit poenitentia rationem, sed potius peccati. Si autem signum suæ poenitentia volunt accipere, ex hoc quod modico cibo sumpto per totam noctem ambulauit vt veniret ad prælium vbi erat moriturus, vt dicit Postillator, hoc nõ videtur valere. Rationabilius enim posset dici seu præsumi, quod Saul iuit ad prælium, credens non esse diuinam sententiam sibi prolatam, sed potius dæmonicam illusionem. Illud autem quod di-

cunt Hebræi ad suam opinionem confirmandam ex illis verbis: Cras tu & filij tui eritis mecum, non videtur valere, non enim id intelligendum est de æterna beatitudine, & parte iustorum, sed de statu defunctorum & conditione mortis. Ad aliam verò rationem quã pro Hebræorum opinione inducitur de eo quod dictum est de Saule, quod erat electus & bonus, &c. Ex qua voluit inferre quod licet postea grauius & multipliciter peccasset, tamen diuinæ pietati congruum videtur vt propter præcedentem bonitatem, dominus dederit ei in fine poenitentia locum: hoc non videtur valere. Nam licet deus hoc potuisset facere ex dispensatione, tamen lege diuina contrarium legitur Ezechielis 18. Cum auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, morietur in ea iniustitia quam operatus est. Patet igitur fundamenta Hebræorum in hoc loco nullius esse efficaciam. Sententia igitur doctorum nostrorum est tenenda, rãquam ex veris sumpta fundamentis. Fundatur enim primo in hoc quod Saul seipsum occidit, quod est grauissimum peccatum: quia magis est contra naturalem inclinationem & charitatem, quã cætera homicidia. Similiter est periculosus cæteris peccatis, cum post mortem nullus est poenitendi locus. Nec valet dicere quod hoc fecit ne in propria persona quid pateret contra honorem diuinum, vt in Postilla dicitur: Nam ludibria seu improperia quacunque propter deum sustinere, quantumcunque ignominiosa sint & acerbata, tanto magis ad diuinum honorem pertinent, vt patet in martyribus. Vnde & Saul debuisset in deum sperare, qui potens est hominem quacunque tentatione superueniente liberare à peccato, quod tamen non fecit se occidendo. Et ideo vere de ipso dicitur 1. Paralipomenon 10. Nec sperauit in domino. Præterea bonitas finis non tollit malitiam actus humani, si talis actus secundum suam speciem est malus. Non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona: sunt tamen tolleranda minora mala vt vitentur maiora. Quod autem inducitur de Razia, 2. Machab. 14. non est trahendum ad consequentiam, quia non commendatur ex hoc in scriptura tanquam studiosus simpliciter, sed tanquam habens quandam speciem fortitudinis, æstimans se fortiter agere, quã tamen non est vera fortitudo, sed magis quadam mollities animi, non valentis grauius poenas sustinere. Potest etiam dici Raziam id fecisse instinctu diuinæ inspirationis, quod non fecit Saul. De Samson autem non est trahenda consequentia, quia per illum deus multa miracula faciebat, vnde præsumendum est quod latenter inspiratione diuina hoc fecit. Hoc autem ex Augustino probare possumus libro primo de Ciuitate dei, capite 21. dicente: Nec Samson aliter excusatur quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Similiter dicendum est de sanctis foeminis quã tempore persecutionis seipsas occiderunt. Nec ad damnationem Saulis alia autoritas sacra scripturæ seu determinatio Ecclesiæ videtur requiri, cum doctores nostri hoc consorditer teneant. Illud etiam quod dicitur, Nec sperauit in domino, intelligendum est de desperatione finali, vt communis est doctorum expositio.

CAPVT VIII.

Semei peccauit maledicendo Dauid. Hanc Assertionem ex libris Regum deprompsimus, priusquã tamen huic enuntiationi probationem adijciamus, quod in secundo libro Regum de hac re scriptum est, proferemus: Cum venisset rex Dauid vsque Bahurim, ecce egrediebatur vir inde de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid & contra vniuersos seruos regis Dauid. Omnis autem populus & vniuersi bellatores à dextro & à sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit dominus regnum in manu Absalon filij tui, & ecce premittit te mala tua, quoniam vir san-

guinum es. Hic indicat contextus Semei inuidiæ facibus agitatum, & iniquo animo ac peruersa voluntate maledixisse Dauidi, quem probroso & cõtumelioso nomine appellauit virũ Belial: hoc est absq̃ue iugo disciplinae & legis diuinæ, vt exponit Lyranus. Belial etiam dicit apostatam & desertorem, vt testatur Theophylactus exponens illud Pauli, Quæ conuentio Christi ad Belial? Adde quod si Semei non deliquisset maledicendo Dauid, certe peccasset Dauid iniungendo Salomoni vt eum interficeret, quod non est dicendum. Et huiusce interitus meminit tertius liber Regum. Cum enim Salomon vocasset Semei, & ei dixisset: Aedifica tibi domum in Hierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc, quacunque autem die egressus fueris, & transieris torrêtem Cedron, scito te interficiendum, sanguis tuus erit super caput tuum. Dixit Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet seruus tuus. Hoc tamen Salomonis præceptum neglexit. Nam cum audisset suos seruos fugisse ad Achis filium Maacha regem Geth, strauit asinum suum, iuitque ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos, & adduxit eos de Geth. Nuntiatum est autem regi Salomoni quod iser Semei in Geth de Hierusalem, & rediisset. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per dominum, & prædixi tibi, quacunque die egressus fueris huc atque illuc, scito te esse moriturum. Et respondiisti mihi, bonus sermo quem audiui: quare ergo non custodisti iusturadum domini, & præceptum quod præceperam tibi? Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscius est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo. reddidit dominus malitiam tuam in caput tuum, & rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit stabilis coram domino vsque in sempiternum. Iussit itaque rex Banaia filio Ioia: qui egressus percussit eum, & mortuus est. Hæc historia planè indicat Salomoni venisse in mentem malum, quod Semei fecerat Dauid, eum laceffendo iniurijs, & maledicendi conuictijs. ¶ At decertabit quispiam, Dominus præceperat Semei vt malediceret Dauid, igitur ei imprecando malum, non peccauit, alioqui deus esset causa peccati: antecedens patet. Cum insana maledicendi audacia, Semei maledixisset Dauidi, ægreferens Abisai, filius Saruia, Dauidem non subito maximam illam vindicasse iniuriam, dixit regi: Quare maledicisti canis hic moriturus domino meo regi? vadam & amputabo caput eius. Et ait rex: Quid mihi & vobis est filij Saruia? Dimittite eum, vt maledicat, dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere quare sic fecerit? Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis: Ecce filius meus qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis hic filius Iemini maledicet mihi? Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptũ domini, si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac hodierna. ¶ Hanc objectionem diluit Ambrosius libro primo Officiorum, capite 48. ostendens dominum non præcepisse Semei, vt simpliciter & affectu nocendi malediceret Dauidi, sed vt eius humilitas & patientia probaretur. Et in illo capite postquam Ambrosius maximopere commendauit Paulum quod maledictiones, & omne perfectionum genus æquo animo tolerauit, ita de hoc negotio scribit: Tamen & sanctum Dauid in hoc quoque genere virtutis imparẽ Paulo non fuisse edocere possumus, qui primo quidem cum malediceret ei filius Semei, & crimina objiceret, tacebat & humiliabatur, & filebat à bonis suis, hoc est bonorum operũ conscientia, deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo diuinam exquirebat misericordiam. Vide autem quomodo & humilitatem, & iustitiam, & prudentiam emerenda à domino gratiæ reseruauerit. Primo dicit, Ideo maledicisti mihi, quia dominus dixit illi, vt maledicat. Habes humilitatem, quia ea quæ diuinitus imperabantur, æquanimitè quasi seruulus ferenda arbitrabatur. Iterum dicit: Ecce filius meus qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam, habes iustitiam. Si enim à nostris grauiora patimur, cur indigne ferimus quæ inferuntur ab alienis?

Lyranus.
Theophyl.
2. Corin. 6.

3. Reg. 2.

2. Reg. 16.

Ambrosius.

Tertio ait: Dimittite illum vt maledicat, quoniam dixit illi dominus, vt videat humilitationem meam, & retribuet mihi dominus pro maledicto hoc. Nec iam solum conuictantem pertulit, sed etiam lapidantem, & sequentem illasum reliquit, quin etiam post victoriam petenti veniam libenter ignouit. Quod eò inserui, vt Euangelico spiritu, sanctum Dauid non solum inoffensum, sed etiam gratũ fuisse conuictantem docerem, & delectatum potius quàm exasperatum iniurijs, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. Sed tamen quamuis perfectus, adhuc perfectiora quærebat, incalefcebat iniuriæ dolore quasi homo, sed vincebat spiritu, quasi bonus miles. Tolerabat quasi athleta fortis, patientiæ autem finis promissorum expectatio, & ideo dicebat: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum, qui est, vt sciam quid desit mihi. Dicit etiam Lyranus huic sententiæ subscribendo, quod Dauid videns Semei solum & inermem, ita constanter & intrepide sibi iniuriantem, & manifeste coram bellatoribus multis fortissimis & audacissimis, & ad vindicandam regis iniuriam promptissimis, perpendit quod hoc non proueniebat ab ipso Semei tantum, sed à deo specialiter hoc agente, & hoc vocauit præceptum dei. Et licet Semei in hoc peccauerit voluntate iniqua maledicens Dauid, non tamen propter hoc deus fuit causa peccati quatenus peccatum est. Ad cuius intellectum sciendum est, quod ad peccatum plura concurrunt, scilicet potentia qua peccatur, quæ est liberum arbitrium, & motus liberi arbitrij in consensum, & ad impulsum potentiarum executiarum, & hoc est à deo qui est author naturæ & operationum eius. Est etiam ibi deformitas in actu, quæ est quidam defectus, à quo actus, habet rationem peccati, & huius deus nõ est causa: sed defectibilitas (vt fertur) liberi arbitrij, sicut in claudicatione quicquid est ibi ambulationis seu motionis reducitur in virtutem motiuam, sicut in causam. Illud autem quod est ibi deformitatis & defectus, reducitur in causam curuitatis tibiæ. Et sic patet quod deus non est causa peccati, licet sit causa liberi arbitrij, & motionis ipsius. Sic igitur potest dici, quod constantia & audacia Semei impetentis ipsum Dauid, fuit à deo, vt per hoc Dauid puniretur, & eius patientia probaretur: sed deformitas siue defectus illius actus, quod iniqua voluntate Semei maledixerit Dauidi, non reducitur in deum tanquam in causam, sed in voluntatem ad malum procliuam.

CAPVT IX.

Salomon non peccauit accipiẽdo in vxorem filiam Pharaonis. ¶ Hanc eliciemus Assertionem ex ijs quæ in tertio libro Regum scripta sunt: Postquam Salomon duxit in vxorem filiam Pharaonis, dilexit dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, quod tamen erat licitum pro illo tempore, licet minus bonum: quod si offendisset dominũ ducendo in vxorem filiam Pharaonis, non meminisset scriptura inito coniugij fœdere eum subito dilexisse dominum ambulando in præceptis Dauid patris sui, sed ostēdisset factum illud deo displicuisse. Item, Dominus illo tempore apparuit Salomoni per somnium, dicens: Postula quod vis, vt dem tibi, vt uisisset autem peccatum ne quod deposcebat, obtinisset. Tum etiam ædificato templo orationem Salomonis exaudiuit, & templum nebula impleuit ad exprimentum specialem eius præsentiam. hæc autem dominus non fecisset, si Salomon eum offendisset. ¶ Sed dicet aliquis, Prohibitum erat Iudæis contrahere matrimonium cum mulieribus alienigenis, cum igitur filia Pharaonis fuit alienigena, non erat licitum Salomoni cum ea coniugium inire. Ad hæc, Reprehenditur Salomon quod adamauerit mulieres alienigenas, filiam quoque Pharaonis. Hæc argumenta diluit Lyranus in eundem locum, ex quo desumpta est nostra assertio, dicens: Sciendum est quod mulieres alienigenæ erant in duplici gradu: quia aliquæ erant de populis habitantibus terram promissionis antequam filij Israel intrarent, quarum aliquæ cum eis in terra remanserunt, vt patuit in libris

Psal. 38.
Lyranus.

3. Reg. 3.

2. Paral. 5.

Deut. 7.

3. Reg. 13.
Lyranus.

Iosue & Iudicum, & cum illis non poterant filij Israel licite contrahere matrimonia, nisi ex speciali causa. Cum alijs verò mulieribus alienigenis poterant contrahere, maxime ex rationabili causa, gentilitate tamè prius relicta. Et sic Booz contraxit cum Ruth Moabitide, prout habetur Ruth ultimo. Et hoc modo Salomon cum filia Pharaonis ad confirmationem regni sui contraxit. Et credendum est (licet non sit expreſſum) quòd ipsa reliquerit gentilitatem antequam cognouerit eam, quia tunc Salomon diligebat dominum, & econuerso. Ad primum igitur argumentum dicunt aliqui, quòd vxores alienigenæ de genere Chananæorum tantum erant prohibita ludæis, non autem de alijs nationibus. Sed hoc patet esse falsum. 1. Esdræ 9. vbi dicitur quòd filij Israel reuerſi de captiuitate acceperunt vxores de genere Ammonitarum, & Moabitarum, & Aegyptiorum, quæ non erant de Chananæis, & tamen Esdras qui optime sciuit legem, determinauit hoc esse illicitum. idcirco tunc fuit ordinatum quòd illas eiiceret: quare dicendum est, quòd mulieres Chananææ fuerunt magis interdictæ quàm aliæ, ideo cum illis non erat licitum contrahere nisi relicta gentilitate: & cum hoc propter id quod factum est in speciali, scilicet propter fidem vnius veri dei: & ita contraxit Salomon cum filia Pharaonis. Cum alijs autem alienigenis erat licitum contrahere ex minori causa, relicta gentilitate, vt dicitur Deuteronomij vigesimoprimo, quòd si aliquis ludæus debellatis aduersarijs, de istis nationibus videret inter captiuos mulierem pulchram, relicta gentilitate poterat eam accipere vxorem. Et hoc modo contraxit Dauid cum Tholomai filia regis Gesur. Illæ autem quas Esdras iussit ei, fuerant acceptæ à filijs Israel ex mala causa, scilicet quia vxores Iudææ, quæ cum illis venerant de captiuitate, ex labore itineris erant deturpatae, & propter hoc erant à maritis suis abiectæ & quasi repudiatae. Præterea illæ alienigenæ docebant filios suos aliqua ad ritum gentilitatis pertinencia. Ad secundum respondendum est, quòd in illo capite duo dicuntur de Salomone. Primum quòd ardentissimo amore copulatus est alienigenis mulieribus. Aliud est, quòd ad satisfaciendum eis coluit deos earum, & ad hoc ædificauit templum: & quantum ad primum, nominatur ibi filia Pharaonis quæ fuit dilecta præ omnibus, vt dicunt doctores Hebræi, & catholici, non autem quantum ad secundum, quia reliquerat idololatriæ cultum. Aliæ verò quibus ædificauit templa, non reliquerant, & istis idololatriis mulieribus fuit coniunctus Salomon in fenestura. Si autem dicatur quòd eodem modo fecit pro filia Pharaonis, eo quòd ibidem subditur, Atque in hunc modum fecit Salomon vniuersis vxoribus suis alienigenis. Potest responderi per illud quod immediate subditur, Quæ adolebant thura, &c. & ex hoc determinatur pro quibus mulieribus alienigenis fecit hoc, scilicet pro illis quæ non reliquerant idololatriam. Et si dicatur quòd filia Pharaonis redijt ad idololatriam, videns Salomonem idololatrare cum alijs vxoribus suis, per hoc non tollitur quin matrimonium cum ipsa à principio licitum fuerit.

CAPVT X.



Salomon ob idololatriam & spurcissimam libidinem qua diffuebat, à domino reprobatus est. Hanc deduximus Assertionem ex ijs que scribit Augustinus in enarratione psalmi centesimi vigesimi sexti, cuius verba proferemus; modo quod de salacissima Salomonis luxuria in tertio libro Regum memoria proditum est, adduxerimus: Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sydonias, & Cerheas, de gētibus super quibus dixit dominus Israel, Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini deos eorum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore, fueruntque ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur

1. Esdræ 9.

Deuter. 21.

2. Reg. 3.

3. Reg. 11.

deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum domino deo suo, sicut cor Dauid patris eius, sed colebat Salomon Astartem deam Sidoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum, fecitque Salomon quod non placuerat coram domino, & non adimpleuit vt sequeretur dominum, sicut Dauid pater eius. Tunc ædificauit Salomon phanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis quæ adolebant thura, & immolabant dijs suis. Igitur iratus est dominus Salomoni, quia auersa esset mens eius à domino deo Israel, qui apparuerat ei secundo, & præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, & non custodiuit quæ mandauit ei dominus. Dixit itaque dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandauit tibi, dirumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Duo indicat historia quæ domino maxime displicuerunt. Alterum, sceleratissima Salomonis incōtinentia: alterum longe grauius & execrabilius, quòd Salomon vt mulieribus (quarum infano amore adurebatur) placeret, deos alienos coluerit. Nunc ad tuendam nostram assertionem, Augustini sententiã adducemus, Salomō (inquit in illa præfatione) erat tempore suo filius Dauid, magnus ille, per quem multa sancta præcepta, & salubria monita, & diuina sacramenta spiritus sanctus in diuinis literis operatus est. Nam ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à deo. Et vixit adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiã idolis sacrificare cogere, sicut de illo scriptura testis est. Sed si illo cadere quæ per illum dicta sunt, delerentur, iudicaretur quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optime igitur etiã hoc egit misericordia dei, & spiritus eius, vt quicquid boni per Salomonem dictum est, deo tribueretur, peccatum autem hominis homini. Quid mirum quia in populo dei cecidit Salomon? in paradiso non cecidit Adam? non cecidit angelus de celo, & diabolus factus est? ideo docemur in nullo hominum spem esse ponendam. Et licet Salomon non crediderit in simulachrorum cultu aliquid esse vtilitatis, tamen mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, vt dicit idem Augustinus libro 11. de Genesi ad literam, capite 42. faciēs quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque diffuebat mortiferas delicias cōtristaret. Et lib. 14. de Ciuitate dei, cap. 11. asserit non esse credibile Salomonem errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditijs foemineis ad illa sacrilegia fuisse cōpulsum. Et libro 22. contra Faustū Manichæum, cap. 81. dicit Salomonem improbatum esse & reprehensum, quia plures habuerit vxores magis ad libidinem quàm ad propaginē, idcirco appellatus est probroso nomine amator mulierum, & inde ad profundum idololatriæ lapsus est atque demersus. Ad hæc, Hieronymus in epistola ad Vitalium, dicit: Simul cōsideremus quæ occulte scriptura & Salomonem & Achaz, voluptaris & impietatis accuset. Vterque enim cum esset de stirpe Dauid, recessit à domino, & alter intantum securus est libidinem, vt septuaginta habuerit vxores, & trecentas concubinas: & adolescentulas, & scorta passim, quorum non erat numerus: neglectoque deo patrum suorum, extruxerit idola gentium plurimarum, & fuerit, non vt prius leuistica, id est amabilis domini, sed amator mulierum. Alter miserit ad regem Assyriorum, auxiliū postulans, & in tempore angustiarum suarum, auxerit cōtemptum in dominum, immolaueritque dijs Damasci victimas percussoribus suis, & in omnibus vrbibus Iuda extruxerit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauerit dominum deum patrum suorum: intantum vt direptis vasibus domus domini atque cōfractis, clauerit ianuas templi dei, & fecerit sibi altaria in vniuersis angulis Hierusalem, ambulaueritque in vijs regum Israel, & statuas fuderit Baalim, & adoleuerit incensum in valle Ennon, & lustrauerit filios suos in igne iuxta ritum Gætium, quas interfecit dominus in aduentu filiorum Israel. Huic subscribit sententiã Cyrillus libro 7. contra Iulianum, ostendens Salomonem virum equidem industrium & sapientem, non esse cum sanctis prophetis, & apostolis, ac euangelistis connumerandum, tamen si mul-

Augustinus

Hieronymus

Cyrillus.

ta præclare ac sapienter scripserit: Quod autem (inquit) peccauerit manifeste, falsis dijs seruiens, negauerit nullus. Porro allecctum dicimus eum, ab alienigenis mulieribus. Deceptrix enim res est mulier, & idonea ad decipiendum semel suis captos laqueis: nam inter arma alia habet voluptatem, qua mens vincitur. Corripiebatur autem amore in ipsa senectutis via, mente iam deflorescente, nec pristinum habente vigorem, sed quasi cum corpore senescente. Et sicut iuuentus securo otiosa esse nescit, ita & senilis ætas: & quemadmodum scilicet adolefcetes ad omne quod operandum est, vadunt, & nihil requirentes ruunt, semper enim adolefcetes insipientiores sunt, iuxta Homeri versum: ita & viri decrepiti mens. Itaque Salomon adolefcens adhuc existens, & mente ephebus, celebre illud Hierosolymis templum construxit, & quæ ad gloriam dei pertinebant, facere studebat. Vbi autem ad finem & occasum vitæ venit, defecit simul ætas roboris & mentis. Denique laqueum illi per mulieres parauit Satanas, & à recto abduxit: deinde narrat quomodo deus delicto Salomonis pœnam intèrauerit, de qua paulo ante loquuti sumus, quod scilicet eius regnum disruperit. ¶ Sciscitabitur quispiam, si nam Salomon sit à domino reprobatus reprobatione æterna vel temporanea. Nec diuersa est hæc quæstio ab illa qua inquiri solet: si nam Salomon sit damnatus vel saluatus. Videntur quidam interpretes sacræ scripturæ doctissimi, dicere Salomonem non esse saluatum, eo quod non egit pœnitentiã suorum scelerum. Etenim dicit Chrysofostomus in quodam sermone de Pœnitentia, Quis sapientior Salomone sed nesciens pœnitentiã perdidit gratiam, & ob hoc dictum est: Cœcepit dolorem & peperit iniquitatem. Concipit peccator delicti dolorem, & si non pœnituerit, parit sibi mortem. Huic accedit sententiã venerabilis Beda, exponendo illum Efaïæ locum, Idola penitus conterentur, dicens: Aedificauit Salomon rex in Hierusalem Astaroth, idolum Sidoniorum, &c. Vbi (ni fallor) ostenditur, quia Salomon nunquam perfecte pœnituit, quia idola quæ aedificauerat, non deleuit. Nec hinc euariat Lyranus, dicens in septimum caput secundi Regum: Si Salomonem sui vitij pœnituisset, cum esset rex valde potens, cui nullus ex suo regno ausus fuisset contradicere, destruxisset templa idolorum quæ aedificauerat: quod tamen non fecit, quia steterunt vsque ad tempus Iosifæ regis, vt habetur 4. Regum. 23. capite, in quo scriptum est: Excelsa quæ erant in Hierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ aedificauerat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensionis Moab, & Melchon abominaciones filiorum Ammon poluit rex, & contriuit statuas, & succidit lucos, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum. Hæc enarrans Ra. dicit: Hic ostenditur quod Salomon de admissio idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit: si enim vere pœnituisset, fatigisset ante omnia vt idola quæ aedificauerat, de ciuitate tollerentur, & non in scandalum stultorum, quæ ipse cum esset sapientissimus erronea fecerat, quasi sapiẽter facta relinqueret. Et disserendo vndecimum caput tertij libri Regum, dicit: Salomonẽ arguit vehementer scriptura, nihilque de pœnitentia eius, vel de indulgentia dei commemorat. ¶ Quod autem non sit damnatus, conabor ex verbis domini suare dicentis de Salomone, Ipse aedificabit domũ nomini meo, & stabiliã thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autẽ meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul quem amoui à facie mea. Nec existimo dominum id dixisse solum quatum ad regnum temporaneum, quod tamen putat Lyranus, sed etiam quantum ad regnum æternum, vt dicit Burgenfis. Nec me later dominum fecisse misericordiam Salomoni, eo quod non abstulit omnino ab eo & à filiis eius, regnum: bene tamen à Saule, sed præter hoc temporaneum beneficium, eam impartitus est gratiam, vt ei dederit suorum peccatorum compunctionem, nec permisit vt in cœno scortorum & nephandarum libidinum perpetuo volutaretur. Nunc ad Bur-

Chrysofost.
Psal. 7.

Beda,
Efaïæ 2.

Lyranus.

4. Reg. 23.

2. Reg. 7. &
1. Paral. 17.

gensem redeo, qui non approbat interpretationem Lyrani de misericordia illa, nisi quatum ad regnum temporaneum. Nam lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum, & ideo populus ille comparatur puero sub pedagogo existenti, vt patet ex Paulo ad Galatas tertio. Vnde communiter talia bona eis promissa, principaliter intelliguntur pro spiritualibus, & ista regna David promissa & filio suo Salomoni, similiter & perpetuitas fidelitatis domus eius. Et si intelligantur de regno temporali, intelligenda sunt etiam principaliter de regno æterno: sicut cum dicitur Abraham, Et benedicentur in semine tuo omnes gentes. quod si locus ille solum intelligeretur de benedictione temporali, euacuaretur ratio Pauli ad Galatas tertio, quod nullo modo à catholicis est asserendum. Adde quod Hieronymus ostendit in quadragesimum tertium caput Ezechielis, Salomonem egisse pœnitentiã, sic enim scribit exponendo illum propheta locum, Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum. Domui igitur Israel, eorum qui animo conspiciunt deum, ostenditur domus, hoc est templum quod Ezechiel situm in monte conspexit, & non solum in monte, sed sicut nunc dicitur in summitate montis: quam nequaquam illam putemus, quæ à Salomone constructa narratur in Regum & in Paralipomenon libris. Illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, & in singulis magnam habens diuersitatem, tantumque inferior templo, quod nunc ostenditur Ezechieli, vt non solum cultores eius & æditui, sed & ipse fabricator eius Salomon peccauerit, & offenderit deum, licet postea egerit pœnitentiã, scribens proueria, in quibus ait: Nouissime ego egi pœnitentiã, & respexi vt eligerem disciplinam. Hoc tamen non memini me legisse in Prouerbijs Salomonis. Deinde scribit Hieronymus, Ista autem quæ Ezechieli & per Ezechielẽ domui Israel ostenditur, talis est, vt qui eam mente cõspexerit, cesset ab iniquitatibus suis, non quibusdam sed omnibus. Et explicando illud Ecclesiastæ, Ego Ecclesiastes fui rex super Israel in Hierusalẽ, sic de eiusdem respiscẽtia scribit: Aiunt Hebraei hunc librum Salomonis esse pœnitentiã agentis, quod in sapientia diuitiisque confusus, per mulieres offenderit deum. Existimant etiam Salomonem in hoc Prouerbiõrum loco, loqui de seipso, quasi tamen de alio in tertia persona: Visio quam locutus est vir cum quo est deus, & qui deo secum morante confortatus ait, Stultissimus sum virorum, & sapientia hominũ non est mecum, quasi velit innuere, Mecum est deus per plenitudinem sapientiæ, etiam per plenitudinem potentiæ: agendo tamen pœnitentiã vt ad se rediret, suam agnosceret culpam, dixit: Stultissimus sum virorum, tamen si crediderim me esse omnium sapientissimum. nulla est infanientium vecordia & stultitia, quæ meã meisque proximis vitijs, cum in carnis petulantia, tum in idolorum cultu, conferri possit. ¶ His diligenter adnotatis, & excussis diffidentium sententijs, dico Salomonem non fuisse reprobatum reprobatione æterna, sic quod sit damnatus: tandiu autem reprobatus factus est, quandiu suis delicijs & vitijs adhæsit: cum autem dei instinctu suam vitam despexit, & in rebus turpissimis misere collocatã deplorauit, ex reprobo factus est prædestinatus, & ex inimico amicus. Videbatur tamen vrgere illa Chrysofostomi sententiã, Nesciens pœnitentiã, perdidit gratiam. non quod velit innuere vir ille optimi iudicij, Salomonem nunquam egisse pœnitentiã: sed quod eo tempore quo diaboli & mulierum pedicis intricatus, suæ salutis erat immemor, non egerit pœnitentiã: licet in fine suæ vitæ, imò antequam vita defungeretur, dolore animi compunctus ad deum quem grauiter offenderat redierit. Alia mihi non occurrit solutio, nisi quis innuere velit Chrysofostomum in ea fuisse sententiã, quam Beda amplexari videtur, Salomonem non esse saluatum, quod tamen sacræ literæ non indicant. Obiectioni Lyrani respondet Burgenfis, dicens: Possibile fuit Salomonem pœnituisse, sic tamen prope mortem, quod iam non valebat idola destruere, vnde ex hoc non concluditur necessario ipsum non esse saluatum. Ista (vt conijcere possum) siculnea est consequentia, Socrates non subuer-

Burgenfis.

Galat. 3.

Gene. 22.

Hieronymus

Ezech. 43.

Eccle. 1.

Prouerb. 30.

tit idola quæ coluit, eaque potuit subuertere, ergo non egit pœnitentiã. Similem tibi adferre possum, Socrates non satisfecit suis creditoribus, aut alijs quos læsit, eo tempore quo satisfacere poterat: ergo non egit pœnitentiã. Nam potest in extremo vitæ articulo vehemẽter dolere & conteri se non opportune satisfecisse ijs quibus satisfacere debebat, & illa feruentissima cõtritiõ absterget culpam, modo non desit ei propositum confitendi sua peccata.

CAPVT XI.

Augustinus

Sacrificari nolunt sibi angeli, vel quicumq; beati, sed soli deo.] Hanc decerpimus Assertionẽ ex Augustino, libro 10. de Ciuit. dei, qui primum ostendit cap. 4. vni vero deo & soli, sacrificium deberi: Huic (inquit) nos seruitutem quæ latria græcè dicitur, siue in quibusq; sacramentis, siue in nobisipsis debemus. Huius enim tẽplum simul omnes, & singuli templa sumus, quia & omniũ concordiam & singulos inhabitare dignatur, nõ in omnibus quàm in singulis maior, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrũ, eius vnigenito cum sacerdote placamur, ei cruentas victimas cedimus, quando vsq; ad sanguinẽ pro eius veritate certamus: & suauissimũ adolemus incensum, cum in eius cõspectu, pio sanctõque amore flagramus, ei dona eius in nobis, nõsq; ipsos vouemus, & reddimus, & beneficiorũ eius solennitatibus festis, & diebus statutis dicamus sacramusq; memoriã, ne volumine temporũ ingrata subrepat obliuio: ei sacrificamus hostiã humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis. Ad hunc vidẽdum sicut videri poterit, eiq; cohærendum ab omni peccatorũ & cupiditatum malarũ labe mundamur, & eius nomine consecramur. Ipse enim fons nostrę beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligẽtes, vel potius religẽtes (amiseramus enim negligentes, hunc ergo religẽtes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eũ dilectione tendimus) vt perueniendo quiescamus. Ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonũ enim nostrũ de cuius fine inter philosophos magna contẽtio est, nullum est aliud quàm illi cohære, cuius vnus anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur, fecundaturq; virtutibus. Hoc enim bonũ diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic cõplentur duo illa præcepta in quibus tota lex pendet & propheta: Diliges dominũ deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. & Diliges proximũ tuum tanquam teipsum. Vt enim homo sese diligere nosset, cõstitutus est ei finis quo referret omnia quę ageret vt esset beatus: nõ enim qui se diligit, aliud esse vult q̃ beatus. Hic autẽ finis est adhære deo. Iam igitur scienti diligere seipsum cum mādatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi vt ei quātum potest cõmendet diligendũ deũ? Hic est dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantũ deo debita seruitus. Quęcunq; igitur immortalis potestas quãtalibet virtute prædita, si nos diligit sicut seipsum, ei vult esse subditos, vt beati simus, cui & ipsa subdita beata est. Si ergo nõ colit deũ, misera est, quia deo priuatur: si autem colit deum, non vult se coli pro deo. Illi enim potius diuinæ sententiæ suffragatur, & dilectionis viribus fauet, qua scriptũ est: Sacrificas dijs eradicabitur, nisi domino soli. Nam vt alia nunc taceã, quæ pertinent ad religionis obsequiũ, quo colitur deus, sacrificiũ certe nullus hominũ est qui audeat dicere deberi nisi domino soli. Multra deniq; de cultu diuino vsurpata sunt quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamẽ vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autẽ eis multũ additur, & adorandi. Quis verò sacrificandũ censuit, nisi ei quẽ deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Quã porrò antiquus sit in sacrificiãdo dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicat, quorũ maioris deus reprobauit sacrificiũ, minoris aspexit. Hæc ille. Duo hic sunt adnotanda. Primum q̃ non potest homo perfecte seipsum dili-

Matth. 22.

Deut. 6. 7.
Esaiæ 1.
Hier. 44.

Gene. 4.

gere, nisi referat suas bonas actiones in vltimum finem, scilicet in dilectionem dei. Nam qui scit perfecte seipsum diligere, vult esse beatus: non potest autem esse beatus, nisi deo adhæreat: nec potest deo adhære, nisi deum diligit, & in vltimum finem honesta suæ vitæ studia referat. Igitur de primo ad vltimum, non potest quispiam perfecte seipsum diligere, nisi referat suas bonas actiones in vltimum finem: & cum sincere seipsum diligit, hoc perfecti & veri amoris munus suo proximo impartitur, eque commendat deum esse diligendum. Alterum, Nemo audeat dicere sacrificium deberi nisi domino soli, sed hoc intelligendum putet primario & per se, eo quod solus deus per se & simpliciter latria colitur. Nihil tamen prohibet impendere secundario sacrificium sanctis qui in cælis triumphum agunt. Nam cultus dulci adhiberi potest creaturæ, propter insignem quandam perfectionem qua cæteris præcellit, nec ægrefert dominus hunc honorem illi exhiberi. Nunc ad nostri instituti rationem reuertamur, & ex Augustino nostram fustus probemus assertionem. Is siquidem in eodem libro, capite septimo dicit: Merito illi in cælestibus sedibus constituti, immortales & beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere sancti sunt: quoniam nos mortales & miseros, vt immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt. Cum ipsis enim sumus vna ciuitas dei, cui dicitur in psalmo, Gloriosa dicta sunt de te, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna ciuitate, vbi dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est, de illa super nos quodammodo cura geritur. Nanque ibi cura de nobis habita ad nos administrata, per angelos sancta illa scriptura descendit, vbi legitur: Sacrificans dijs eradicabitur, nisi domino soli. Huic scripturæ, huic legi, talibus præceptis tanta sunt attestata miracula, vt factis appareat, cui nos sacrificare velint immortales ac beati, qui hoc nobis volunt esse quod sibi. Et libro vigesimo secundo de Ciuitate dei, capite decimo, manifestans in memoriam martyrum sacrificandum esse deo & non illis, ita scribit: Nos aurem martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud deum viuunt spiritus, fabricamus. nec ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus martyribus, sed vni deo & martyri, & nostro, sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sacrificat, inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoria sacrifices eorum, quia dei sacerdos est, non illorũ. Tum etiam in epistola ad Presbyterum Deo gratias, differens in quæstione 3. de Latria quæ vni deo debetur, dicit: Cum omnis creatura partim corporalis sit, partim verò incorporalis, quam etiam spiritalem vocamus, manifestum est id quod à nobis pie ac religiose fit à voluntate animi proficisci, quæ creatura spiritalis est, & omni corporali præponenda. Vnde colligitur corporali creaturæ non esse sacrificandum. Restat spiritalis quæ vel pia, vel impia est: pia scilicet in hominibus & angelis iustis & deo rite seruentibus: impia verò in hominibus & angelis iniquis, quos etiam demones dicimus. Ac per hoc nec spiritali, quamuis iustæ creaturæ sacrificandum est: quoniam quanto magis pia est & subdita deo, tanto minus se tali honore dignatur, quem scit non deberi, nisi deo. Hæc intellige, vt iam monuimus, de sacrificio quod simpliciter & primario soli deo, vt bonorum omnium fini optimo debetur, quod denique (vt idem Augustinus explicat) latriam respicit. Adde quod plurimum habet vigoris ad confirmandum nostram assertionem id quod in Actis apostolorum scriptum est: Cum Paulus & Barnabas morarentur Lystris, quidam vir infirmus pedibus fe-debat claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat, Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus, & exilijs, & ambulabar. Tur-

Psal. 86.

Acto. 14.

bae autem cum vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt apostoli Barnabas & Paulus, conscisis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes & dicentes: Viri quid haec facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad deum viuum, qui fecit caelum, & terram, & mare, & omnia quae in eis sunt, qui in praeteritis generationibus, dimisit omnes genes ingredi vias suas. Hae attingens Chrysofomus homilia vigesima sexta ad Hebraeos, dicit: Tabernaculorum erat factor Paulus, & sacrificabant illi sicuti deo. In hoc loco quaestio occurrit, cur apostoli sacrificia prohibuerunt, & vestimenta sua scindentes, abduxerunt eos a disposito & molimine suo, & cum fletu clamabant, dicentes: Viri, quid haec facitis? similiter enim & nos homines passibiles sumus. Daniel enim nihil tale fecit, quia enim & ipse humilis erat, & non minus ab istis deo offerebat gloriam, ex multis causis manifestum est, maxime autem ex eo quod amabatur a deo certum est. Non enim sibi asumentem honorem dei permetteret saltem viuere, non dicam etiam probabilem demonstrare. Secundum est, quia cum multa fiducia dicebat: O rex, non in sapientia mea mihi reuelatum est mysterium istud. Et iterum, In lacu erat propter deum. Et quia cibum ei attulit propheta, dixit: Recordatus est mei deus, ita erat humilis corde, & contritus circa deum: in lacu enim erat propter deum: & indignum se iudicabat, ut recordaretur eius, vel ut exaudiretur ab eo: nos autem decem milia scelera cum praesumptione committimus, & omnibus scelestiores extrantes, nisi in prima oratione exauditi fuerimus, discedimus. Hae ille. Vult forsitan Chrysofomus innuere, non esse simile de illo honore quem sacerdos voluit sacrificando exhibere Paulo, & de illo quem iusserat Nabuchodonosor offerri Danieli, qui eius somnia aperuerat. Paulus enim videns sacerdotem illum paratum esse sibi offerre sacrificia, quae vni deo erant litanda, renoit illum honorem, dicens se esse similem ceteris hominibus. Daniel vero nihil tale loquutus est, cum Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & eum adorauit, & hostias & incensum praecipit ut sacrificarent ei, quia licet rex id praecipit, non tamen asserit textus id esse factum: nec quod parati essent famuli regis ei sacrificare: & fortasse Daniel impediuit, ne tantus honor sibi deferretur. Aut dic Danielem hunc honorem sibi oblatum, in dei honorem & gloriam retulisse, ita quod in sacrificio creaturae oblato, magis honoratur deus quam creatura: quia non principaliter ei offertur, sed deo.

CAPVT XII.

Acramenta legis, erant vmbrae futurorum.] Hae Augustiniana est Assertio in epistola ad Hieronymum, de Petro reprehenso a Paulo, ubi dicit Augustinus: Cur autem non dicam praecipua illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines iustificantur, vmbrae enim sunt, praeannuntiantes gratiam qua iustificamur, nec tamen mala, quia diuinitus praecipua sunt, temporibus personisque congruentia, cum me adiunget etiam prophetica sententia, qua dicit deus se illi populo dedisse praecipua non bona. Forte enim propterea non dixit mala, sed tantum bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant. Perspicis plane Augustinum dicere sacramenta veteris legis esse non bona, & vmbrae futurorum, quia non iustificabant, nec conferebant gratiam, sed significabant gratiam quam sacramenta nouae legis continent & efficiunt. Et libro vno de Spiritu & littera, capite vigesimo primo dicit: Nam quia veteris testamenti promissa terrena sunt, licet exceptis sacramentis, quae vmbrae erant futurorum, sicut est circuncisio, & sabbatum, & aliae dierum obseruationes, & quarundam escarum, ceremoniarum, & multiplex fa-

Psal. 145.
Apocal. 14.
Chrysofomus.

Daniel. 2.

Daniel. 6.

Augustinus

Ezechiel. 20.



ficiorum sacramentum; ritus, quae vetustati carnalis legis iugum; seruii congruebant, talia contineant praecipua iustitiae, quae nunc quoque obseruare praecipimur, quae maxime duabus illis tabulis sine figura adumbratae significationis expressa sunt, sicut est: Non adulterabis, Non homicidium facies, Non concupisces: & si quod aliud est mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Tamen quia in eo (sicut dixi) promissa terrena & temporalia recitantur, quae bona sunt huius corruptibilis carnis, quamuis eis sempiterna atque caelestia ad nouum scilicet testamentum pertinentia, figurarentur. Nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est intelligibile bonum, cum dicitur: Dabo leges meas in mēte eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Vnde significauit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos. Dat etiam rationem in oratione aduersus Iudaeos, capite secundo, cur sacramenta antiquae legis erant vmbrae futurorum: Nec (inquit) sabbata, & neomenias, & dies festos eorum carnaliter obseruamus, nec victimis pecorum sacrificamus deo, nec Pascha in oue & azyms similiter celebramus, & si qua sunt alia vetera sacramenta, quae generali vocabulo vmbrae futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore reuelanda, quae nos reuelata suscipimus, ut remota vmbra Iudaeorum, luce fruamur. Ad haec libro 32. contra Faustum Manichaeum, capite decimo quarto, dicit: Quaecumque scripta sunt in illis libris veteris testamenti, omnia verissime atque utilissime pro aeterna vita scripta esse laudamus, accipimus, approbamus: sed quae in his mandata corporali operatione non obseruamus, & rectissime tunc mandata intelligimus, & vmbrae futurorum esse didicimus, & nunc iam impleri cognoscimus: ac per hoc quisquis illa tunc etiam opera, quae ad significandum agi iubebantur, non obseruabat, poenas diuinitus constitutas, rectissimo iudicio persoluebat. Sicut nunc si quis sacramenta noui testamenti pro temporis ratione distincta, fuerit ausus sacrilega temeritate violare. Quemadmodum enim tunc iusti viri qui pro illis sacramentis nec mortem recusarunt, iure laudantur: ita nunc pro istis martyres Christi. Et exponendo psalmum illum, Attendite popule meus legem meam, dissoluit argumentum quod fieri posset ad probandum sacramenta veteris legis conferre gratiam, quia patres antiqui manducabant cibum spiritalem, & bibeant potum spiritalem, ut dicit Paulus ad Corinthios: Quid est ergo (inquit) quod eundem populum per prophetam increpat, dicens: Israel autem me non agnouit, & populus meus non intellexit? Sed profecto erant etiam in illo populo, qui intelligerent, habentes fidem, quae postea reuelata est, non ad legis literam, sed ad gratiam spiritus pertinentem. Non enim sine ipsa fide fuerunt qui eius in Christo futuram reuelationem prauidere & praenuntiare potuerunt, cum & illa vetera sacramenta significatiua fuerint futurorum. An soli prophetae habebant hanc fidem, non & populus? Imo vero etiam qui prophetas fideliter audiebant, eadem adiuuabantur gratia, ut intelligerent quod audiebant. Sed vtrique sacramentum regni caelorum velabatur in veteri testamento, quod plenitudine temporis reuelatur in nouo. Nolo enim vos (ait Apostolus) ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eundem potum spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Idem itaque in mysterio cibus, & potus illorum qui noster, sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus est. Sed non (inquit) in omnibus beneplacitum est deo. Omnes quidem eundem cibum spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt, id est spiritale aliquid significatem, sed non in omnibus illis beneplacitum est deo. Cum dicit, Non in omnibus: erant ergo ibi aliqui in quibus beneplacitum est deo. Et cum est

Exodi 20.
Matth. 19.
Roma. 13.
Matth. 22.

Hierem. 31.
Hebrae. 10.

Colossen. 2.

Psal. 77.

1. Corin. 10.
Esaie. 1.

sent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est. Sicut & nunc iam reuelata fides quæ tunc velabatur omnibus in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizatis, commune est lauacrum regenerationis, sed ipsa gratia, cuius ipsa sunt sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptismum, & falsi fratres in communione catholici nominis. Ergo & hic recte dicitur, Sed non in omnibus illis beneplacitum est deo.

Pfal. 77. Neque tunc tamen, neque nunc infructuosa est vox dicentis, Attendite popule meus legem meam. Hæc ibi. Duo hic cõsiderare nos oportet. Primum, non ex eo antiqui patres cibum spiritalem manducauerunt, quòd veteris legis sacramenta conferrent gratiam, eamque continerent: sed quòd cibus ille adumbrabat & præfigurabat aliquid spiritale, sicut mânia quod manducabant in deserto, significabat panem cælestem, quem in sacramento Eucharistiæ fumimus: de quo dicit Christus in Euangelio Ioannis, Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et aliubi, cum accepit panem & benedixit ac fregit, dedit discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Secundum, gratia est sacramentorum virtus, quam antiquæ legis sacramenta significabant, & non continebant: nouæ autem legis sacramenta continent. Vnde dicit Augustinus in enarratione psalmi 73. Alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia saluatorem: sacramenta noui testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt saluatorem. Sunt qui dicunt Paulum vocasse in epistola ad Galatas, infirma mundi & egena elementa, veteris legis sacramenta, quia gratiã non continebant, nec causabant. Nostra autem sacramenta gratiam continent & causant. Suffragatur & huic assertioni Chrysostomus, Sermone in illud Pauli dictum, Nolite vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, vbi ostendit verum Christianorum baptismum fuisse figuratum in mari & nube, & sacramentum Eucharistiæ præfiguratum in manna & petra: Cum (inquit) credidissent Moysi, ipsum habentes ducem itineris, fidenter aquas transierunt, hoc & in Christo effectum est. Nam vbi nos eduxit ab errore, & liberauit ab idololatria ad regnum inducens, ipse primus hanc viam ire cœpit, quoniam primus in cælos ascendit. Sicut igitur illi Moysi credidere, & iter audacter susceperunt: sic & nos in Christo cõfidimus, & audacter hanc peregrinationem perficimus. Et hoc quòd in Moyse baptizati sunt, manifestum ex historia est. Non enim in nomine Moysis baptizati sunt. Cum autem nos non solum fortiti sumus ducem Iesum, sed in nomine eius baptizati sumus, & illi in nomine Moysis non sunt baptizati. Ne etiam hic turberis, dixi enim quòd oportet veritatem habere excellentiam quandam supra figurã. Vidisti de baptismo quæ figura & quæ veritas. Age ostendam tibi & mensas & sacramentorum cõmunionem ibi delineari, si non iterum petis à me totum, sed sic requiris quæ facta sunt, sicut par est in adumbratione & figuris videre. Igitur quia dixit de mari, & de nube, & de Moyse, adiecit præterea: Et omnes eundem spiritalem cibum comederunt. Sicut tu (inquit) à lauacro aquarum ascendens ad mensam curris, sic & illi à mari ascendentes, ad mensam venere nouam & admirabilem, de mânia loquor. Et iterum, Sicut tu admirabilem habes potum, salutarem sanguinẽ, sic & illi admirabilem habuerunt poculi naturã. Non enim inuenerunt fontes, & amnes manãtes, sed à dura & inaquosa petra multam fluminũ largitatem acceperunt, propter hoc & spiritalem vocauit, non quia natura talis esset, sed quòd hoc modo suppedibat. Non enim secundum naturam conuenientiam ipsis dabatur, sed secundum operationem dei ipsos ducẽtis: vnde & cum hoc corrigeret, ita dicebat: Igitur quia dixit, omnes eundem potum spiritalem biberunt, aqua autem erat quæ bibebatur. Volens ostendere quòd propter hoc spirituale dixit, non ob naturam aquæ, sed ob modum quo suppeditaba-

tur illis, adiecit: Bibebat enim de spiritali eos consequente petra. Petra autem erat Christus. Non (inquit) natura lapidis, sed efficax virtus dei, fontes illos scaturire faciebat. Et hic Pauli Samosatani hæresim radicatus euellit. Si enim Christus illa omnia operabatur, quomodo ipsum tunc primum cœpisse dicunt, quando ex Maria natus est? Cum enim ea quæ in Eremito contigerunt, multo tempore ante Mariam facta sunt, & Christus iuxta Pauli vocem, hæc omnia fecit, necesse & ante hunc partum & parturitionem ipsum esse. Non enim qui nullibi erat, has fuisse operatus tam admirabiles atque raras res. Sicut autem dixit, quòd omnes per mare transierunt, sic nobilitatem Ecclesiæ præfigurauit, cum dixit: Eundem spiritalem cibum comederunt. Hoc idem rursus insinuauit, sic enim in Ecclesia non aliud quidem corpus diues, aliud verò pauper: neque aliud quidem sanguinem ille, aliud autem iste. Sic & tunc non aliud quidem accipiebat diues manna, aliud verò pauper: neque alterius fontis iste particeps erat, alterius verò indigentioris ille. Sed sicut nunc eadem mensa, & idem poculum, eadem & educatio omnibus qui huc ingrediuntur, proponitur: sicut & tunc idem manna, & idem fons omnibus proferebatur. Et hoc utique mirabile & rarum. Denique beatus Ambrosius libro 1. de Sacramentis, capite 6. ostendit typum baptismatis præfiguratum esse per transitum rubri maris, in mari (inquit) rubro figuram istius baptismatis extitisse ait apostolus, dicens: Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari. Et subdit: Hæc autem omnia in figura facta sunt illis: illis in figura, sed nobis in veritate. Tunc Moyses virgam tenebat, cõclusus erat populus Iudæorum, instabat Aegyptius cum armis ex vna parte, mari claudebantur Hebræi, neque maria transire poterant, neque in hostem recurrere, murmurare cœperunt. Vide non te prouocet, quia exauditi sunt. Et si exaudiuit dominus, tamen culpa non caret qui murmurauerunt. Tuum est vbi constringeris, credere quòd euadas, non murmurare: inuocare, rogare, non querelam expromere. Tenebat virgam Moyses, & ducebat populum Hebræorum in nocte, in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis, & gratiæ spiritualis affectibus infudit humanis? At verò columna nubis, est spiritus sanctus, in mari erat populus, & præibat columna lucis, deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio spiritus sancti. Vides quòd per spiritum sanctum, & per aquam typum baptismatis demonstraerit? In diluuii quoque fuit iam tunc figura baptismatis, & adhuc utique non erant mysteria Iudæorum. Si ergo huius baptismatis forma præcessit, vides ergo superiora mysteria Christianorum quàm fuerint Iudæorum. Et in 4. capite eiusdem libri dat rationem, quare diuiniore sunt & priora sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum: Quid (inquit) præcipuum quàm quòd per mare transit Iudæorum populus? vt de baptismo interim loquamur. At tamen qui transierunt Iudæi, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad cælestia, hoc enim pascha, id est transitus eius, transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit. Adde quòd Cyprianus, in sermone de Coena domini, agens de nobilissimo Eucharistiæ sacramento, dicit: Huius panis figura fuit manna quod in deserto pluit, sic vbi ad verum panem in terra promissionis ventum est, cibus ille defecit. Per singula sabbata propositionis iam frigidi & duri mutari consueuerant, & calidi panes eiusdem numeri in mensa proponi, iam nulla fit panis mutatio, vnus est panis caloris continui, status integri, qui semel oblatus deo in sapore dulcissimo, & cãdore purissimo perseverat. Nec solos sacerdotes ad panes huius dignitatis leuiticæ prærogatiua admittit, vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur, quæ omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur: incorporatur, non iniuriatur: recipitur, non includitur: cum infirmis habitans, non infirmatur, nec pauperum mi-

Ambrosius.

1. Corin. 10.

Exodi 13.

Cyprianus.

Exodi 16.

Leuit. 24.

nisterio indignatur: fides pura, mens sincera, hunc habitatorē delectat: neque im-
 mensi & omnipotentis dei magnitudinem pauperculę domus nostrę angustia of-
 fendit vel artat. Panis iste angelorum omne delectamentum habens virtute mi-
 rifica, omnibus qui digne & deuore sumunt, secundum suum desiderium sapit, &
 amplius quàm manna illud Eremi implet & sariat edentium apperitus, & omnia
 carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates.

CAPVT XIII.

Sors non est aliquid mali.] Hanc affirmabimus Assertionem ex Augu-
 stino differente illum psalmographi locū. In manibus tuis sortes meę,
 vbi ita scribit: Non in manibus hominum, sed in manibus tuis. Quę
 sunt istę sortes? Quare sortes? Audito nomine sortium, non debemus
 fortilegos quęrere. Sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione hu-
 mana diuinam indicans voluntatem. Nam & sortes miserūt apostoli, quando lu-
 das tradito domino periit. Et sicut de illo scriptum est: Abijt in locum suum, cę-
 pit quęri quis in locum eius ordinaretur. Electi sunt duo iudicio humano, & ele-
 ctus de duobus vnus iudicio diuino. De duobus consultus est deus, quęmnā ipso-
 rum esse vellet, & cecidit fors super Matthiā. Quid igitur est, in manibus tuis sor-
 tes meę? Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare
 fortis nomine appellat gratiā dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas dei.
 Nam vbi dicitur iste facit, iste non facit, merita considerantur: & vbi merita con-
 siderantur, electio est, nō fors. Quando autem deus nulla merita nostra inuenit,
 forte voluntatis suę nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hęc est
 fors. Merito tunica illa domini desuper texta, quę significat charitatis æternita-
 tem, cum diuidi a persecutoribus nō posset, fors super eam missa est: ad quos per-
 uenit, eos significauit qui videntur ad sortem peruenire sanctorū. Gratia salui fa-
 cti estis, per fidem, ait apostolus: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc nō ex vo-
 bis. Vide sortem, & hoc non ex vobis, sed dei donum est, non ex operibus quasi
 vos benefeceritis, vt ad hoc accedere digni esletis: non ex operibus, ne forte quis
 extollatur. Ipsius enim sumus signum, creati in Christo Iesu in operibus bonis.
 Hęc quodammodo fors occulta est, volūtas dei in humano genere. Sors est, fors
 veniens de dei occulta voluntate, apud quę non est iniquitas. Non enim ille per-
 sonas accipit, sed occulta illius iustitia tibi fors est. Attendat itaq; charitas vestra,
 videte hoc ipsum quemadmodum firmeretur ab apostolo Petro, cum Simon ille
 magus baptizatus a Philippo, adheret ei, credēs miraculis diuinis factis in cōspe-
 ctu suo. Venerunt apostoli ad Samariam, vbi crediderat etiā & ipse magus, & vbi
 fuit baptizatus, & imposuerūt apostoli manus hominibus baptizatis, & acceperūt
 spiritum sanctum, & coeperunt linguis loqui: admiratus est ille, & obstupefactus
 tanto diuino miraculo, qđ ad impositionem humanarum manuum venit spiritus
 sanctus, & impleuit homines, & desiderauit istam non gratiam, sed potentiā: non
 vnde liberaretur, sed vnde extolleretur. At vbi desiderauit hoc, & impleuit su-
 perbia cor eius, & diabolica impietas, & celsitudo deijcienda, ait apostolis: Quan-
 tam vultis pecuniam a me accipite, vt & ad mearū impositionem manuum ac-
 cipiant homines spiritum sanctum. Qui quęrebat secularia, qui in circuitu occu-
 lebat, pecunia putauit posse se emere donum dei. Qui se putauit pecunia cōpara-
 re spiritum sanctum, etiam apostolos auaros arbitratus est, sicut erat ipse impius
 & superbus. Cōtinuo Petrus, Pecunia tua (inquit) tecum sit in perditionem, quia
 existimasti donū dei pecunia comparare. Non est tibi fors, neque pars in fide hac,
 id est non pertinet ad istam gratiam, quam gratis omnes accepimus, qui pecunia
 te putas posse emere quod gratis datur. Ex eo autem quod gratis datur, fors vo-
 catur. Nō est tibi fors, neque pars in fide hac. Ista dixi, ne expauesceremus, quod
 ait: In manibus tuis sortes meę. Quę sunt enim sortes? Hęcitas Ecclesię. Quo-
 usque est hęcitas Ecclesię: inter quos fines? Vsq; ad omnes fines. Dabo tibi gen-

Psalmo 30.
Augustinus

Actuum 1.

Ioannis 19.

Ephesios 2.

Romano. 2.

Actuum 10.

Actuum 8.

Psalmo 2.

tes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę. Hęc ille. Colligas ex
 hac luculęta Augustini doctrina, sortem id esse quod in dubitatione humana di-
 uinam indicat voluntatem. Cum enim viri boni hęsitant cui vel officiū, vel quid-
 diam aliud iure debeat, vitata omni fraude mittunt sortes, & fors cadens su-
 per hunc vel illum, diuinam indicat voluntatem, quod scilicet deus hunc voluit
 eligi: nec id sine vrgenti negotio, & magna reipublicę vtilitate intentandum est.
 Noscito deinde nomine sortis, gratiam dei, aut eius voluntatē appellari, & inter-
 dum æternam beatorum hereditatem temporanea veteris testamenti hereditate
 figuratam: quod sanē exprimit idem Augustinus, enarrando psalmum illum, Si
 dormiatis inter medios clericos, &c. Cleros (inquit) fors gręce dicitur, & sortes ex
 promissione dei, partes hereditatis vocatur, quę populo sunt distributę. Vnde tri-
 bus Leui pęcepta est non habere sortem inter fratres suos, quod ex eorum decę
 mis sustentaretur. Nam & Cleros & clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ec-
 clesiastici ministerij gradibus ordinati, quia Matthias forte electus est, quem pri-
 mum per apostolos legimus ordinatum. Proinde propter hereditatem quę fit te-
 stamento, tanquam per id quod efficitur id quod efficit, nomine clericorum testa-
 menta ipsa significata sunt. quanquam mihi & alius hic sensus occurat, nisi fal-
 lor, anteponeudus, vt clericos multo probabilius ipsas hereditates intelligamus, vt
 quoniam hęcitas veteris testamenti est, quāuis in vmbra significatiua futuri;
 terrena scelicitas: hęcitas verō noui testamenti, est æterna immortalitas, dormi-
 re sit inter medios, nec illam iam quęrere ardentem, & adhuc istam expecta-
 re patienter. Nam qui deo propterea seruiunt, vel potius propterea seruire volūt,
 dum quęrunt in hac vita, & in hac terra scelicitatem, ablatas est somnus ab eis, &
 non dormiunt: inflammātibus enim cupiditatibus agitati, in flagitia & facinora
 propelluntur, nec omnino requiescunt, desiderando vt acquirant, metuendo ne
 amittant. Qui autem me audit, ait Sapiētia, inhabitabit in spe, & requiescet sine
 timore ab omni malignitate. Hoc est, quantum mihi videtur, dormire inter me-
 dios clericos, id est inter medias hereditates, nondum in re, sed tamen in spe cele-
 stis hereditatis habitare, & a terrenę scelicitatis iam cupiditate conuiescere. Cū
 autē venerit quod speramus, non iam inter duas hereditates requiescemus, sed in
 noua vera, cuius vetus erat vmbra, regnabimus. Adde quod Origenes homilia 23.
 super Iesum Nauę, varijs argumentis probat plurimum virtutis contineri in for-
 ribus: In consuetudine (inquit) hominum cum aliquid sorte diuiditur, fortuito vi-
 detur fors illa ad illum cadere, in scriptura autem sancta non ita est. Aliquoties
 quęrebam apud meipsum, si de tantis ac talibus patres sancti fortibus iudicium
 commississent, quod si esset hoc apud sanctos ita gestum, iam de alijs hominibus,
 vel gentilibus nihil mirum videretur, si nihil haberetur eximium in ijs quę a san-
 ctis forte dicuntur diuisa. Sed videamus si forte in scripturis inuenimus aliquid po-
 situm, quod nobis quid virtutis cōtineatur in fortibus manifestet. Incipiamus er-
 go a Leuitico vbi scriptum est: Et accipient (inquit) duas sortes: fors vna domino,
 & fors vna Apompęo, hoc est transmissori. Et super quemcunq; venerit fors
 Apompęi, accipiet hircum illum, & adducet illum in Eremū viuum, & dimit-
 tet illum ibi in dimissione sua. Alium verō hircum immolabunt domino, & reli-
 qua quę ibi sunt quę vtique sciunt qui legunt. Et iterum vbi Moyfes forte diui-
 dit tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidię tribui Manasse, quę poposcerant trans
 Iordanem accipere terram illam, quam acceperūt filij Israel. Dedit autem etiam
 Iesus secundum pęceptum dei Caleph filio Ieffone tribus Iudę sortem. Dedit au-
 tem & tribui Effrem, & illi quę supererat, dimidię tribui Manasse. Et post hęc cō-
 gregauit (inquit) Ecclesiam filiorum Israel, & dixit: Mittam sortem, & proferam
 in conspectu domini sortem, si prius describentes terram, attuleritis descriptio-
 nem eius. Et ita post hęc fortibus missis hęcitas populo dei distribuitur, & agita-
 tur fors ista, non fortuito, sed secundum hoc quod pędestinatum est a deo. Deni-

Psalmo 67.

Numeri 18.

Actuum 1.

Prover. 14.

Origenes.

Leuitici 16.

Numeri 34.

Iosue 18.

Ibidem. que tribus Benjamin prima, ibi accepit fortem, ubi erat Hierusalem, post hanc tri-
 Iosue 19. bus Symeon secunda, post hanc Isachar, deinde Zabulon, deinde Affer, post etiã
 Neptalim, inde Dan. In quibus nouissime veniunt tres illę tribus, quę ex concu-
 binis descenderant Iacob. Quę ergo sit ratio fortium apud memetipsum requi-
 rebam, vt ex multis testimonijs scripturę, quod latebat, agnoscerem. inueniebam
 fanę in scripturis etiam gentiles homines vsos esse fortibus, tunc cum nauigaret
 Ionę 1. Ionas, & tempestas vrgeret. Aiunt namque ij qui nauigabant: Mittamus fortem,
 & videamus cuius causa hęc tanta malitia est, quasi fors tantum valeret, vt pro-
 dere posset, cuius causa periculum nauigantibus immineret. Et quanuis gentiles
 essent, & alieni à cognitione dei, non tamen in hac opinione falluntur, sed quod
 verum erat, prodit eis fors. Denique venit (inquit) fors super Ionam. Quarens er-
 go de ijs, inuenio & Salomonem in Prouerbijs dicentem: Cōtradictiones cohibet
 fors, & inter potentes definit, veluti cessare ostendens contradictiones, ubi mitti-
 tur fors. Sed cū hęc in testamento veteri nō pauca referri de fortibus inuenirem,
 conuertit me etiam ad nouū testamentum, vt viderem si forte vel ibi contemnun-
 tur fortes. At ne ibi quidem earum vsus abijcitur, & inuenio quōd aliquādo cum
 deesset numero apostolorum vnus apostolus, & esset necessarium in loco Iudę aliū
 subrogari, conuenientes apostoli, qui vtique multo sapientiores erant quā ij qui
 nunc episcopos, vel presbyteros, vel diaconos ordinant, elegerunt duos, & statue-
 runt in medio, nec tamen de eis sibimetipsis iudicium permiserunt, vt illum fa-
 cerent, quem ipsi volebant, sed orantes (inquit) miserunt fortem, vt ex illis duo-
 bus quos statuerant in cōspectu dei, id est Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui co-
 gnominatus est iustus, & Matthiam. Et cecidit (inquit) fors super Matthiam, & an-
 numeratus est cum vndecim apostolis. precedente namque oratione, non iam ca-
 su, sed prouidentia, fors diuinum iudicium deferebat. Sed adhuc querebam, in no-
 uo testamento, sicubi fors in Christo, vel in Ecclesia nominatur, vel in rebus my-
 sticis, & quę ad animam pertinere videantur, inuenio Paulum ad Ephesios scri-
 bentem dicere de Christo: In qua (inquit) sorte vocati sumus, predestinati secun-
 dum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suę,
 vt simus in laudem glorię eius, qui ante sperauimus in Christo. Sed & ad Colos-
 Colossē. 1. senses hęc scribentem: Gratiarum agentes deo patri, qui idoneos nos fecit in parte
 fortis sanctorum, in lumine. Tam multis igitur ex scripturis sanctis de comme-
 moratione fortium testimonijs congregatis, quo ex multorum locorum conside-
 ratione, virtutem rei possimus diligentius apprehendere, mihi quidem ex ijs om-
 nibus, vel euidentis adhuc sensus ad liquidum patere non potuit, vel etiam de re
 tanta enuntiandi & proferendi arcani metus infedit. illud tamen in quantum res
 patitur contigisse sufficiat, quod nobis ab apostolis fors ducta designat, quia ubi
 ex fide integra, & oratione præmissa fors ducitur, ea quę dei veri voluntas con-
 tinet in occulto, fors hominibus declarat in manifesto. Secundum interiorem ve-
 rò intellectum, sicut Paulus videtur indicare, cum dicit, In parte fortis sanctorum,
 & Sorte vocati in Christo, videndū est ne forte non solum in hominibus, sed & in
 supernis virtutibus fors agatur, & præsideat aliqua virtus huic officio quę (verbi
 causa) Iesu filio Naue nunc sorte hæreditatem distribuenti non ad aliquam gra-
 tiam, sed secundum quod scit deo placere, ducatum præbeat: & illi quidem faciat
 euenire quę prima sunt, quem scit apud deum, primum locum tenere, quo hoc
 quod in occultis habetur apud deum, fortis gubernatione etiam hominibus de-
 monstraretur: alium verò facere secundi loci, & alium tertij. Quod ita gestū esse
 non solum in terris arbitror, verum etiam in cęlestibus, & huiusmodi fortem, quę
 apud deum meritōrum contemplatione distinguitur, etiam illo tempore habitam
 cum diuideret & cōstitueret excelsus gentes, & disseminaret filios Adam, & con-
 stitueret fines gentium, secundum numerum angelorum dei, & facta est portio
 Pfalm. 104. dei Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Vides enim quia & hic partem, & fu-

niculum Israel domino dicit esse fortitū. Non ergo fortuitu arbitrandum est per
 fortem venisse ad liquidū angelo illam gentem suscipere, verbi causa, Aegyptio-
 rum, alij autem Idumæorum, & alij Moabitarum, & alij Indiam, & vnamquęque
 nationem earum quę sunt super terram: sed & ibi etiam si secundum numerū an-
 gelorum dei dicantur forte gentes esse, diuise, tamen illa fors (sicut in hominibus
 diximus) quia dei iudicium quod in occulto est, fors pādīt in publico, talis etiam
 ibi fuisse credenda est, quia, & merito & virtute sua vnusquisque angelus illam vel
 illam gentē in diuisione susciperet. Et quid dico de magnis, & de generalibus re-
 bus? cum ne per singulos quidem nostrum absque huiusmodi sorte, quę dei iudi-
 cio dispensantur, euenire dicendum est (verbi causa) vt alius nostrū talem vel ta-
 lem vitam statim à natiuitate fortitur, vel certe illud quod erga homines geri ex
 scripturis sanctis sæpe docuimus, quod & boni angeli adfunt hominibus, & con-
 trarij, quod non vtique fortuitu, & absque iudicio ille angelus illius anime, verbi
 causa, Petri custos esse fortitur sit, & alius Pauli, vel alius vnus infantis de Ecce-
 sia, de quorum angelis dicit dominus, quia semper videant faciem patris sui qui
 in cęlis est: de quibus vtique dubitandum non est, quod iudicio dei, qui illorum
 dignitatem, vel nostrę anime ad liquidū perspicit qualitatem, vnus cuiusque no-
 strum custodiam fortiantur sorte quadam mystica, Christi dispensatione directa.
 Ego autem (quātum ad opinionem meam spectat) puro audenter dicendum etiã
 de ijs virtutibus, quę mundi huius ministeria susceperunt, quod non fortuitu vel
 casu illa virtus terrę, vel arborum germinationibus præsit, illa fontium ac flumi-
 num sufficiat, ac sufficēter exhibeat, alia imbrum, alia ventorum, alia marinis,
 alia autem terrestribus animalibus, vel singulis quibusq; è terra gignentibus præ-
 sit, & esse in his singulis sacramēta ineffabilia diuinę dispensationis, vt ordine suo
 cuncta, & competenti per vnamquęque virtutem dirimantur officio. Sic enim
 & apostolus Paulus dicit: Nōne omnes sunt ministri spiritus in ministeriū missi
 propter eos, qui hæreditatē capiunt salutis? Ad horū igitur imitationem creden-
 dum est etiam hic scripturam referre fortes duci per Iesum, & hæreditatem per
 vnamquęque tribum diuina dispensatione decerni, & per ineffabilē prouiden-
 tiam dei ac presentiam in his fortibus adumbrari futurā in cęlis hæreditatis ex-
 empla. Quandoquidem lex vmbra dicitur habere futurorum bonorum, & si-
 cuti dicit apostolus de ijs qui ad dominum Iesum Christum venerunt, qui acce-
 sistis ad Sion mōtem, & ad ciuitatem dei viuētis Hierusalem cęlestem, est aliqua
 in cęlis ciuitas, quę dicitur Hierusalem, & mons Sion, non est vtique sine causa
 quod Benjamin in sorte sua accepit Hierusalem, & montem Sion, nisi quia cęle-
 stis illius Hierusalem ratio sine dubio hoc exigebat, vt aliqua Benjamin dari de-
 beret Hierusalem terrestris, quę illius cęlestis figuram seruat ac formam. Simili-
 ter autem de Bethleem dicendum est, quod non sine certa quadam ratione in Iu-
 dę sorte decernitur, vel Hebron, vel alię singulę ciuitates singulis quibusque tri-
 bus conscribuntur, nisi quia (vt diximus) illa cęlestia loca in quibus & Hieru-
 salem, & Sion esse nominatur, sine dubio & cętera quę ijs vicina vel coniuncta
 sunt loca, hoc in se causę & rationis cōtinebant in cęlis, quod sorte distributa gu-
 bernabantur in terris. Hinc ergo est quod dispensauit diuina sapientia, nomina
 quędam locorum scribi in scripturis, quę mysticam quandam interpretationem
 contineant, per quę indicetur nobis, quia hęc certis quibusque rationibus, & nō
 casu vel fortuitu fieri dispensentur. Sicut enim non est putandum quod fortuitu
 acciderit (verbi causa) vt ille angelus Michael vocaretur, alius autem Gabriel,
 alius verò Raphael, & vt ad humana descendam, sicut non fuit fortuitu, vt ille pa-
 triarcha Abraham vocaretur, & ille Isaac, & alius Israel: sed ne in foeminis qui-
 dem casu acciderit, sed certa & diuina ratione, vt illa Sara vocaretur ex Sarai, vel
 Gene. 17. ille Israel ex Iacob, vel ille Abraham ex Abram. & vt certum est quod vnusquis-
 que, vel angelorum, vel hominum ex ijs quę sibi iniunguntur officijs, & actibus
 Gene. 32.

etiam nomina sortitur: ita consequens est, etiam loca quaedam esse caelestia, & ciuitates sicut Hierusalem caelestis dicitur & Sion, esse etiam alias, quarum typum & imaginem iste quae in retris sunt, continent, quae nunc in hac scriptura mystice nobis per Iesum filium Naue designantur. Et de ipsis puto ciuitatibus dictum: Aedificabuntur ciuitates Iuda, & habitabunt ibi, & haereditabunt eam. De ipsis etiam dominus & saluator dicit, quia multae mansiones sunt apud patrem. Et de ipsis credendum ciuitatibus seruo illi qui bene negotiatus fuerat, dominum dicere, quia potestatem habebis super decem ciuitates, & alij super quinque ciuitates. Haec de diuisione sortium terrae Iudae proferre ad vos, in quantum fas fuit, ausi sumus, scriptura prouocante quae Hierusalem dicit caelestem & montem Sion, & caetera quae similiter scripta sunt, esse dicit in caelis, quae nobis occasionem dederunt sentire de omnibus, quod mysteria in ijs caelestia describatur. Ad haec, Ambrosius in exhortatione ad virgines, praeferebat sortem Euangelicam sortibus veteris testamenti, dicit: Sicut enim in veteri testamento terra sorte diuisa est, ita in Euangelio sorte quadam domino deputamur. Vnde & scriptum est, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & supra vestimentum meum miserunt sortem. Et apostoli cum eligendus esset duodecimus apostolus, in locum Iudae, sorte munus apostolatus deferendum arbitrati sunt. Itaque oratione facta, ut de duobus dominus quem vellet eligeret, fors cecidit super Matthiam, illa igitur vetus terrena sortitio, haec spiritualis: in illa census seculi materialis, in hac personalis officij: ibi possessio curarum, hic diuisio gratiarum: illic possidemus arua plena laboris atque molestiae, hic possidemus a Christo. Beatus tamen Hieronymus enarrans illud Ionae, Et dixit vir ad collegam suum, venite & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. & miserunt sortes, & cecidit fors super Ionam: licet commendet quod Matthias apostolicum munus sorte sit adeptus, & id quidem ex singulari privilegio, tamen nos monet ne confestim credamus sortibus. Nouerant (inquit) naturam maris, & tanto tempore nauigantes, sciebant tempestatum ventorumque rationes, & vti que si solitos, & quos aliquando experti fuerant fluctus vidissent consurgere, nunquam forte authorem naufragij quererent, & per rem incertam, certum cuperent euitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, ubi forte in apostolatu Matthias eligitur: cum privilegia singulorum, non possint legem facere communem. Sicut enim in condemnationem Balaam asina loquitur, & Pharaon, & Nabuchodonosor, in iudicium sui, somnii futura cognoscunt, & tamen deum non intelligunt reuelantem, Caiphas quoque propheta ignorans quod expediret vnum perire pro cunctis: Ita & hic fugitiuus sorte deprehenditur, non viribus sortium, & maxime sortibus ethnicorum, sed voluntate eius qui sortes regebat incertas. Praeterea Gratianus hanc confirmat assertionem 26. quaestione secunda, capite Quod autem, ubi ita scribit: Quod autem sortes exquirere peccatum non sit, & exemplis & autoritatibus probatur. Cum enim Acham de Anathemate furtim surripuisset, & ob eius peccatum populus caesus apud Hay hostibus terga dedisset, praecipit dominus Iosue, ut sortibus exquireret, quo peccato populus in manibus hostium cadere meruerat. Iosue praecipit accipiens, misit sortes, primum super tribus, deinde super familias, deinde super personas, & ita cecidit fors super Acham. Saul quoque cum pugnasset contra Philistaeos, & iurasset se interfectorum quemcumque qui ante solis occasum comederet de populo, sorte deprehendit Ionatham filium suum mel comedisse, quod scepro acceperat: quem cum morti tradere vellet, populo supplicante reuocauit sententiam. Ionas quoque cum a facie domini fugerit, a nautis sorte deprehensus, in mare deiectus, & a ceto est absorptus. De Zacharia etiam legitur quod sorte exijt ut incensum poneret. Matthias vero a beato Petro sorte in apostolatum & Iudae successorem eligitur. Quod ergo rationum exemplis probatur, patet malum non esse. In quaestione tamen 5. eiusdem causae

damnantur sortes maleficæ a Leone quarto, quæ nihil aliud sunt quam diuinationes & maleficia, & qui illas exercet, Anathematis poena plectendus est. damnat & Isidorus Sortilegos libro octauo Etymologiarum, & illi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum seu apostolorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. Et licet sortibus nihil mali monstretur inesse, prohibetur tamen Christiano indifferenter vti sortibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos idolatriæ cultus redeat. Lyranus exponendo quod in Numeris habetur, Haec erit terra quam possidebitis sorte, & quam iussit dominus dari nouem tribubus, & dimidia tribui, sciscitatur, Si nam sortibus vti liceat. prius quam tamè diluat quaestionem, annotat diligenter quæ sortium intelligentiæ non mediocriter conducunt. Vti (inquit) sortibus, est ex vario euentu seu dispositione alicuius rei sensibilis propositæ determinare aliquid dubium vel incertum: sicut ex festucis propositis, per hoc quod aliquis accipit breuiorem vel longiorem: seu in projectione taxillorum, ex hoc quod aliquis proijcit plura vel pauciora puncta: vel ex consimilibus, ubi aliquod dubium inter homines determinatur: & si hoc fiat, ad alicuius rei diuisionem inter homines, ut per hoc determinetur, quam partem quis accipiet, vocatur fors diuisoria. Si autem hoc fiat ad aliquid determinate agendum, vocatur fors consultoria. Igitur si dispositio vel euentus sortium expectetur a fortuna tantum, nullum est vitium, ut si mittantur sortes ad determinandum inter homines quæ partem alicuius rei quis accipiat, & hoc ex communi consensu committitur fortunæ. Causa tamen motiua potest esse peccatum, ut si propter cupiditatem propriam, vel aliud vitium, non possunt aliter diuidere concorditer. Si autem dispositio sortium vel euentus non expectetur solum a fortuna, sed ab alia causa, hoc dupliciter fiet. Vno modo a causa corporali, ut a dispositione stellarum, & sic cum actus stellarum ad hoc se non extendat, superstitiosum est & illicitum, & non caret occulto pacto demonum. Alio modo quia expectatur euentus, & dispositio sortium a causa spirituali dirigente, & hoc dupliciter: vno modo a demone, & hoc est illicitum, quia includit familiaritatem & pactum cum demonibus. Alio modo a deo expectatur immediate, vel mediantibus sanctis angelis, & hoc non est illicitum secundum se, si fiat cum reuerentia debita: vnde dicitur in prouerbis, Sortes mirantur in sinum, sed a domino temperantur. Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum accidere. Primo, si absque vlla necessitate ad sortes recurratur; hoc enim videtur ad dei tentationem pertinere. Vnde dicit Ambrosius super Lucam, Qui sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Secundo, si quis etiam in necessitate absque reuerentia debita, sortibus vtatur: vnde super Actus apostolorum dicit Beda, Si qui necessitate aliqua compulsi, deum purant sortibus exemplo apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos non nisi collecto fratrum coetu & precibus ad deum fufus egisse. Tertio si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. Vnde dicit Augustinus ad inquisitiones Ianuarij, His qui de paginis Euangelicis sortes eligunt, etsi optandum sit, ut hoc potius faciant quam ad demonia consulenda concurrant, tamen mihi displicet ista consuetudo ad negotia singularia, & ad vitæ huius vanitatem diuina oracula velle conuertere. Quarto, si in electionibus Ecclesiasticis quæ ex spiritus sancti inspiratione fieri debent aliqui sortibus vtantur. Vnde dicit Beda super Actus apostolorum, Matthias ante Pentecosten ordinandus sorte queritur, quia scilicet nondum erat plenitudo spiritus sancti in Ecclesiam effusa. Septem autem diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati. Secus autem est in temporalibus dignitatibus quæ ordinantur ad terrena disponenda, & ideo in electione illarum, possunt homines vti sortibus, sicut in diuisione rerum temporalium ut praedictum est. Si vero aliqua necessitas alia, vel ab electione dignitatis Ecclesiasticæ imminet, licitum est cum debita reuerentia sortibus diuinum auxilium implorare. Vnde dicit Au-

Isidorus.

Lyranus.

Nume. 34.

Prouerb. 16.

Actuum 6.

gustinus, in Epistola ad Honoratum: Si inter dei ministros sit disceptatio qui eorū tempore persecutionis maneant, ne fuga omnium: & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia: si hæc disceptatio aliter non poterit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte eligendi sunt. Et hoc modo, alijsque prædictis vsi sunt sortibus viri sancti, qui in veteri ac nouo testamento vsi fuisse sortibus leguntur, sicut Iosue iudicio sortium puniuit Acham, & Saul deprehendit Ionathā filium suum mel comedisse, & Zacharias sorte exijt vt incensum poneret, & Matthias in apostolatum promotus, & sic de alijs. Et sic patet responsio ad quæstionem. ¶ Animaduerte vnum, legem duelli, vt quidam dicunt, spectare ad communem sortium rationem, & effectus ille expectatur quando pugiles sunt impares virtute vel arte. quod si duello vti non liceat, nec sortibus vti licebit. Duellum communiter est illicitum, nisi fiat diuina reuelatione, vt fuit inter David & Goliā. Et quia instituitur ad probandam veritatem rei occultæ per victoriam tanquam per signum diuini iudicij, si fiat humana coniectura, qua præsumitur quod deus sic voluerit suum iudicium aperire, est illicitum, siue proponendo siue suscipiendo etiam iudice compellente, siue in causa criminali siue ciuili, vt scribit Henricus Gandauus quodlibeto quinto, quæstione trigesima secunda. Apertamen Caietanus, in secunda secundæ, sancti Thomæ, quæstione nonagesima quinta, articulo octauo, in duplici hypothese quæmpiam posse acceptare duellum: Cum non possum aliter quam duello meam tueri innocentiam, vt falso cōuictus adiudicor morti. Tunc enim ex quo accusator impetit me iudicij gladio iniustissime, & sine dubio occidet vel mutilabit me cum non habeo aliud refugium, habeo iustum bellum aduersus eū defensuum. idcirco si mihi offerat duellum, ego possum acceptare ex consensu principis, hoc tamen duntaxat secundum apparentiam est duellū: secundum veritatem tamen non est, nisi defensio sit cōtra inuadentem se personaliter ad mortem vel mutilationem. Etiam quando pars habens iustum bellum cognoscit vires suas, & quod oportet aut configere & succumbere, aut acceptare duellum, quod licite tunc acceptat. Ad hæc, duellum est licitum ad terminandas lites criminales aut ciuiles, quando habet rationem iusti belli, & non potest aliter terminari, nisi duello acceptato. Alioqui aut non acceptans duellum, iustitiam non potest consequi, aut liti succumbit cum suo & quandoque multorum damno maximo: duellum tamen est illicitum, solum ad manifestandam veritatem, vt victoria sit testis veritatis. Nam est perniciosum ex suo genere, quia contra rectam rationem eligit vterque percutere proximum, contra denique rectam rationem vita vtriusque ex proposito mortis periculo exponitur, cum dei tentatione. Est etiam illicitum ad ostentationem virium, & euitationem ignominie, propter rationem iam assignatam.

CAPVT XIII.

Sandalum pusillorum est prohibitum, non autem Phariseorum. ¶ Priorem huius Assertionis partem ex sacris scripturis deducemus. Et primum quid de scandalo infirmorum siue pusillorum sentiat Paulus, in medium proferemus: In Epistola ad Romanos scriptum est: Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & confido in domino Iesu, quia nihil cōmune per ipsum, nisi ei qui existimat quid cōmune esse, illi commune est. Si enim propter cibum, frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas: noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. His verbis vult innuere Paulus auctore Origene, vt hoc apud nos statuamus, ne per obseruantiam ciborum, offensionem fratribus vel scandala generemus. Fit autem scandalum, propriam eius significationem attendendo, cum in via qua inceditur aliquid inuenitur obiectum in quo offendantur scandentium vel incedentium pedes: hoc est ergo quod patiuntur hi qui viam fidei nuper ingressi, priorū vel contentionibus, vel negligentijs, vel con-

temptu & elationibus offenduntur, atque exemplis eorum repercussis, auertuntur à fide. Deinde dicit Origenes hæc edisserendo: Si enim propter cibum frater tuus contristatur, &c. Et si cōmune nihil est, & vsus omnium ciborum licenter admittitur, tamen tu si propter cibum quæ licite putas sumendum, fratrem tuum qui nondum scientie huius capax est, scandalizas, iam non secundum charitatem ambulas, nec affectum in te fraterni amoris ostēdis. Quid enim læderis, si vt fratrem tuum non contristes, etiā à licitis abstinere? Tibi enim abstinere à licitis crimē nullum est, illi verò in quibus discernit & putat non licere, contaminabilis vsus est. Qui enim discernit, si māducauerit, dānatus est. Quod si facias tu, vti que fratrem tuum perdis, pro quo Christus mortuus est, & tu ei causas perditionis acquiris. Magnificētius autem idē Paulus de his ad Colossenses scribēs, dicit: Nemo itaque vos iudicet in esca, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomonijs, aut sabbato, quæ sunt ymbra futurorum, corpus autē Christi. Nemo vos seducat volēs in humilitate cordis, & religione angelorum, quæ non vidit, extollens se frustra inflatur sensu carnis suæ, & non tenēs caput. Et post pauca, Si ergo mortui estis cū Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne attinueritis, quæ sunt omnia in corruptionē ipso viu secundum præcepta & doctrinas hominū, quæ sunt rationē quidē habentia sapientiæ in obseruantia religionis, & humilitate per vexationē corporis, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Rursum dicit Paulus, Bonū est non manducare carnē, & non bibere vinū, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. locū hunc explicans Origenes dicit, Iā verò quod subiungit, Bonum est non māducare carnem, & non bibere vinū, nisi addidisset, neque in quo frater tuus offendatur, contrariū fortassis prioribus videretur. Māducare enim carnē, & non manducare, vel bibere vinum aut non bibere, neque malū, neque bonum, sed medium haberi docuit & indifferens. Potest enim non manducare carnē & non bibere vinum, etiā malus homo, & à fide alienus: vt sepe etiā nonnullos idolorum causa facere hoc certum est, interdum etiā malarum artium, fertur talis quoque haberi obseruatio hereticorum, & non paucis obseruare hæc, moris est, & tamē non continuo dicimus, bonū est eis, quia non manducāt carnem, neque bibunt vinum. Sed illo planè modo quo in sequentibus posuit, in quo frater offenditur, non manducare carnē, & non bibere vinum, non iam medium aut indifferens, sed vere bonū est. Bonum enim, non ponere offensionem fratri vel scandalū. Propter hoc enim & in alijs dicit: Sine offensione estote & Iudæis & Græcis, & Ecclesie dei. Et ideo videat si recte faciūt hi qui qualibet ex causa continentēs à carnibus, & vino, cogunt omnimode degustare, quo scilicet per hæc ab eis videatur auferri suspicio, quia superstitiose putantur ciborum discretionibus inherere. Cōsiderent namque apostolum, non dixisse bonum est manducare & bibere vinum, sed non manducare carnē & non bibere vinum, si in eo frater offenditur. Noluit ergo vt pro his qui manducandum iudicant, cogatur ille ad manducandū, qui in hoc offenditur: sed pro illo qui non putat manducandū, abstinere præcipit etiam his qui manducandum iudicāt. Dicit & alibi Paulus de ijs qui peccant in fratres eos scandalizando, vt hoc teterrimum scelus euitent, nullique postea sint offendiculo: Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non māducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem: quasi velit innuere, longe mihi vtilius est omnino abstinere ab esu carniū, quam occasione scendo scandalizare proximum: imò eligibilius est perire fame, quam occasione cibi præbere proximo laqueum scandali. Nam magis diligere debemus salutem nostri proximi, quam nostrā vitam corporalem. Hunc Pauli locū edisserens Chrysostomus, dicit: Hoc magistri optimi est officium, suo exemplo erudire quæ dicit. Et non dicit, siue iuste, siue iniuste, sed quomodocumque. Et non dico (inquit) idolothytum, quod & propter aliam causam prohibetur: sed si quod licet & permittitur, scandalizat, etiam illis abstineo, neque vna aut altera die, sed toto vitæ tempore,

Non enim manducabo (inquit) carnes in aeternum. Et non inquit, ne perdam fratrem, sed simpliciter, ut non scandalizem. Etenim vltimę amentię est, quę Christo pretiosissima sunt, & talia, ut eorũ gratia mortę obire non recusauerit, ita nos despiciatissima arbitrari, ut eicis propterea non abstinemus. Hęc autem nõ ad illos tantũ, sed ad nos tempus esset ut diceretur, qui proximi salutę despiciamus, & illa sanę verba proferimus. Dicere enim, quid mihi curandum est, si ille scandalizatur, & ille perit? crudelitatis illius atq; inhumanitatis est. Atqui tũc quidem eorum qui scandalizabatur, infirmitate id contingebat, in nobis autę non itidem: talia namque peccata cõmittimus, quę etiam fortes scandalizant. Nam cũ percutimus, cũ rapimus, cum trahimur cupiditate, & tanquam seruis liberis abutimur, nõne hęc sufficientia sunt ad scandalizandũ? Neque mihi dixeris, illũ calceorũ futorem esse, alterũ coriarium, stuatuarium verò alium. Sed cõsidera fidelem illũ esse & fratrem. illorum namq; sumus discipuli piscatorũ, publicanorum, tentorium opificũ. Christus autem in fabrilis domo educatus est, & fabri spõsam matrẽ habere nõ est dedignatus, & ab ipsis incunabulis in pręsepe iacuit, neque vbi ca put inclinaret, inuenit, & tantum itineris cõfecit ut fatigaretur, & ab alijs victum accepit. Hęc animo voluas, & nullius momenti putato humanam esse superbiam, sed tentorium opificem & qui in rheda deuectus est, & qui innumeros pueros prosequentes in foro coercuit, fratrem tibi arbitrare, imò potius hunc quã illum. Etenim frater ille merito magis diceretur, qui similior est. Quisnã igitur similior piscatoribus, qui quotidianis laboribus sibi victum quarit, & neque seruũ habet, neque diuersorium, sed omnino crucifixus est, an ille qui incredibili elatus superbia, diuinas leges oppugnat? Noli qui magis frater est cõtemnere. Hic enim propior fuit imagini apostolicę. Tum etiam dicit Christus in Euangelio Matthai: Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vẽ mundo à scandalis. Neesse est enim ut veniant scandala, veruntamen vę homini per quem scandalum venit. Hęc enarrans Hieronymus, dicit: Nota quòd qui scandalizatur, paruulus est, maiores enim scandala non recipiunt: & poena quam comminatur deus illi qui dictis aut factis scandalizant pusillos, his verbis fit manifesta: Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius & cetera. Quanquam hęc generalis possit esse sententia aduersus omnes qui aliquem scandalizant, tamen iuxta consequentiam sermonis, etiam contra apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando quis maior esset in regno cælorum, videbantur inter se de dignitate contendere, & si in hoc vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum apostolos viderent inter se de honore pugnare. Quod autem dixit, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius: secundum ritum prouincię loquitur, quo maiorum criminum ista apud veteres Iudæos poena fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur. Expedit autem ei, quia multo melius est pro culpa breuem recipere poenam, quã æternis feruari cruciatibus. Non enim vindicabit dominus bis, in idipsum. Deinde Christus imprecatur malum his qui prębent ansam scandalizandi pusillos, dicens: Vę mundo à scandalis, neesse est enim ut veniant scandala. Non quòd neesse sit venire scandala, alioquin sine culpa essent qui scandalum faciunt: sed cum neesse sit in isto mundo fieri scandala, vnusquisque suo vitio scandalis patet. Simulque per generalem sententiam percutitur Iudas, qui proditori animi preparauerat. Nec à Hieronymi sententia diuersum est quod in eundem locum scribit Chrysostomus: Nam quemadmodũ (inquit) qui hos paruulos propter me honorant, cælum possidebunt, imò verò cælo quoque ipso maius aliquid atque pręstantius: sic & qui despiciunt atque vituperant (hoc enim scandalizare hic significat) maximo plectentur supplicio. Nec mireris si scandali vocabulo, cõtumeliam & vituperationem intellexit, cum multi propter pusillanimitatem non

Matth. 13.

Lucę 2.

Matth. 8.

Ioan. 4.

Matth. 19.

Hieronymus

Naum 1.

Chrysostomus

parum, si contempti vituperatque sint, scandalizentur. Detrimentũ autem quod huius criminis causa homines inuadet, & acerba supplicia, & ab his quę nobis notissima sunt, prę oculis posuit. Nam cum rudiores commouere summopere velit, sensibilibus vitur exemplis. Quare in hoc etiam loco atrocitatem punitionis exprimens, qua cõtemptores paruulorum possit commouere, sensibilem poenam molę ac submerfionis in medium attulit. Et quauis secundum rerum consequentiam, qui non susceperit vnum horum paruulorum, non suscipiet me dici conueniebat, quę res omne punitionis genus excedit: tamen, quia nec rudes atq; infatos, nec inuidos multum id mouere potest, molam potius & submerfionem posuit: nec dixit molam collo eius suspensum iri, sed expediet huiusmodi si hoc patietur, ut ostendat grauius quoddam atque acerbius malum, istũ expectare. Quod si hoc intolerabile iure videtur, quãto magis illud? Ita vtrinque terribilem intonationem effecit, consolatione quidem exempli notissimi ante oculos adducens, excessum verò multo maiorem hac illos cogitare compellens. Et explicando locum hunc, neesse est enim ut veniant scandala, abunde docet hic non agi de necessitate absoluta, sed ex conditione. Ad hunc itaque modum, si in vitijs per seueres, neesse erit ex illis oriri scandala. Sed quomodo inquires, id fieri potest? Nam si neesse est ut scandala veniant, quo pacto ea euitare poterimus? Quia videlicet neesse quidẽ est, ut scandala veniant, perire autem non omnino neesse est. ceu si medicus quidem dixerit, si nulla medicina vtaris, neesse est ut in hunc rursus incidas morbũ, non omnino perire neesse eum erit, qui vigilanter attendit. Accedit quòd discipulos etiã hac ratione nõ nihil exuscitat. Nã ne quasi dormitantes, quoniam ad profundam pacem & tranquillã vitam mittantur, negligentiores sint, multa vndique aduersus eos tã deforis quã intus insurrectura bella ostēdit, quod Paulus quoque significauit, dicens: Foris pugne sunt intra, timores, & pericula in falsis fratribus. Et ad Milesios differēs, dixit: Exurgent quidã ex vobis loquentes peruersa: ipse quoque dicebat, inimici hominis domestici eius. Cum autę necessitatem sic dicat, non quia voluntas libertatę, potestatemque liberi arbitrij tollat, nec quia necessitati rerũ humanam subijciat vitam, hoc dicit: sed quod omnino venturũ est, pręnuntiat. Quod Lucas alijs verbis expressit, nõ esse susceptibile dicens, quòd non veniant scandala. Quę porrò sunt scandala? Rectę ac probę vitę confusio atq; peruersio. Sic etiam qui versantur in scena, eos qui corpora peruerunt, scandala vocant. Non ergo prædictio ipsius scandala inducere puranda est. Non enim quia futura scādala prædixit, idcirco veniunt: sed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, si nollent ea excogitare nequã homines atq; pestiferi: quòd si ventura nõ fuissent, nec ipse futura prædixisset. Ventura verò erant, quia multi erant grauius agrotates, qui noluerunt non agere ma lignę, & ipse quod futurũ erat prædixit. Sed si illi curati fuissent, quispiã dicet, ac nemo esset qui scādala faceret, nõne hic sermo falsitatis crimine teneretur? Certe si curari, sanarique omnes voluissent, non dixisset, neesse est scandala venire. Sed quia sua sponte incurabiles futuros perspiciebat, ideo vëtura omnino prædixit. Dicit Augustinus libro 1. quęstionum, Euangeliorum, quęstione 24. de scandalo pusillorũ. Quod dominus dicit, qui autem scandalizauerit vnũ de pusillis istis, id est ex humilibus quales vult esse discipulos suos, nõ obtemperando, vel etiam contraveniendo, sicut de Alexandro arario apostolus dicit: expedit ei ut mola asinaria suspendatur collo eius, & precipitetur in profundũ maris: id est, congruit ei, ut cupiditas rerũ temporalium, cui stulti & cęci colligantur, eum deinctũ pondere suo deducat ad interitum. Posteriorę Assertionis partem ex Euangelio suscipiemus. Cum enim dixisset Christus, Scribis & Phariseis, nõ quod intrat in os coinquinat hominẽ, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominẽ: hęc demirantes apostoli dixerunt ei, Scis quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt? Christus tamẽ volens omnibus Christianis suadere nõ esse vitandum Phariseorũ

2. Corint. 7.

Lucę 17.

Augustinus

2. Timot. 4.

Matth. 15.

aa. ij.

scandalū (quod vocatur scādalum ex certa malitia) sed potius contēnendum, suis respondit, dicēs: Omnis plantatio quā non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatur præster, ambo in foueā cadunt. Hęc exponēs Chrysoſtomus, dicit: Christus nō soluit scandalum illorum, sed increpauit, dicens: Omnis plantatio quā non plantauerit pater meus cælestis, eradicabitur. Sciebat enim quando contēnenda, & quando non contēnenda scandala erant. quippe alibi ait: Sed ne scandalizemus eos, mitte hamum in mare. hic autem, Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatur præster, ambo in foueam cadunt. Hęc autem discipuli dixerunt, non quia solum pro illis dolebant, verū etiam quia ipsi quoque aliquantulum turbabantur, neque audentes de seipsis hoc dicere, quasi condolentes alijs certiores fieri nitebantur. Beatus quoque Hieronymus commentando verba hæc, scis quia Pharisei audito verbo hoc, scādalizati sunt? dicit: Ex vno sermone omnis superstitio obseruationum Iudaicarum fuerat elisa, qui in cibis sumendis abominandisque, religionem suam sitam arbitrantur. Et quia crebro teritur in Ecclesiasticis scripturis scandalum, breuiter dicamus, quid significet scōlion & scandalum, nos offensionem vel ruinam & impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus, quicumque de minimis istis scandalizauerit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto factōve occasionem ruinæ cuiquam dederit. Paucissimis verbis ut potes expendere, declarat Hieronymus scandalum pusillorum siue infirmorum, qui in fidei sacramentum asciti, obscœnis quorundam hominum verbis, aut nephandis flagitijs, sumunt occasionem ruinæ. Denique differendo responſionem Christi ad suos discipulos: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur, ira scribit: Etiā quæ plana videntur in scripturis, plena sunt questionibus. Omnis (inquit) plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Ergo eradicabitur & illa plantatio, de qua apostolus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit. Sed soluitur questio ex eo quod scribitur: Deus autem incrementum dedit: dicit & ipse, Dei agricultura, dei edificatio estis. Et in alio loco, Cooperatores dei sumus. Si autem cooperatores, igitur plantante Paulo, & rigante Apolline, deus cum operatoribus suis plantat & rigat. Abutuntur hoc loco qui diuersas naturas introducunt, dicentes: Si plantatio quam non plantauit pater, eradicabitur: ergo quam plantauit ille, non potest eradicari. Sed audiant illud Hieremias: Ego vos plantaui vineam veram, quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienæ? Plantauit quidem deus, & nemo potest eradicare plantationem eius. Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrij est, nullus alius eam eradicare poterit, nisi ipsa præbuerit assensum. Et ad id quod subnectitur, Sinite illos, cæci sunt, & cætera, dicit: Hoc est quod apostolus præceperat, Hereticum hominē, post vnam & alteram correptionem deuita, sciens quod peruersus sit huiuscemodi, & à semetipso damnatus. In hunc sensum & saluator præcipit doctores pessimos dimittendos arbitrio suo, sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi, & cæcos esse, & cæcum populum in errorem trahere. Præterea Gregorius, homilia septima, super Ezechielem, componens hos duos Euangelij locos qui tamen videntur inuicem pugnare: Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies statuerem, illum sumens, da eis pro me & te. Qui rursus cū diceret, quia omne quod in os intrat, nō conquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. In hūc modum loquitur: Ecce magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalū gigneretur, quod non debuit tributū dedit. Et rursus, Quia generari scandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo manere permisit. Ex qua re nobis considerandū est, quia in quantum

1. Corin. 3.

Hierem. 24.

Titum 3.

Gregorius
Matth. 17.

sine peccato possumus, vitare proximorū scandalum debemus. Si autē de veritate scandalū fūmitur, vtilius permittitur nasci scādalum, quā veritas relinquitur. Hinc colligunt doctores scholastici, veritatem vitæ, iustitiæ, & doctrinæ, non esse dimittendam, propter scandalum aliorum, quia tale scandalum procedit ex malitia ipsius scandalizati. Dicit quoque Lyranus, in decimo octauo caput Matthæi, scandalizare aliquem, nihil aliud esse, quā facere eum ruere in peccatum mortale dicto vel facto suo malo, & hoc est proprie inferre ei nocumentum ex parte animæ, quod charitati aduersatur: & ideo faciens alium ita ruere, si id egerit dedita opera, scilicet ex intentione & aduertentia, semper peccat mortaliter, etiam si factum vel dictum ex quo ruit alius, nō esset de genere peccati mortalis. Sicut dicens mendacium iocosum mulieri, intentione protrahendi eam ad adulterium, est peccatū mortale ex intentione finis. ¶ Adnotare licebit quæ scribit sanctus Thomas, secunda secunda, quæstione 43. in expositione septima, articuli, quando vitandum est scandalum & etiam quando non est vitandum: & eius sententia Gregorij sententiæ consentanea est. Considerandum est (inquit) quid sit dimittendum ne alius scandalizetur. Est autem in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam sunt de necessitate salutis quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali, manifestum est autem quod nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediatur, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualement diligere quā alterius. Ideo quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent, propter scandalum vitandum. Et hanc consequentiam, hac breui ratione confirmare possumus: Nullus debet peccare mortaliter, ut alterius peccatū deuitet: ergo quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent ad vitandum proximi scandalum. In spiritualibus tamen bonis quæ non sunt salutis necessaria, subdistinguendum est. Nam scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando: & hoc est scandalum Phariseorum, qui de doctrina Christi scandalizabatur, quod contemnendum esse docuit Christus Matthæi decimo quinto. Nonnunquam verò scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huiusmodi scandalum est pusillorum: propter quod spiritualia bona occultanda sunt, vel interdum differenda, vbi periculum non imminet, quousque reddita ratione cesset huiusmodi scandalum. si autem reddita ratione hoc duret scandalum & perseueret, iam videtur esse ex certa malitia, & propter huiusmodi scandalum, spiritualia bona non sunt deferenda, imò nec temporalia quorum homo est dominus, vbi similis occurreret hypothesis. Sunt etiam quædam bona temporalia, quorum non sumus domini, nobis tamen sunt ad conseruandum concredita, ut sunt bona Ecclesiæ prælati commissa, aut bona communia quæ publicis rectoribus & magistratibus administranda & tuenda committuntur. Et hæc non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec ea quæ nostræ salutis sunt necessaria, idcirco peculiari laudatione cōmendatur Thomas Cantuariensis, qui Ecclesiastica bona repetiuit, etiam cum scandalo regis Anglorum.

CAPVT XV.

Status merendi aut demerēdi solum est in hac vita.] Hanc statuemus Assertionem aduersus Lutherum, qui temerario iudicio & infano errore dixit, Animas in purgatorio existētes, posse adhuc mereri aut demereri. Verū ut hanc heresim firmissimo sacre scripture testimonio oppugnemus, in primo congressu, eo quod dicit Christus in Euangelio Ioannis de certabimus, Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est: venit nox quādo nemo potest operari. Hunc postremū locum edisserens Augustinus, dicit: Quid dicemus de nocte illa? quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit, nox ista eorum erit, quibus in fine dicitur: Ite in ignem eternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: sed nox dicta est, non flamma, non ignis. aa. iij.

Lyranus.

In Lutherū.

Ioan. 9.

Augustinus

Matth. 25.

Matth. 12. Audi quia & nox est, de quodam seruo dicit: Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores. Operetur ergo homo dum uiuit, ne illa nocte praeueniatur, ubi nemo possit operari, modo est ut operetur fides per dilectionem, & si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. audi promittentem, & ne arbitris absentem. Ipse dixit: Ecce ego uobiscum sum. **Quandiu?** Non sit in nobis sollicitudo, qui uiuimus: si fieri possit, de hac etiam uoce posteros qui futuri sunt securissimos faceremus. Ecce (inquit) ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Dies iste qui circuitu solis huius adimpletur, paucas horas habet: dies praesentiae Christi, usque in consummationem seculi extenditur. Post resurrectionem uero uiuorum & mortuorum, cum positis ad dexteram dixerit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, positus autem ad sinistram dixerit: Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, ibi erit nox, ibi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis. reddet enim dominus unicuique secundum opera sua, cum uiuis & mortuis sic facturus est. erit enim tunc nox valida quae inuoluet impios. Sed & modo omnis infidelis quando moritur, illa nocte suscipitur, & non est ut illic aliquid operetur. In illa nocte diues ardebat, & stillam aquae de digito pauperis requirebat: dolebat,angebatur, fatebatur, nec ei subueniebatur, & conatus est benefacere, ait enim Abrahæ, pater Abraham, mitte Lazarum ad fratres meos, ut dicat illis quid hic agatur, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. O infelix, quando uiuebas tunc erat tempus operandi, modo iam in nocte es, in qua nemo possit operari. Hæc ille. Hanc si intellexeris interpretationem, cognoscas manifeste damnatos (quibus perpetue noctis tenebræ ad sufferendum supplicium deputatæ sunt) non posse bene operari, nec etiam animas in purgatorio pro aliquo temporis interstitio degentes, posse bene agere & mereri. Nam ita concludit Augustinus: Operetur ergo homo dum uiuit. nec id diceret, si status merendi illis concederetur, qui hac uita defuncti sunt. Et paulo post subiunxit, Modo est ut operetur fides per dilectionem, sine qua nemo potest mereri. Constituit igitur deus nobis in hac uita ac temporanea peregrinatione, stadium quod feliciter & infeliciter decurrere possumus. Nec immerito dixit Iob, vitam hominis super terram esse militiam, ut postquam in hoc perdifficili agone aduersus carnem & demones strenue contederimus, ad uictricem palmam, ac immarcescibilem coronam perueniamus. Tum etiam idem Augustinus docet libro uno de cura pro mortuis gerenda, capite primo, Ecclesiam orare pro mortuis qui cum hanc agerent vitam, meruerunt Ecclesiae suffragia sibi applicari. Nec huic sententiae contrarium est, quod dicit Paulus ad Corinthios: Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, siue bonum siue malum: his uerbis Paulus ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem: non tunc quando iam recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem, quod si post hanc vitam existentes, in purgatorio mereretur, non dixisset Augustinus, qui cum hanc agerent vitam, meruerunt Ecclesiae suffragia sibi applicari. Et quia ratione possent in purgatorio mereri, possent etiam pro seipsis orare ut à poenis soluerentur, quod nemo sani iudicij dixit unquam. Adde quod Chrysostomus enarrans idem testimonium, quod iam ex Euangelio Ioannis protulimus, nostrae suffragatur assertioni. Quid (inquit) hoc significat? me oportet operari dum dies est. Quam habet consequentiam? Sanè magnum hoc est, donec dies est, dum licet hominibus in me credere, dum hæc durat uita laborandum est. Venit nox, hoc est futurum tempus, quando nemo potest operari. Non dixit, quando non potero operari, sed nemo potest operari. Id est quando non est amplius fides, neque labores, neque poenitentia. Quod enim opus fidem appellet, dicunt ei: Quid facimus, ut operemur opera dei? Respondet, hoc est opus dei, ut credaris in eum quem ille misit. Quomodo ergo hoc opus nemo potest tunc operari? quonia fides

non est, sed uelint, nolint omnes acquiescent ueritati. Et homilia uigesima seculi, ad populum, dicit: Post uitæ finem, nec meritorum sunt occasiones, sicut nec athletis post transacta certamina coronas adipiscendi. Nec ab hac euariat sententia Theophylactus, dicens in nonum caput Ioannis, de eadem difficultate: Opus enim fidem nominat, itaque in futuro seculo nullus potest credere. Nam dies quidem praesens uita est, eo quod possumus nunc sicut in die operari: quauis & Paulus hanc noctem nominet, eo quod in ea ignoretur, quis uirtutem uel peccatum operetur, & quod ad comparisonem futurae lucis minus circumfulgebat iustos: Nox autem futurum seculum, eo quod nullus illic poterit operari, quauis & Paulus hoc, diem uocet, eo quod tunc ut in luce refulgebunt iusti, & apparebunt uniuersuiusque facta. Itaque in futuro seculo fides non erit, sed & uoluntarij & inuoluntarij obediunt. Ad hæc, Origenes homilia tertia, in psalmum trigesimum sextum, exponendo locum illum: Nouit dominus dies immaculatum, & cætera, dicit: Potest etiam alio modo, in hoc loco profundior sensus aperiri. Dominus & saluator ait: Veniet nox quando nemo potest operari. Et hoc dicit de illo tempore, quod erit post hoc seculum, tempore quo unusquisque pro malis suis recipiet poenas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque tunc passitur ex operibus suis quae hic positus operatus est. Cum ergo nox fuerit, nemo operatur in illo tempore malo, cum peccatores supplicij affligitur, erit sine dubio famis his qui nullos fructus boni operis collegerunt: in illo autem famis tempore saturabuntur iusti ex fructibus, scilicet iusticia sua. Preterea Hieronymus enarrans quod dicit Ecclesiastes de mortuis, quorum memoria deletur obliuione. Sed & dilectio eorum & odium eorum, & zelus eorum iam periit, & pars non est eis adhuc in seculo in omni quod sit sub sole, ita de hac re scribit: **Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui uero nihil valent ad id adijcere quod semel secum tulere de uita, & obliuione obuoluta sunt omnia, iuxta illud quod in psalmo scriptum est. Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Sed & dilectio eorum & odium, & æmulatio, & omne quod in seculo habere poterunt, mortis finitur aduentu, nec iuste quippe possunt agere, nec peccare, nec uirtutes adijcere, nec uitia.** Et explicando, illum Pauli locum: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, ita scribit: **Tempus sementis, tempus est praesens, & uita quam currimus. In hac licet nobis quod uolumus seminare. Cum ista uita transferit, operandi tempus aufertur.** Unde & saluator ait: Operamini dum dies est, ueniet nox quando iam nullus poterit operari. Huic quoque applaudit sententia Theophylactus dicens in eundem locum: **Quemadmodum non semper ferendi tempus, ita nec merendi occasio semper offertur. Quod sanè & virginum illarum, & Lazari exemplo profertur. Quandiu autem nobis hac in uita suppetit ætas, non solum in preceptores, sed in gentiles ipsos & Iudæos, quae bona sunt operemur, hoc est beneficentia utamur & Eleemosyna. Insuper scribit Clithoueus, in Euangelium Ioannis, libro sexto, qui Cyrillo additus est: Dies, totum est uitæ nostræ quod hic uiuimus spatium, quo nobis datum est à deo operari ea, quae ad uitam aeternam consequendam conducunt. Nox uero tempus est, post mortem nostram corporalem futurum, in quo non licet cuiquam operari, neque contractas prius mortiferas abstergere sordes. Operepretium ergo est, quod beati Pauli consilium non segniter neque oscitantes audiamus, sollicitè nos admonentis: Dum tempus habemus, operemur bonum. Neque sapientis monita negligamus, id nostris auribus studiose inculcantis: Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Idem quoque rursum: Ante mortem confitere, uiuus & sanus confiteberis. Demum de mortuis dicit spiritus: Quod requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. Adde quod dicit Paulus ad Hebræos: Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis deus.**

Matth. 2.

Chryſoſto.



Tella quam viderunt Magi in oriente, non fuit vna caelestium stellarum. Hanc decerpimus Assertionem, ex Chryſoſtomo, homilia sexta, in Matthaeum, quam sanè non vulgaribus argumētis affirmat. Quod enim (inquit) nō vna fuerit hæc stella de pluribus, imò (vt ego arbitror) nec stella omnino, sed quædā inuisibilis virtus in specie syderis figurata, ab ipſo primū itinere monstratur. Non est enim stella, omnino non est, quæ per hanc cæli plagam, cursum tenere doceatur. sed siue dixeris solem, siue dixeris lunam, astraque cætera, ab oriente ferri omnia in occidentem videmus. Hæc verò à septentrione in meridiem stella veniebat. Sic enim secundum locorum situm Palestina spectabat ad Persidem. Secundo verò etiam de tēpore istud probari possibile est. Neque enim in nocte cernitur, sed lucente prorsus die, ac sole fulgente. Quam lucendi vim non modo stella nulla, sed nec ipsa quidem luna forſita est, quæ licet multo clarius omnibus coruscet astris, continuò tamen ortu solis absconditur: & quæ prius illustrabat omnia, sub multo clariore sydere vix ipsa conspicitur. Hæc verò stella ipsos etiam solis radios proprio quodam præcipuoque fulgore superabat, clarius illis profecto apprensus, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens. Tertio autem ab ipsa interpolatione lucēdi, stellæ huius nouitas indicatur. Nunc enim occultabatur omnino, nunc locò prorsus fulgore radiabat. Nam vsque ad Palestinam venientibus Magis, quasi dux itineris semper apparuit: cum verò Hierosolymam introissent, sese rursus abscondit. Deinde cum Herodi causam itineris indicassent, eoque relicto ad puerum pergerent adorandum, iterum se illis eadem stella monstravit. Hoc autem non agit motus syderis, sed virtus quadam plena rationis. Neque enim proprium quempiam illa tūc stella cursum tenebat, sed cum eos videret pergere, etiam ipsa pergebat: cum verò eos stare conspexerat, stabat, ad voluntatem prorsus viantium, & vtilitatem cuncta dispensans: sicut etiam illa quondam in Eremito, nubis columna, pro opportunitate rerum nunc stabat loco, nunc progrediens mouebat exercitum. Quarto etiam ab ipſo demonstrationis modo, facile istud lucidè que perspicitur. Non enim in excelsis constituta cæli, eum qui inquirebatur à Magis ostendit locum. neque enim sic discere illi aliquando potuissent, sed descendens, & inferiorem aeris partem tenens, istud effecit. Noctis enim, quia tam exiguum & humilem locum, ac breue tugurium quod (vt ita dixerim) corpusculum illud paruuli continebat, nequiverit de cælo stella monstrare. Neque enim tantā illius breuitatem loci, tam inæstimabilis altitudo designare potuisset, quod certe per facile à lunari potest orbe cognosci. Luna enim cum tam multis sit sublimius clara syderibus, in tam grandis latitudinem diffusa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur esse vicina. Quemadmodum igitur stella tam exiguum locum, tugurij scilicet atque præsepis ostendit, nisi sublime illud relinquens ad inferiora venisset, superque ipsum ferè caput pueri constitisset. Quod etiam Euangelista significans: Ecce (inquit) stella quam viderant in oriente, præcedebat eos vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Nempe consideras quantis ex rebus Euangelista doceat, quia non sit hæc stella de cæteris, neque secundum consequentiam Astrologiæ puerum ostēdat Astrologis. Cur igitur apparuit? Vt videlicet infidelitatem Iudæorum magis, magisque conuinceret, & ingratum omnem prorsus aditum excusationis obstrueret. Quia enim Christus adueniens veteri testamento erat sine daturus, vniuersum verò mundum ad se vocaturus adorandum, qui vtrique mari, terraque esset colendus, ab ipsis statim initijs natiuitatis ostium gentibus referat, & sic quoque domesticos cultores suos erudit, dū inuitat alienos. Quia enim audientes prophetas qui aduentum eius sæpe promiserant, parum attente eorū verba pensabant, à longinquis regionibus venire fecit & Barbaros, qui ab illis inquirerent regem, vt Persico primum sermone discerent, que prophetis nuntiantibus

Matth. 2.

discere noluerunt, vt si bonæ fuerint voluntatis maxima iuuentur occasione credendi: si verò contra manifesta contenderint, omni prorsus excusatione priuentur. Etenim non fuscipientes Christum post tantorum de illo testimonia prophetarum, quo tandem impietatem suam obducere calore potuissent, quādo viderent Magos vnius apparitione stellæ, & inquisisse Christum, & inuentum suppliciter adorasse: Quod igitur de Niniuitis fecit deus, mittens ad eos Ionam, quod in Samaritana atq; Chanana, hoc etiam fecit in Magis. Et idcirco dicebat: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quoniam illi quidem minoribus crediderunt, isti verò nec maximis. Et qua inquis ratione Magos per stellam duci ad Christum, & quoniam modo oportuit prophetas mitti potius, sed nequaquam Magi credidissent prophetis: aut voce aliqua desuper insonare. nec hanc quidem tantopere curassent. aut angelum mittere: verum hunc quoque forſitan præterissent. Propterea igitur omnia huiusmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem. Ingens itaque Magis, & clarum ostendit astrum, quodque plurimum ab his quæ spectamus syderibus discreparet, vt eis de magnitudine & de pulchritudine syderis, necnon etiā de ipsa nouitate cursum admirationem moueret. Hæc itaque Paulus imitando ab ara occasione sumpta cum gentibus disserit, ex domesticis in medium proferens testimonia poeris. Iudæis aliquandiu Christum absque interdicto circūcisionis annuntiat, & adhuc sub lege viuentibus à sacrificijs sumit initia doctrinæ. Quia enim vnusquisque consuetudinis suæ amicitia ligatur: & deus, & missi ab ipſo ad totius orbis salutem magistri, de ipſo cuiusque more gentis materias sibi assumunt dicendi. Ne igitur operis indignum quod Magi per stellam vocantur, hoc enim modo, omnēque ceremonias, omnesque ritus & sacrificia atq; purificationes, & Neomenias, & arcæ, templūque ipsum reprobabis. Siquidem hæc omnia originē à gentium ruditate traxerunt. Sed deus ob deceptorum salutem per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi demones ante coluerant, aliquandiu illa in medium inflectens, vt eos paulatim & à consuetudine sua reduceret, & ad philosophiam perduceret altiores. Hunc igitur ipsum dispensationis suæ morem seruauit in Magis, quos per stellæ apparitionem vocauit, vnde eos inde efficeret celsiores. Subſcribit & Chryſoſtomo Theophylactus edisserens illum Euangelij locū, Vidimus enim stellam in oriente, Quando (inquit) iudis stellam, ne ralem putes illam quales videmus, sed diuinam virtutem, & angelicam in figura syderis apparentē. Nam quoniā astrologi Magi erant, propterea dominus familiari eos signo adduxit: sicut Petrum piscatorem à multitudine piscium, ad nomen Christi venatus est, & stupeſcere fecit. Quod autem angelica virtus fuerit stella, manifestum ex eo, quod & in die refulserit, & ad motum Magorum se mouerit, & ad quietem eorum quieuerit. Quin & à septentrionali parte, quæ est Persidis, ad meridiem, in qua est Hierusalem, mouebatur: nunquam autem stella à septentrione ad meridiem vertitur. Nec ab istorum peritissimorum authorū iudicio discedere videtur Origenes homilia 18. super Numeros, disserens de stella quæ Magis in Oriente apparuit, de qua vaticinatus est Balaam, dicens: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel. Sed (inquit) mouet me, quod de ipsa stella, posteaquam dictum est in Euangelio, quia præcesserit Magos vsque in Bethleem, & veniens stetit supra vbi puer erat, vltra non sit dictum, quia vel discesserit inde, vel euauerit, vel assumpta sit, aut aliquid omnino de hoc narratio euangelica designauerit, sed hoc tantum dixerit, quia venit, & stetit supra vbi erat puer. Ne forte ergo sicut tempore baptismi cum baptizatus Iesus ascendit de Iordane, aperti sunt ei cæli, & vidit Ioannes spiritum dei descendentem quasi columbam, & manentem super eum, & audiuit vocem dicentem de cælo: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui: ita & stella hæc, quæ venit supra vbi erat puer, & stetit, in Christo similiter permansit, sicut & spiritus sanctus

Ionæ 3.
Ioan. 4.
Matth. 15.
Matth. 12.

Acto. 17.

Theophyl.
Matth. 2.Origenes:
Nume. 24.

Ioannis 1.

Matth. 3.

in specie columbæ venisse dicitur, & mansisse in eo: & sicut venisse spiritum dei super eum, & mansisse in eo, ita accipimus quod nunquam ab eo recefferit spiritus dei: ita & stella quæ venit & stetit super eum, accipiendum puto quod sic steterit super eum, vt nunquam inde mota sit. Et ideo deitatis eius indicium illam stellam fuisse opinor. Vnde & ordo prophetiæ hæc eadem consequenter ostendit, cum de deitate quidem eius dicit, Orietur stella ex Jacob: de humana vero natura, Et exurget homo ex Israel: vt in vtroque & secundum deitatem, & secundum humanitatem Christus prophetatus euidenter appareat. Augustinus libro 3. de Mirabilibus sacræ scripturæ, capite 4. existimat hanc stellam fuisse angelum vel spiritum sanctum, qui in specie stellæ Magos ad Christum deduxit. De ista (inquit) stella dubitatur vtrum stella simplex, an angelus, an spiritus sanctus accipiatur. Et si catholico sensui nihil repugnat, cum de singulis disputatum fuerit, arbitris maioribus eligendi liberam voluntatem ingenioli nostri mensura concederetur. Si enim simpliciter stellam accipiendam esse quis maluerit, à cæteris stellis in hoc ductu quomodo deuiavit: quarum natura ab initio condita in firmamento cæli constituta fuisse dignoscitur, sicut libri Geneseos autoritate manifestatur. Si ergo in firmamento cæli maneret inter Bethleem & Hierusalem, dux fieri ambulantiibus qualiter posset? Et si per aera sagittæ more, quamuis paulo lentiore cursu propter sequentes peruolaret, assuetum in firmamento locum & cursum interim desereret: quod nec maioribus quidem luminaribus accidisse scripturæ describunt, cum in signis aut steterunt, aut reuersa sunt, nisi forte aereus ille ignis, qui tale ministerium accepit, propter similitudinem (sicut in multis diximus) stellæ vocabulū accepit. Aut si angelus habitu stellæ hoc ministeriū fecit, quod non repugnat, dum se angeli quando se hominibus ostendunt, in multos transformant habitus. Quomodo & Moyse in Ore de rubo angelus ignita facie loquebatur: & velut miles armatus Iosue filio Nun, extra castra in Galgalis ostenditur. Sicut currum & equos igneos ascensione Helix angeli funguntur. Et quando Helix pueri sui oculos aperuit, in eisdem habitudinibus angeli manifestatur. In forma hospitiū Abraham & Loth conspectibus se præbuerunt: & Manue & vxor eius propheta habitu loquentem ad eos angelum viderunt. Nimirum & ista vice angelus dux Magorum efficitur, qui astrologis in stellæ similitudinem & clarissimi syderis fulgore transformatur. Licet enim per imaginem rerum, quæ Ioāni in Apocalypsi sua per visionem dicuntur, huic tamen intellectui non contrahat. Stellæ septem Ecclesiarum, septem angeli sunt: vnde quamuis in spiritu, dum tamen stellæ angeli dicuntur, quid repugnat si etiā in hoc loco stella angelus dictus esse sentiat? Vel certe si neque angelus, neque stella firmamenti, neque alius quispiam ignis hæc stella fuisse dignoscitur, spiritus ergo sanctus hæc stella fieri concedatur: qui sicut postmodum corporali specie columbæ descendit super Iesum dominum in Iordane: sic gentes adoratrices stellæ specie duxit ad cunabula domini nascētis in carne. De quo spiritu per parabolam Balaam astrologus loquebatur, Orietur stella ex Jacob, rutilum scilicet lumen spiritalis gratiæ Christi, qua nox infidelitatis gētium illuminatur. Sicut ergo in igne super apostolos postea in cœnaculo Sion descendit, ita in specie stellæ Magos ad dominum spiritus sanctus deduxit. Et libro 2. contra Faustum Manichæum, capite 5. patrocinando nostræ assertioni, dicit: Quapropter si stella illa ex ijs erat quæ in cælo peragunt ordines suos, quomodo poterat decernere quod natus Christus acturus erat, quæ nato Christo iussa est relinquere, quod agebat? Si autem (vt probabilius creditur) ad demonstrandum Christum quæ non erat, exorta est: non ideo Christus natus est, quia illa extitit, sed ideo illa noua exorta est, quia Christus est. Rursum Sermone 3. de Epiphania domini, scribens de virtute & excellentia eiusdem stellæ, inquit: Quid erat illa stella, quæ nec vnquam antea inter sydera apparuit, nec postea demonstranda permansit? Quid erat, nisi magna lingua cæli, quæ narraret gloriam dei, quæ inusitatum virginis partum

Augustinus

Genes. 1.

Exodi 3.

Apocal. 1.

Actorum 2.

nusitato fulgore clamaret, cui non postea apparenti Euangelium toto orbe succederet? Existimat Glossa ordinaris in secundum caput Matthæi, Christum puerum hanc insignem stellam dominicæ natiuitatis nuntiā, tunc creasse, quæ mox peracto officio desijt esse. Arbitratur & Lyranus ortum nouæ stellæ apparentis, fuisse signum Christi nascentis: & ideo in hora natiuitatis Christi apparuit stella noua in orientali terra, vbi quondam habitauit Balaam. Magi autem videntes nouam stellam, cognouerunt diuinam inspiratione illam esse quæ prædicta fuerat per Balaam. Sæctus Thomas in tertia parte suæ summæ, quæstione 36. art. 7. dicit: Probabilius videtur quod fuerit stella de nouo creata, non in cælo, sed in aere vicino terræ, quæ secundum diuinam voluntatem mouebatur. Vnde Leo papa dicit in sermone Epiphaniæ: Tribus Magi in regione orientis, stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus in se intuentium oculos animōque conuerteret, vt confestim aduerteretur non esse oriosum, quod tam insolitum videbatur. Qui dicunt illam stellam non fuisse vnā earum quæ sunt in firmamento cæli, imò nec omnino stellam, sed angelum, aut spiritum sanctum, aut quandam virtutem cælestem, ijs qui volunt suadere fuisse veram stellam, eo quod dicebant. Magi, Vidimus stellam eius in oriente, responderet nomine stellæ appellari quam virtutem, quæ in specie syderis figurabatur. Nihil tamen verat dicere Christum produxisse quandam nouam stellam ab ijs quæ sunt in firmamento cæli diuersam, quæ etiam effulsit in die, & qua duce Magi ad cunabula Christi peruenerunt. Hanc autem stellam potuit deus pro animi sententia à septentrione versus meridiem, aut ab occidente versus orientem mouere. Nec Magi viderunt stellam illam in oriente, quod ipsi in oriente positus stella apparuerit existens in terra Iudæa, sed quia viderunt eam in oriente existētem, & præcessit eos vsq; in Iudæam.

CAPVT XVII.

Sensus literalis librorum canonicorum, solus est efficax ad reuincēdos hæreticos. Hanc deducemus Assertionem ex sacris doctoribus. Augustinus in epistola ad Vincentiū, de Vi corrigendis hæreticis, dicit: Quis autem non impudētissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorū lumine illustrentur obscura? His verbis innuere vult Augustinus allegoriam non satis habere virium ad suffulciendum aut destruendum aliquod dogma, nisi innitatur historia & apertis simis rerum diuinarum testimonijs, quorum lumine & intelligentia quæ sunt obscura illustrantur. Et lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 7. loquēs de quatuor paradisi fluminibus, nos monet vt in tractandis sacris literis primum ad proprietatem literæ inspiciamus. At nunc (inquit) cum primitus proprie res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur nō potius auctoritatem scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res vere gestas prius intelligētes, tum demum quicquid aliud significant perscrutantes? Idem libro 11. eiusdem operis, capite 1. differens de expulsionem primi hominis à paradiso voluptatis, dicit: Antequam huius propositæ scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendū arbitror quod iam me & alibi in hoc opere memini prælocutum, illud à nobis esse flagitandum, vt ad proprietatem literæ defendatur quod gestum narrat ipse qui scripsit. Si autem in verbis dei, vel cuiusquam personæ in officium propheticum assumptæ dicitur aliquid quod ad literam nisi absurde non possit intelligi, proculdubio figurate dictum ob aliquam significationem accipi debet, dictū tamen dubitare phas non est: hoc enim à fide narratoris & pollicitatione expositoris exigitur. Tum etiam Hieronymus pertractans parabolam illam de fermento à muliere abscondito in farina satis tribus, postquam recensuit quorundam expositionem enarrantium parabolam de Trinitate personarum & vnitatem essentia, hæc subnectit verba: Pius quidem sensus, sed nunquam parabola & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere. Et differendo quod habetur in

Glos. Ordin.

Lyranus.

Thomas.

Leo papa

Augustinus

Hieronymus
Matth. 13.

Amcs 2. prophetia Amos: Hæc dicit dominus, Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem, ostendit sensum literalem sacre scripturæ esse regium & firmissimū: Iudæi (inquit) transferunt intelligentiam spiritalem in carnes Idumæas, sensumq; regium qui versatur in litera, & est solidissimus atq; firmissimus, genealogijs quibusdam & traditionibus superfluis eneruat atque comminuunt, & in puluerem redigunt, & non solum illi hoc faciunt, sed omnes hæretici, qui volunt in modum humane similitudinis sedere deum in folio excelso & eleuato, & pedes ponere super terram ne scilicet pendeant: habere nasum, quo odoretur odorem bonæ fragrantia: oculos, quibus videat: manus, per quas operetur: pedes, per quos ambulet: aures, quibus audiat: os, quo loquatur: dentes, quibus cibos conterat. Adde quod Lyranus in secundo Bibliorum prologo, dicit omnes sacre scripturæ sensus alios ab historico, præsupponere sensum literalem, tanquam fundamentum. Idcirco sicut ædificium declinans à fundamento, disponitur ad ruinam, sic expositio mystica discrepans à sensu literali, reputanda est indecens & inepta, vel saltem minus decens, & minus apta: & ideo volentibus proficere in studio sacre scripturæ, necessarium est incipere ab intellectu sensus literalis, maxime cum ex solo sensu literali, & non ex mysticis possit argumentum fieri ad probationem vel declarationem alicuius dubij. Eiusdem est sententiæ sanctus Thomas in prima parte sue summæ, questione 1. articulo 10. ad primum argumentum. ¶ Adnotare licebit, nos posse multiplici via scrutari sensum literalem, vt abunde docet Alphonsus à Castro libro 1. aduersus hæreses, capite 3. aliquando ex nuda ipsarum vocum significatione: aliquando non ab ipsis vocibus, sed à re vocibus significata. Non enim fieri potest, vt semper iuxta primam vocum significationem sensus literæ capiatur. Alioqui multa absurda & quæ piæ aures horrerent, reperirentur in sacris literis, qualia sunt omnia illa quæ videntur deo tribuere membra corporalia: aut cum deus dicitur agnus, leo, petra, vitis, vermis, & id genus plura, quæ omnia dicit Christus per similitudinem, non autem per proprietatem. Et vbiunque metaphora, aut translatio, aut figurata aliqua locutio inuenitur, ibi non est dicendus is sensus literalis quem voces prima significatione exprimunt: sed is qui deducitur ex similitudine, quam res vocibus significata cum alia re habet, qualia sunt multa in nostra communi locutione: vt si voracem aliquem appellare volueris, lupum dixeris: si auarum, talpam: non quod hæc sint vere, sed magis illa quorum dicuntur istæ similitudines. Vnde dicit Augustinus libro tertio, de Doctrina Christiana, capite 5. In principio cauendum est, ne figuratam locutionem, ad literam accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait 2. Corin. 3. Apostolus: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors anime congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est intelligentia, carni subijcitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur refert ad aliam significationem: sed si sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur: & cum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum terrenisq; fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Et capite 10. eiusdem operis, de eadem re ita scribit: Huic autem obseruationi qua cauemus figuratam locutionem, id est translata, quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur prius modus inueniendæ locutionis, propriae an figuratae sit. Et iste omnino modus est, vt quicquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referrî potest, figuratum esse cognoscas: morum honestas ad diligendum deum & proximum, fidei

veritas ad cognoscendum deum & proximum pertinet. Hæc ille. Cum ergo iam constiterit de locutione figurata esse, hoc cauendum est, ne præscriptum esse putetur, vt quod semel res aliqua per quandam similitudinem significauerit, hoc eam semper & in omni loco significare credatur. Vna siquidem & eadem res, multis proprietatibus gaudet, propter quas plurium rerum similitudinem ac ideo significationem gerit: quo fit vt eadem res aliquando diuersa, aliquando opposita representet propter diuersas proprietates in ea repertas, per quas non tantum diuersis rebus, verum etiam oppositis, similis inuenitur. Leo enim propter constantiam & fortitudinem, Christum representat, vt ibi: Vicit leo de tribu Iuda. Idem & propter voracitatem, demonem significat, vt apud Petrum: Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Ille igitur (vt quæ diximus ostendunt) sensus est historicus siue literalis, quæ voces, aut res vocibus expressæ, significant. Nec tamē omnis talis, sed ille solus quem spiritus sanctus intendit, qui est verus canonicorum librorum author. Nec expetendus est, neq; requirendus literæ sensus germanus, nisi ille quem scriptor intendit. Ille siquidem verus est vocis sensus, quæ vocis prolator per eam intelligi voluit. Scripturis enim perinde ac vocibus, affectus nostros ac cogitatus testatur. Cū ergo spiritus sanctus sacre scripturæ sit author, ille pro vero eiusdem scripturæ sensu haberi debet, qui à spiritu sancto intenditur. omnis autē alius adulterinus est, aut nothus. Vnde Hieronymus differens in 5. caput Pauli ad Galatas de Operibus carnis, quorum numero hæresis inscribitur, quæ ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisq; eligat disciplinam, quam putat esse meliorem, dicit: Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus sancti flagitat quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est, eligens quæ peiora sunt. Hæc illē. Ceterū de sensu parabolarum, qui eum intra literalem circumsepere voluerit, non ab re faciet: si autem nollet, non obsto. Verū circa parabolas ipsas quarum frequens est vsus in Euangelijs, hoc admonendum censui, quod sic accipiendæ sunt, non vt essent, sed vt esse possent: vt cum gratia exempli dicitur, Simile est regnum cælorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios. Quod si forte nusquam id contigit, vt per illas easdem temporum vicissitudines iret atque rediret paterfamiliâs, otiososque quos semper inueniebat, in vineam suam mitteret, id tamē fieri potuisse nihil prohibet, quod factis est parabola. Sed quoniam sæpenumero cōtingit vt eidem literæ plures accommodentur sensus literales, seclusis alijs qui de mystica rerum significatione hauriuntur: hoc casu cauendum est, ne vllus eorum rejiciatur, dummodo ex alijs sacre scripturæ locis testimoniū habeat, voces illas alicubi id quod nunc eis tribuitur significare: & sensus qui ex tali vocum significatione illi literæ accommodatur, si veritati fidei catholice minime obstat, vterque eorum tanquam germanus & verus literæ sensus censebitur. Quid enim obstat, scripturam sacram esse adeo fertilem, vt binos foetus edat? Sic enim de Ecclesie doctoribus qui sciunt quantumlibet abstrusos literæ sensus eruere, mystica significatione dicitur: Dentes tui sicut greges tonfarum, quæ ascenderunt de Iaiacro omnes gemellis foetibus, & sterilis non est inter eas. Hoc autem testimonio beati Augustini comprobatur libro tertio de Doctrina Christiana, capite 27. vbi ita scribit: Quando autem ex eisdem scripturæ verbis, non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si later quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum cōgruere veritati ex alijs locis sanctarum scripturarum doceri potest, id tamen eo conante qui diuina scrutatur eloquia vt ad voluntatē perueniatur authoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus, siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis quæ fidei rectæ non refragatur exculpat, testimonium habes à quocunque alio loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe author in eisdem verbis quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certe dei spiri-

Apocal. 5.
1. Petri 5.

Hieronymus

Matth. 20.

*Plures sensus
literales*

Cantic. 4.

Augustinus

tus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occurrurã lectori vel auditori, sine dubitatione præuidit: imò ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixæ, prouidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius & yberius potuit diuinitus prouideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligentur modis, quos alia non minus diuina constantia faciant approbari? Hæc ibi. Scire te velim sacra scripturæ intelligentiam quatuor admittere sensus: Literalem, quem historicum dicimus (est enim historia quæ res gestas loquitur): Allegoricum, quo aliud ex alio trahitur, & aliud habet in verbis aliud in sensu: Tropologicum, quo figuratiuæ locutiones exprimentur: & Anagogicum, quo de cælestibus differentes ad superiora ducimur: gratia exempli, Si de Hierosolyma tractare velimus, dicimus iuxta historiam esse quandam ciuitatem in Iudæa sitam. Iuxta allegoriã ex nominis interpretatione, dicimus significari Ecclesiam, propter nimiam pacem in ea existentem, quam Christo nato angeli nuntiarunt, & quam Christus moriens discipulis obnixè cõmendauit. Secundum tropologiam significat animam cuiuslibet iusti, cui bestia vitiorum pacificæ sunt, ut iam nihil sit in quo eum accuset cõscientia, sed in pace sit tabernaculum eius, ut ait Iob. Denique iuxta anagogiam designat supernam illam Hierosolymam matrem nostram, quæ (teste Paulo) libera est, cuius pax tâta est, ut exuperet omnem sensum. Sciscitabitur quispiam, An sacra scriptura iuxta literam semper stare possit. Et probat Hieronymus id fieri non posse, libro primo aduersus Iouinianum, de Populo Israelitico, qui cum venit in Galgala, ibi secundo est circumciscus: quod si iuxta literam accipimus, penitus stare non potest. Si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula iterum nasceretur, recte secunda circumciscio haberet locum. Nunç autem hoc significatur quod Iesus cultello Euangelij, populum qui per desertum venerat, circumciscit: & circumciscit cultello perri- no, ut quod in Moyfi filio præfigurabatur ante in paucis, id sub Iesu duce impletur in cunctis. Asserit etiam Origenes homilia septima super Genesim sensum historici in sacris literis deficere plerumque: In multis (inquit) defectum patitur historialis intelligentia. Dicit tamen sanctus Thomas in questione iam citata, ad tertium argumentum decimi articuli, sensu literali sacra scripturæ nunquã posse falsum subesse. Cuius sententiæ subscribendo, dicemus Hieronymum & Origenem id intellexisse spectando illud genus sensus literalis, quo vox proprie rem ipsam significat, & hoc est presse & strictim considerare sensum literæ, non namẽ eam rationem sensus literalis, qua vocibus quidpiam figuratiue significatur. Nam in sensu literalis aliquid vocibus significatur proprie, & aliquid figuratiue. Nec est sensus literalis ipsa figura, sed id quod est figuratũ. Cum enim scriptura nominat dei brachium, est sensus literalis, non quod in deo sit corporeum mẽbrum, sed id quod membro significatur, scilicet virtus operatiua. Secũda igitur illa circumciscione, significatur & figuratur quod Iesus cultello Euangelij, populum qui per desertum venerat, circumciscit.

Luca 2.
Ioan. 14.

Iob 5.
Galat. 4.
Philip. 4.

Hieronymus
Iosue 5.


Origenes.

FINIS DECIMISEPTIMI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XVIII.

CAPVT I.



Rinitatis mysteriũ fuit in baptismo Christi demonstratum. Hanc Assertionem ex euangelicis scripturis decerpimus. Cum Christus à Ioanne baptizatus in Iordane, confestim ascendisset de aqua, aperti sunt cæli, & vidit spiritum dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Euangelica hæc philosophia nobis planè facit fidem mysterij trinitatis. Nam filius dei baptizatur, & magna humilitatis virtute (quam nobis imitandam reliquit) se baptismati Ioannis submit. Spiritus sanctus in specie columbæ descendit de celo, & super caput Christi quieuit. Pater de suo filio fidele dat testimonium, & eius vox audita est, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hieronymus hæc enarrans, dicit: Mysterium trinitatis in baptismo demonstratur, dominus baptizatur, spiritus descendit in specie columbæ, patris vox, testimonium filio perhibentis, auditur. Aperiuntur autem cæli non reueratione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui, apertos eos esse commemorat. Sedit quoque columba super caput Iesu, ne quis putaret vocẽ patris ad Ioannem factam, non ad dominũ. Huic quoque accedit sententiæ Chryostomus in homilia de Principijs Euangelij secũdum Marcum, dicens: Videte mysterium, ad Ioannẽ Baptistam venit primum Iudæa, & Hierosolyma: dominus noster initium Euangelici baptisimi, & legis sacramenta commutauit in Euangelij sacramenta: non venit de Iudæa, non venit de Hierosolyma, sed venit de Galilæa gentiũ. Iesus à Nazareth Galilæa. Nazareth interpretatur flos: flos venit ex flore, & baptizatus est in Iordane à Ioanne. Grandis misericordia, qui peccata non fecerat, baptizatur quasi peccator. In baptismo domini omnia peccata dimittuntur, sed quasi præmium quoddam & baptisimi domini saluatoris, ceterum vera remissio peccatorum in Christi sanguine est, in trinitatis mysterio. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos. Hoc totum quod scribitur, nobis scribitur: ergo antequam baptismum accipiamus, clausos habemus oculos, cælestia non videmus, & spiritũ tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso, & vox facta est de celo, Tu es filius meus dilectissimus, in quo cõplacui. Iesus Christus baptizatur à Ioanne, spiritus sanctus descendit in specie columbæ: pater de cælis dat testimonium. Videte Arriani, videte hæretici, & in baptismo Iesu, mysterium trinitatis est: Iesus enim baptizatur, spiritus sanctus descendit in specie columbæ, pater de celo loquitur, vidit apertos cælos. Quando dicitur vidit, ostẽditur quod alij non vidissent: neque enim omnes videant apertos cælos. Denique & Ezechiel quid dicit in principio suo? Er factum est (inquit) cum sederẽ secus fluuium Chobar in medio captiuorum, vidi (inquit) apertos cælos. Ego vidi, ceterum alij non videbant. Ne quis putet cælos simpliciter & carnaliter apertos, nos ipsi, qui modo hic sedemus secũdum diuersitatẽ meritõrum, aut apertos videmus cælos, aut clausos: plena fides apertos habet cælos: ceterum dubia, clausos. Denique nobis non deerit Ioannis patrocinium, dicentis de illo qui intinxit Christum aqua baptisimi, Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de

Matth. 3.

Hieronymus

Ezech. 1.

Chryostomus

Ioan. 1.

caelo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Quis, nisi caecutiatur, & in plano lumine oberret, ex his non animaduertet ineffabile trinitatis sacramentum ac mysterium exprimi? Quis ille est praeter patrem si exacte contextus narratione explicare voluerimus, qui Ioanni reuelauit, Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto? Aliae autem duae personae diuinae hic innotescunt etiam clarissime. Augustinus huiusce historiae sententiam explicando, dicit: Ecce columba descendit super dominum, & super dominum baptizatum, & apparuit ibi sancta illa & vera trinitas, quae nobis vnus deus est. Ascendit enim dominus ab aqua, sicut in Euangelio legimus: Et ecce aperti sunt caeli, & vidit spiritum descendentem velut columbam, & mansit super eum. Et statim vox coelestis est: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Apparuit manifestissima trinitas: pater in voce, filius in homine, spiritus sanctus in columba. In trinitate ista, quo missi sunt apostoli, videamus quod videmus, & quod mirum est, quia illi non vident: non enim vere non vident, sed ad id quod facies eorum ferit, oculos claudunt. A quo missi sunt discipuli, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti? ab illo de quo dictum est: Hic est qui baptizat. Dictum est enim ministris, ab eo qui sibi tenuit hanc potestatem. Hoc enim in illo vidit Ioannes, & cognouit quod non nouerat: non quia eum non cognouerat filium dei, aut eum non nouerat dominum, aut non nouerat Christum, aut vero & hoc non nouerat, quia ipse baptizatus esset in aqua, & Christus in spiritu sancto? Nam & hoc nouerat, sed quia non ita ut sibi teneret potestatem, & in nullum ministrorum eam transferret, hoc est quod didicit in columba. Et sermone 63. de Verbis domini, differens de manifesta ostensione trinitatis in baptismo Christi, dicit colligendo ex testimonio Matthaei iam citato: Habemus ergo distinctam quodammodo trinitatem, in voce patrem, in homine filium, in columba spiritum sanctum. Tum etiam Cyrillus eundem edidit rens locum, dicit: Quonia eum nesciuisse in superioribus dixerat, idcirco nunc laetius diuinum illud denudat mysterium. Nam & modum quo didicit, quod ignorauerat, & docentem deum patrem ostendit: ita varijs multisque vijs auditorum animum ad veritatem inducit. Cum enim a deo patre didicisset se mysterium ait, refragari deos vniuersos ostendit, qui magno consilio patris se opponentes, paruum praedicationi suae fidem adhibeant: ita manifeste ac commode ad suscipiendum saluatorem omnibus persuadere conatur, praesertim cum spiritum etiam se vidisse testetur in columbae signo descendisse, & mansisse in Christo. Ad haec, se ipsum audisse affirmat ab eo, a quo missus ad baptizandum in aqua fuit, illum esse qui spiritum baptizat, in quem descendet, & in quo manebit spiritus sanctus. Dignus certe fide testis hic est, nouum atque inauditum signum, & is qui haec dixit atque ostendit Baptista, pater & deus omnium est. Adde quod Chrysostomus in explicatione eiusdem loci, dicit: Vides ad hoc venisse spiritum, ut Christum ostenderet. Non erat Ioannis suspectum testimonium, nihilominus, ut id probabilius faceret, ad deum & spiritum sanctum relegauit. Cum enim rem tam magnam & admirabilem dignamque quae omnes in admiratione conuerteret, testificaretur, videlicet quod vniuersi orbis terrarum solus peccata auferret, & ad tantam multitudinem ablutionem diuini muneris magnitudo sufficeret, huiusmodi iam sententiam confirmat. Confirmatio autem est quod filius dei sit, neque baptismo indigeat, & quod idcirco spiritus descendit, ut eum duntaxat manifestaret. Non enim erat Ioannis dare quod ab eo baptizati significabant cum dicerent: Sed neque si spiritus sanctus est, audiimus. Non enim baptismo Christus, neque illo, neque alia re, sed baptismo Christi indiguit gratia. Hoc enim fons & caput omnium bonorum relinquebatur, ut scilicet qui baptizarentur, digni essent spiritu sancto. Hanc igitur

Augustinus

Cyrillus.

spiritus satisfactionem aduentu suo impleuit, & testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quod vidi spiritum descendentem, quasi columbam de caelo, manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Frequenter hac vitur particula, Nesciebam eum. Quana gratia? Et cognatione iunctus erat secundum carnem: Ecce enim (inquit) Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium. Ne igitur videretur ad voluntatem loqui eius cognationis gratia, inquit: Nesciebam eum, & merito sancti: qui in deserto extra paternam domum a pueris versatus erat, quid mirum si Christum nesciebat, antequam spiritus descenderet? Quod si ante baptismum eum cognouit, prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari. Hoc enim signum erat certissimae cognitionis, non tamen multo ante tempore eius notitiam habuit. Nobis quoque fauet Ambrosius libro vno de ijs qui mysterijs initiatur, capite quarto, dicens: Iste est ergo qui expectabatur ut descenderet, de quo dixit deus pater ad Ioannem Baptistam: Super quem videris spiritum descendentem de caelo & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. De quo testificatus est Ioannes, dicens: Quia vidi spiritum descendentem de caelo quasi columbam, & manentem super eum. Et hic quare spiritus quasi columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres columbam etiam illam quam Noe iustus emisit ex arca, istius columbae speciem fuisse, ut typum agnosceres sacramenti? Et fortasse dicas: Cum illa vera columba fuerit quae emissa est, hic quasi columba descenderit, quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem: eum secundum Graecos in specie columbae super aquam diuinitatis spiritum descendisse sit scriptum? Sed quid tam verum quam diuinitas, quae manet semper? creaturae autem non potest veritas esse, sed species quae facile soluitur atque mutatur. Simul, quia eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Vnde & dominus ait: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Merito ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitate columbae habere debere. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus & de Christo, Et specie inuentus ut homo: & de patre deo, Neque speciem eius vidistis. Et capite quinto eiusdem operis ostendens nos debere in baptismo aequaliter credere in patrem, filium, & spiritum sanctum, dicit: Estne adhuc quod dubitare debeas, cum euidenter tibi clamat in Euangelio pater, qui ait: Hic est filius meus in quo complacui? Clamet filius super quem sicut columba se demonstrauit spiritus sanctus. clamet & spiritus sanctus, qui sicut columba descendit: clamet: Dauid: Vox domini super aquas, deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas.

CAPVT II.

Trininitas incomprehensibilis, simul operata est redemptionem hominis. Priorem huiusce Assertionis partem ex sacris literis deducemus. & in primis quod maxime ad huiusce rei probationem conducit, adferemus: Dicit Christus in Euangelio Matthaei, Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. His verbis indicat Christus nullam creaturam rationalem perfecte & exacte cognouisse patrem, quae tamen perfectissime cognoscitur filius & spiritus sanctus, eiusque naturam & diuinitatem comprehendunt, nec quis vnquam praeter patrem & spiritum sanctum, perfectam habuit filij notitiam. Quod si Christus sua benignitate & suorum munerum largitate, cuiuspiam sui patris cognitionem impartitur, eique patrem a quo genitus est reuelet, id non ostendit quempiam sua natura, suoque ingenio nactum esse patris cognitionem: & licet Socrati reuelaretur pater, non tamen Socrates quicquid est in patre caelesti comprehendit, imò quod maius est, nec anima Christi omnibus scientiae & virtutum dotibus illustrata: quia non intellexit deum omnibus modis quibus intelligi potest. Enarrans Hieronymus illa Christi verba, dicit: bb.j.

Ambrosius.

Gene. 8.

Matth. 10.

Philip. 2.

Ioan. 5.

Psalmo 29.

Matth. 11.

Hieronymus⁹ Erubescat Eunominus tantam sibi notitiam patris & filij, quātam alterutrū inter se habeant iactans. Quod si inde contendit, & suam insaniam consolatur, quia sequitur, Et cui voluerit reuelare: aliud est naturæ æqualitate nosse quod noueris, aliud reuelantis dignatione. Hæc ille. Despiebat vehemēter Eunominus sibi vendicans eam perfectam patris & filij cognitionem, quam de seipsis habent pater & filius. Licet enim gratia reuelantis cognosceret patrem, non tamen posset suis viribus consequi perfectissimam patris cognitionem. Eundem Matthæi locum deserens Chrysofomus, ostēdit nos non posse deum & ipsam trinitatem exacte ac perfecte cognoscere: Quoniam (inquit) multi turbabantur, Christum appellantes antitheum: propterea tam signis quā doctrina hæc eorum opinionem destruit. Cum autē dicit à nemine patrem nisi à filio cognosci, nō dicit ab omnibus deum ignorari, sed nō cognosci ea cognitione ab alio qua ipse cognoscit, quod pariter de filio quoque dicendū est: non enim de ignoto quodā deo, cuius nulla vnquā habita sit cognitio, hæc dicit, vt quod Marcio asserit: sed exquisitā, perfectāque cognitionē hic intelligit. Nam nos quidē nec filium perfecte cognoscimus, quod Paulus scribit, dicens: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. ¶ Vnum hic diligenter attendas velim, Hanc argumentationem esse inualidam, quæ tamen apparet: Solus filius nouit patrem, ergo spiritus sanctus non nouit patrem. Licet hæc sit valida, Solus pater generat, ergo filius non generat, nec spiritus sanctus. Et ratio est, quia dictio exclusiua personæ diuinæ addita in essentialibus, non excludit aliam personam, licet excludat in notionalibus: sed cognoscere in diuinis, est quid essentialis siue actus essentialis, eo quod tribus personis cōpetit: idcirco cum additur filio, non excludit spiritum sanctum: sed generare est actus notionalis, eo quod non cōuenit tribus personis, sed duntaxat vni, scilicet patri: idcirco cum iungitur patri, excludit filium & spiritum sanctum. Eodem Euangelij testimonio quod nuper adduximus, probat Damascenus libro 1. suæ Theologiæ, cap. 1. Diuinitatē esse incomprehensibilem. Cæterum spiritus sanctus ita nouit ea quæ dei sunt, vt spiritus hominis ea nouit quæ in illo sunt. Post diuinā itaque beatissimāque naturam, nullus vnquā deum nouit, nisi cui ipse reuelauerit, non hominū modo, sed ne supramūdanarum quidem virtutum: supramūdanarum aio, vt ipsorum Cherubim atque Seraphim. Hinc perspicis quod licet euāgelicus sermo dicat nullum nouisse patrem nisi filium, & ediuerso, Damascenū non exclusisse à cognitione patris & filij spiritū sanctum, quin potius inclusisse, vt qui eiusdē cum patre & filio sit substantiæ, sapientiæ, & scientiæ. Nempe cum proprietates cōmunes & ad diuinā spectantes naturā vni cuius attribuuntur personæ, propter substantiæ inseparabilitatem, naturæque & naturalium omnium cōmunionem, alijs non expressis personis itidem cōpetere, intelligendæ sunt, quod in huiusmodi vna (quælibet illa fuerit) nominata, cæteræ cointelligantur. Si enim spiritus hominis ea nouit quæ sunt in homine, longe valētore iure spiritus sanctus ea nouit quæ dei sunt: quare nō minus cæteris personis patrem & filium noscere existimādus est. Siquidē spiritus omnia scrutatur, etiā profunda dei. Sanè Paulus cōsimili ratione cōprobat solum deum perfectam absolutamque sui ipsius notionē habere, ne angelicis quidē spiritibus cōcessam, & mortalibus itidē omnibus negatam, cum dicit: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ sunt dei, nemo cognouit, nisi spiritus dei. Manet itaque dei secretum spiritibus omnibus cum humanis tum angelicis abstrusum. Suppetūt & nobis alij sacre scripturæ loci ad suffulciendum eandem veritatē. In libro Sapientiæ scriptum est, Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quæ in cælis sunt autem, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiā, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis? Dicit etiam Esaias: Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere mōtes, & colles in statera? Quis adiuuit spiri-

tum domini? aut quis consiliarius eius fuit? & ostendit illi? Hoc autē vsus est testimonio Paulus in epistola ad Romanos, vbi dicit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quā incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Et huic cohæret sententiæ quod scribit Ecclesiasticus, dicens: Sapientiā dei præcedentem omnia, quis inuestigauit? Sed quis nescit Augustinum in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, capite sexto, ostendere satis plene trinitatem esse incomprehensibilem? Vide (inquit) quā nō altum sapiebat, sed in simplicitate cordis deum nosse quærebat ille humilis Dauid, qui in vno lapide, superbam frontem deiecit Goliath. Vide quā non alte sapiebat, considerauit enim quid in seipso ageretur, considerauit animam suam, inspexit fabricam, discussit se intus quid esset, & ex qua parte istam tam pulchram molem gubernaret, atque in vasculo luteo quo modo habitaret anima plena tantis thesauris sapientiæ, & scientiæ, & prudentiæ, vbi illic essent tanta, tam pretiosa, tam grandia, quæ loca anima obtineret, in qua nullus est locus, atque ex vno fonte quomodo procederēt singulæ virtutes sine diminutione & exeuntis & profunditatis. vidit hæc, cōsiderauit hæc, voluit, nec valuit comprehendere se: & exclamauit deo, dicens: Mirificata est scientia tua ex me: inualuit, & non potero ad illam. Hoc fuit dicere: Quando te possuimus comprehendere tam magnum, qui meipsum non valeo explicare extremum & paruum? Vide & alium humilem requirentem modulū suæ infirmitatis, & non excedentem, superbos ad humilitatem inclinātem: Arenam (inquit) maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profunditatem abyssi quis mensus est? Sapientiam dei præcedentem omnia quis inuestigauit? Ecce propheta dicit: Imò ipse dominus qui loquebatur per prophetam, quod sapientiam dei nullus inuestigauit: Christus est enim dei virtus & dei sapientia. Nullus secundum diuinitatem potuit inuestigare sapientiam, quia secundum id quod filius natus est de patre, sine aliqua matre, natiuitatem eius quis enarrabit? ¶ Posteriorem assertionis partem ex eodem doctore desumpsimus, qui libro decimotertio de Trinitate, capite vndecimo non vulgari ratione probat tres personas simul effecisse redemptionem hominis. Si enim pater traderit proprium filium suum pro reparatione generis humani, nec ei pepercerit, vt nos à dura diaboli seruitute liberaret, plurimum certe contulit pater, vt eius filius suo sanguine nos redimeret: & cum opera trinitatis sint indiuisa, nec quicquam operetur pater circa creaturam quin idem efficiat spiritus sanctus, non defuit nobis spiritus sancti patrocinium, vt à laqueis dæmonum eriperemur. Quid est (inquit Augustinus) iustificari in sanguine ipsius? Quæ vis est sanguinis huius obsecro, vt in eo iustificentur credentes? Et quid est, Reconciliati per mortem filij eius? Itane vero cum irasceretur nobis deus pater, vidit mortem filij sui pro nobis, & placatus est nobis? Nunquid ergo filius eius vsque adeo nobis tam placatus erat, vt pro nobis etiam dignaretur mori: pater verò vsque adeo adhuc irascebatur, vt nisi filius pro nobis moreretur, non placaretur? Et quid est quod alio loco idem ipse doctor Gentium: Quid (inquit) ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Nūquid nisi iam placatus esset pater, proprio filio non parcens pro nobis eum traderet? Nonne videtur hæc illi velut aduersa esse sententiæ? In illa moritur pro nobis filius, & reconciliatur nobis pater per mortem eius. In hac autem tanquam prior nos dilexerit pater, ipse propter nos filio nō parcat, ipse pro nobis eum tradidit ad mortem. Sed video quod & antea pater dilexit nos, non solum antequā pro nobis filius moreretur, sed antequā conderet mundum, ipso teste Apostolo, qui dicit: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionē. Nec filius patre sibi nō parcente pro nobis velut iniurus est traditus, quia & de ipso dictum est: Qui me dilexit, & tradidit se-

Roma. 11.

Ecclesia. 1.
Augustinus

1. Regū 17

Psal. 138.

Ecclesia. 1.

1. Corin. 1.

Roman. 5.

Roman. 8.

bb. ij.

Galat. 2. metipsum pro me. Omnia ergo simul & pater & filius, & amborum spiritus, pariter & concorditer operantur, tamen iustificati sumus in Christi sanguine, & reconciliati sumus deo per mortem filij eius. Hæc ille. Adnotes patrem trifariam tradidisse Christum morti. Primo, quod sua æterna voluntate præordinavit mortem Christi ad humani generis liberationem, unde dicit Esaias: Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Item, Dominus voluit contere eum in infirmitate. Secundo, quatenus ei inspiravit voluntatem patiendi pro nobis infundendo ei charitatem, unde ibidem dicitur: Oblatus est quia voluit. Tertio, non inhibendo ne pateretur, sed eum exponendo persecutoribus. Siquidem in Matthæo legitur Christum in cruce pendentem dixisse: Deus meus, ut quid me dereliquisti? quia scilicet potestati persequentium eum exposuit. Christum tamen quatenus deus, semetipsum tradidit in mortem eadem voluntate & actione, qua & pater tradidit eum, sed quatenus homo seipsum tradidit voluntate à patre inspirata. Pater Christum tradidit nostræ salutis causa, & quidem ex charitate, Iudas pecuniæ studio occæcatus, Iudæi vero edaci liuore perciti. ¶ Dicit aliquis, Solus Christus redemit genus humanum, non igitur trinitas operata est simul redemptionem hominis. patet antecedens. Paulus in epistola ad Romanos, dicit redemptionem nostram esse in Christo Iesu, quem deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Videtur igitur quod solus Christus humanum genus redemerit. Item ille dicitur nos redemisse, qui pro nobis mortuus est: sed solus Christus pro nobis mortuus est, igitur solus Christus nos redemit. Dicit etiam Paulus in eadem epistola nos per Iesum Christum reconciliationem accepisse, ergo & redemptionem: sed soli Christo attribuenda est nostra reconciliatio, igitur & nostra redemptio. Roma. 8. Ad hæc, Ille solus dicitur nos redemisse, qui de peccato damnauit peccatum in carne: sed solus Christus de peccato damnauit peccatum in carne, igitur solus Christus nos redemit. Adde quod solus Christus dedit seipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Item, Solus Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Et quis ignorat illum nos redemisse, qui pro nobis soluit pretium nostræ redemptionis? sed solus Christus soluit pretium nostræ redemptionis, videtur igitur quod solus Christus nos redemit. ¶ Huiusmodi rationes manifeste probant solum Christum redemisse genus humanum exequendo suo sanguine opus nostræ redemptionis, & considerando in ratione redemptionis illum qui soluit pretium ut à seruitute dæmonis redimeremur: tamen aliud in ratione redemptionis spectandum est, scilicet voluntas totius trinitatis, quæ voluit Christum pro salute nostra obire mortem, mortisque supplicium in ara crucis æqua animi tolerantia perferre. Iam diximus patrem hoc vnum nostræ redemptioni contulisse, quia tradidit filium suum pro nobis, nec ei pepercit, ut nos à tantis malis, tantisque periculis eriperet. Quod autem sacræ literæ indicent spiritum sanctum non nihil effecisse ut redimeremur, suadebimus ex Paulo, dicente ad Hebræos, Christum per spiritum sanctum semetipsum obtulisse immaculatum deo, cuius sanguis emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum deo viuenti.

CAPVT III.

Hebræ. 1. **H** trinitatis tres sunt hypostases. Hanc Assertionem ab interpretatione hypostaseos affirmabimus, cui plerique viri doctissimi suffragantur. Hypostasis sumitur pro substantia & persona etiam (ut quidam Græci transferunt.) In diuinis autem asserimus tres substantias siue tres personas, igitur & tres hypostases. Erasmus vir sanè non vulgaris literaturæ, adnotas illud Pauli locum, Figura substantiæ, græce autem *χαρακτηρὸς ἑσώτου*, qui sanè de Christo intelligitur, eo quod est splendor gloriæ & figura substantiæ sui patris, dicit: *ἑσώτου* à subsistendo dicta est, quæ Græcis aliquando accipitur pro persona. Ad-

Damascen⁹ de quod legimus apud Damascenū libro 1. suæ Theologiæ, capite nono, tres sanctæ deitatis superdiuinas hypostases, id est subsistentias ac personas. Meminit & huiusce rei Clithoueus in commentarijs illius capituli, dicens hypostasim, subsistentiam, personamque designare. Et vbi legunt Græci in epistola Pauli ad Hebræos, Character hypostaseos, Latini verò Figura substantiæ: dicit substantiam non ibi sumi pro natura & essentia, sed pro persona, substantiæque, & indiuiduo. Et id prius adnotauerat Richardus in quarta propositione quarti libri, & vice prima sexti de Trinitate. Nec erubescimus dicere in diuinis tres esse subsistentias. Nam subsistentia minime nobis exprimit naturam, & essentiam, siue rei quidditatem, sed suppositum quod subsistit. Et filius propriam habet subsistentiam, præter eam quæ patris est: ut scite docet Damascenus in eodem capite. Pater etiam propriam sortitur hypostasim, & singularem subsistendi modum, pariter & spiritus sanctus. Nec ex eo quod dicimus trinitatis tres esse subsistentias, temere colligas trinitatis etiam tres esse substantias. Nam firmissime credimus vnam esse substantiam siue naturam & essentiam patris, filij, & spiritus sancti. substantia siquidem in diuinis sumitur pro essentia, quam Græci vocant *ὁμοῦ*. Et huic accedit sententia Damasceni libro 1. suæ Theologiæ, capite vndecimo, dicens in trinitate identitatem esse substantiæ, & operationis, & voluntatis. Similiter Augustinus libro septimo de Trinitate, capite quarto, dicit: Nō aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia quàm substantia solet intelligi. Assentitur & nostræ assertioni sanctus Thomas in prima parte suæ summæ, quæstione vigesima nona, articulo secundo, in solutione secundi argumenti, vbi ita scribit: Sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases. ¶ Quispiam tamen nostræ Assertioni opponet quod dicit Hieronymus in epistola ad Damasum papam, quem suis literis consuluit, si nam deberet tunc dicere tres hypostases, aut potius negare. Nam suspectam habuit Antiochenæ Ecclesiæ professionem, quæ tres hypostases ab omnibus exigebat: Nunc igitur (inquit) pro dolor post Nicenam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter occidete decretum, trium hypostaseon ab Arianorum præfule & Campensibus nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso, ista apostoli prodidit? quis nouus magister Gentium Paulus, hæc docuit? Interrogemus quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi: tres personas subsistentes aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitât, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, Siquis tres hypostases, aut tria enypostrata, hoc est tres subsistentes personas non confiteretur, anathema sit: & quia vocabula non ediscimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypostasim vsiam intelligens, non in tribus personis vnam hypostasim dicit, alienus à Christo est, & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio vnionis inurimur. Discernite si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iubetis, condatur noua post Nicenam fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasim nisi vsiam nouit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Vna est dei & sola natura, quæ vere est: id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiam si videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt: & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est qui exordium non habet, essentia nomen verè tenet. Idcirco & ad Moysen de rubo loquitur: Ego sum qui sum. & rursum, Qui est me misit. Erant vtrique tunc angeli, cælum, terra, maria. Et quomodo cōmune nomen essentia, proprie sibi vëdicat deus? sed quia ille sola natura est perfecta, & in tribus personis deitas, vna subsistit, quæ est vere, & vna natura est, quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est vsias, dicit: sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere. Et si ita est, cur ab Ario parietibus separamur, perfidia copulati? Iungatur cum beatitudine tua Yriscinus, cum Ambrosio societur Auxentius. Ab-

fit hoc à Romana fide: sacrilegium tantū, religiosa populorū corda non hauriāt, sufficiat nobis dicere vnam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coeternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodē sensu verba dissentiūt. Sufficiat nobis memorata credulitas. Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. sed mihi credere, venenum sub melle latet, transfigurauit se angelus Satanæ in angelum lucis. Hæc ille. Nec à Hieronymo dissidere videtur Augustinus libro 5. de Trinitate, capite 8. vbi in hunc modū loquitur: Sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed vnā essentiam, & vnam magnitudinem. Essentiam dico quæ *ὁμοία* græce dicitur, quam vsitatus substantiam vocamus. Dicunt quidam & illi hypostasim, sed nescio quid volunt interesse inter vsiam & hypostasim, ita vt pleriq; nostri qui hæc græco tractāt eloquio dicere cōsueuerint *μὴ ὁμοίαν ὑπόστασιν* & *ἁπλοῦς*, quod est latine, Vnam essentiam, tres substantias. Illic demiratur Augustinus cur quidam discrimen ponant inter vsiā & hypostasim. Viderur igitur huic hæsisse sententiæ, q̄ vsiā & hypostasis pro eadem re sumantur. Facile est istis obiectionibus respondere. Cū enim Hieronymus monuit non esse dicendum tres hypostases, fumebat hypostasim pro essentia siue substantia: nos autem communi hominum etiam peritissimorum iudicio adhærentes, nomen illud sumimus pro substantia & persona, etiam pro indiuiduo rationalis substantiæ: nec ita negat Hieronymus tres esse hypostases, vt nolit (si Romanus pontifex videat illam propositionem esse recipiendam) illi cum sana interpretatione coniuere, licet putauerit sub melle venenum latere, & interdum periculosum fuisse, asserere tres hypostases, ne qui illam enuntiationem admittebant, in illorum errorem prolaberentur qui dicebant, trinitatis tres esse substantias. Existimauit etiam Augustinus nihil forsitan discriminis reperiri inter vsiam & hypostasim, quod etiam quidam putarunt: nos verò cum quibusdam Græcis sentientes, dicimus vsiam pro essentia sumi, hypostasim verò pro substantia ac persona.

CAPVT IIII.

Gene. 38.

Thamar cum Iuda fornicata est.] Hanc ex Genesi suadebimus Assertionem, in qua scriptum est: Dedit Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar: fuit quoq; Her primogenitus Iudæ, nequam in cōspectu domini, & ideo ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onam filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nasceretur: & idcirco percussit eum dominus, eo quòd rem detestabilem faceret. Quamobrem dixit Iudas Thamar nuri suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus. Timebat enim ne & ipse moreretur sicut fratres eius. Quæ abiit, & habitauit in domo patris sui. Evolutis autem multis annis mortua est Sue vxor Iudæ. Qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonfores ouium suarum ipse & Hyras opilio gregis Odolamitha in Thamnus. Nuntiatumque est Thamar quòd focer illius ascenderet in Thamnus ad tondendas oves. Quæ depositis viduitatis vestibus, ac sumpsit teristrū, & mutato habitu, sedit in biuio itineris quod ducit Thamnus, eo quòd creuisset Sela, & non eum accepisset maritum. Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem. Operuerat enim vultum suum ne agnosceretur. Ingrediensq; ad eam, ait: Dimitte me vt coeam tecum: nesciebat enim quòd nurus sua esset. Quæ respondente, Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? Dixit: Mittam tibi hcedum de gregibus. Rursūmq; illa dicēte: Patriar quod vis, si dederis mihi arabonem donec mittas quod polliceris. Ait Iudas: Quid vis tibi pro arabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manutenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit, & surgens, abiit. Depositoque ha-

bitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autem Iudas hcedū per pastorem suum Odolamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri. Qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius, Vbi est mulier quæ sedebat in biuio? Respondentibus cūctis, non fuit in loco isto meretrix, reuersus est ad Iudam, & dixit ei: Non inueni eam. sed & homines loci illius, dixerunt mihi nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi, certe mēdaciū arguere nos non potest: ego misi hcedū quem promiseram, & tu non inuenisti eam. Ecce autem post tres menses, nuntiauerunt Iudæ, dicētes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas: Producite eam vt cōburatur. Quæ cum duceretur ad poenā, misit ad focerum suum, dicens: De viro cuius hæc sunt, cōcepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus, ait: Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. At tamen vltra non cognouit eam. Clarissime constat ex hac historia Thamar luxuriam cōmississe. Nam fornicata est cum Iuda focero suo. Hieronymus in Matthæum hanc exponens scripturam, Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, huic plaudit assertionem. Notandum (inquit) in genealogia saluatoris, nullam sanctorum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleat. Vnde in consequētib; Ruth Moabitibus ponitur, & Bethabee vxor Vriæ. Loquitur autem Hieronymus de illis mulieribus quarum meminit vetus testamentum. Huic quoque sententiæ subscribit Chrysofomus, eundem Matthæi locum edisserens: Quid agis (inquit) o homo, quid nobis talis recordationem infers historia, qua adulterium turpe cōtinetur? quid hoc vero rei est? quia si mundi tantummodo hominis describeretur genus, merito hæc reticuisset. Quia verò de incarnati mysterio scribimus dei, non modo non tacere ista, verum ostentare debemus, sic enim magis virtus eius ac pieras refulgebit. Venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret. Sicut enim admirabilis iudicatur, non quia mortuus tantum, verū etiam quia crucifixus ac sepultus est, quanquam est certe res ista per se exprobratione plenissima, sed quāto magis exprobrabile istud est, tanto magis illum ostendit de misericordia gloriosum. Sic etiam in generatione illius dici potest, quòd non solū quia suscepit carnem, & homo factus est, admiratione sit dignus: sed quia etiam natus tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescēs. Idque ex ipsis nascendi primordijs ostendit, quānil hunc pudeat omnino nostræ carnis assumptæ, per ista proculdubio docens, vt nos quoque nunquam erubescamus de vitij; parentum: sed vnum quæramus illud, atque omnibus studijs assequamur, nobilitari propriarum honore virtutum: huiusmodi enim etiam si alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet eiusmodi decore sordidatam, nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quòd si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum, nequaquam prior vita commaculat: multo magis è meretrice natus & adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobrijs. Neque verò vt tantummodo nos doceret, hoc fecit: sed etiam vt reprimeret Iudæorū tumorem. Quia enim illius nobilitatis, quæ ad animam pertinet, insignia negligebant, nimiumq; insolenter de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem suorum rati esse vitiorum. Idcirco in ipso Euangelij principio docet non alienis, sed proprijs esse gloriandum virtutibus. Simul etiam illud agit, vt ostendat omnes quoque progenitores eorum subditos esse peccatis. Siquidem patriarcha eorum ipse ille, à quo nomen accipiunt, non exiguum aliquod legitur admisisse delictum. Vrgit enim Thamar fornicationem accusans. David quoque Salomonem ex muliere, quæ illi est adulterio iūcta, suscepit. Quòd si lex à maioribus custodita non est, multo potius à minoribus. Si ergo non est impleta lex, omnes vtique peccauerūt, & satis necessaria facta est Christi præsentia. Propterea igitur & duodecim patriar-

Hieronymus
Matth. 1.

Chrysofomus

1. Regū 11.

bb. iij.

charum intulit mentionem, vt hinc quoq; humiliaret immodicam de progenitorum nobilitate iactantiam. Multi enim eorum ex ancillis matribus nati sunt, nec tamen differentia parentum fecit differentiam filiorum. Siquidem illi omnes similiter & patriarchæ, & tribuum principes extiterunt. Priuilegium enim Ecclesiæ ista iam designabat æqualitas. Hæc quippe nostræ nobilitatis est prærogatiua, cuius olim figura præcesserat, vt siue seruus sit aliquis siue nobilis, nihil huic plus minusve accedat. Sola enim hic requiritur voluntas, mentisq; generositas. Lyranus enarrans illum Geneseos locum, Producite eam vt comburatur: dicit Thamar non commississe fornicationem simplicem, sed adulterium: quia erat ligata ipsi Sela, nec poterat alteri copulari. Nam in Deuteronomio scriptum est: Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & succitabit semen fratris sui. Adulterium autem morte puniebatur, & sic fuisset Thamar punita, nisi propter iniustitiam sibi factam excusata fuisset à tanto, etsi non à toto. Vnde subditur, Iustior me est, id est minus punienda quam ego, qui iniustitiam feci subtrahendo ei copulam filij mei tempore debito & quidem completo. Iudas autem cum Thamar simplicem fornicationem commisit, eo quod meretricem illam credidit nulli alligatam, quod peccatum non erat morte puniendum, nec per consequens factum Thamar. Adnitur tamen ex eadem historia probare, Thamar non admisisse se cum Iuda scelus adulterij. Thamar mortuo suo secundo viro scilicet Onam, multis annis egit viduitatem in domo sui patris, quod ex citato Geneseos capite compertum est. Et cum Iudas cum ea concubuit, carebat vxore, nec illa tunc temporis cuiquam erat matrimonio copulata: igitur in illo turpissimo congressu cum Iuda, non perpetravit adulterium. Et licet Iudas pollicitus sit se daturum suum filium Sela ipsi Thamar, quam fefellit, non tamen ei dedit, nec Sela & Thamar inierant foedus coniugij per verba de presenti (vt sic loquar): igitur inter eos nullum erat matrimonium: nec Thamar erat ligata vinculo coniugij ipsi Sela, licet teneretur illi aliquando nubere. Augustinus agens de mendacio Thamar, quod partim excusat, partim verò non, libro vno contra mendacium ad Consentium, capite 14. dicit: Cur autem isti imitandam sibi Thamar existimant mentientem, & imitandum Iudam non existimant fornicantem? Ibi enim vtrunq; legerunt, & nihil horum scriptura illa siue culpauit siue laudauit, sed tantummodo vtrunque narrauit, & iudicandum nobis vtrūque dimisit. Sed mirum si aliquid horum imitandum impune permisit: quod enim Thamar non meretricandi libidine, sed concipiendi voluntate mentita sit, nouimus. Verum & fornicatio etiam si Iudæ talis non fuit, potest esse cuiuspiam qua faciat vt homo liberetur, sicut illius mendacium fuit vt homo conciperetur. Nunquid propterea etiam fornicandum est, si propter illud putatur fuisse mentiendum? Hæc ille. Et licet Thamar non meretricandi libidine, sed concipiendi voluntate concubuerit cum Iuda, non propterea sequitur eam non fuisse fornicatricem: si enim meretrix, non libidinis, sed duntaxat quæstus & auaritiæ gratia se prosterneret, non excusaretur à vicio scorti, licet magis incurreret notam auaritiæ quam scortationis: videtur tamen Ambrosius in tertium caput Lucæ omnino excusare Thamar ab impudicitia, & ab omni reprehensionis nota: Si veris (inquit) intendas animum, non hæc mulier tam famosa quam iusta. Non enim temporalis vsus libidinis requisit, sed successionis gratiam concupiuit. Denique Iudas confessus est eam esse iustio rem se, quod eam non tradidisset Sela filio suo. Verum qui dicit eam non tam fuisse famosam quam iustam, non videtur planè inficiari eam fuisse famosam: sed quod magis ab affectu iustitiæ in excitanda prole commendatur, quam quod ob illū congressum viruperetur. Nec in Ambrosij sententiam cogimur descendere, siquidem Geneseos historia nobis fidem facit certissimam quod Thamar fornicata est. Nec, vt dicit Romano, 3. Paulus, faciendæ sunt mala, vt eueniant bona. Quis enim nescit malum esse nurū

concurrere cum focero suo, & coniugij fidem violare? Nec vrget quod adduxit Ambrosius, iustior me est, & hoc testimonio voluit Faber Stapulensis in Matthæo Faber. um, suadere, Thamar nequaquam fuisse peccatricem, sed fide & pietate maxime insignem. Nam quid hoc sibi velit, paulo ante declaratum est, in comparatione Iudæ erat iustior, non tamen simpliciter erat iusta: iustior quidem quia minus erat punienda, nec libidinis amore (quo tamen Iudas æstuebat) sic cū suo focero congressa. Hieronymus libro primo dialogorum, aduersus Pelagianos, pulchre docet Hieronymus quid sibi volunt huiusmodi cōparationes: Sodoma (inquit) iustificata est, non quod Ezech. 16. per se iusta esset, sed quod comparatione sceleratoris Hierusalē, hæc iusta videatur. Et Thamar sub specie meretricis fallit Iudam, & ipsius sententia qui deceptus est, meretur audire, iustificata est Thamar magis quam ego.

CAPVT V.

Tentatio non est à nobis sponte appetēda.] Hanc Assertionem ex Chryso- Chryso- stomo erimus homilia decimatertia, in Matthæum, vbi enarrando Matth. 4. locum illum, Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo, dicit: Tunc istud ad quodnam tempus aptandum est: Proculdubio ad illud quo descendit spiritus sanctus, cum etiam desuper delata vox ait: Hic est Matth. 3. filius meus. mirum est verò quod dixit à spiritu, id est sancto, ab hoc enim illum in desertum ductum esse significat. Quia enim omnia ad nos erudiendos, & faciendæ sibi & patiendæ susceperat, in Eremum quoque se paritur abduci, & cum diabolo inire certamen, vt vnusquisque cum fuerit baptizatus, si post baptisina maioribus tentationibus vrgeatur, non vtique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obuiauerit, sed permaneat cuncta viriliter sustinendo, vt pote quæ sibi consequenter contigerint. idcirco enim accepisti arma, non vt otieris, sed vt pugnes. propterea deus in te tribulationes irruere permittit, primo quidem vt discas, quoniam Christi baptisina, multo te fecerit fortiorē. Deinde vt in egregia illa animi mediocritate permanens, neq; donorum scilicet magnitudine elatus, neq; tentationum mole depressus. Ad hæc verò, vt malignus ille demon, cum de tua à se discessione dubitat, ex ipsa tribulationū tolerantia discat, quod perfecta ab illo abrenuntiatione discesseris. Quarto vt fortior, & ipso prorsus ferro valentior, tentationum exercitatione reddaris. Quinto, vt capias grande documentum thesaurorum tibi à domino creditorum. Neque enim superueniret tibi, neque aduersus te diabolus irrueret, nisi in maiore te positum honore cōspiceret. Hinc enim aduersus Adam insurrexit aliquando, quia multa illum dignitate vidit conspicuū. Propterea & contra sanctum Iob nequitiæ suæ arma commouit, quia vtique videbat illum ab omnium deo miris laudibus coronatum. Et quemadmodū igitur dominus dicit, Orate ne intretis in tentationē, propterea non eum vltro isse in Eremum, sed à sancto spiritu ductū esse commemorat, iuxta dispensationis profectio- Matth. 26. rationem, vt nos videlicet apertissime signatum esse videamus, quia non sponte nos ipsos in tentationes oporteat insilire, sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare. Hæc ille. Si enim homo non debeat vltro in tentationem insilire, tantūq; periculo se committere, nec debet sponte tentationem appetere, alioqui videtur expetere quod ex se malum est: & loquor ego de tentatione carnis siue humana, quæ suis aculeis suisque stimulis nos ad illicita prouocat. Quod si in harenā, deo permittente descenderimus, & nobis indictum sit cum hoste domestico certamē, debemus forti animo decertare, & obistere ne carnis voluptate ac delicijs titillati, succumbamus, & harenę cedamus, possumus sanè resistere, & diuino adiu- ti subsidio domare carnem, & de profligato hoste agere triumphum: quod haud dubie demonstrat Paulus, dicens: Tentatio vos non apprehendat nisi humana, si- 1. Corin. 10. delis autem deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Hæc edisserens Chryso- stomus, dicit: Sunt qui multas tentationes tulerūt, & qui in his sæpenumero ex-

1. Corin. 2. **erciti sūt:** Etenim in infirmitate, inquit, in timore & tremore multo fui apud vos. Ne dicerent, quid nos perterres? quid formidinem incutis? non sumus horum malorum immemores, etenim diminuti sumus, & persecutiones accepimus, & multa & frequentia pericula subiimus, ut eorum iterum sedaret superbiam, inquit: Tēratio vos non apprehēdat nisi humana, hoc est parua, breuis, mediocris. Quod enim humanum est, id paruum dicit, quemadmodum in alio loco, Humanum dico propter infirmitatē carnis vestrae, nolite igitur superbire inquit, tanquam tempestatem superaueritis. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. Inde cum eos perterruisset, vide quo pacto rursus exultat, persuadendo modeste, inquit: Fidelis autem deus, qui non patietur vos tentari vltra quam superare potestis. Sunt ergo quas superare non possumus, & quae nam sunt ille? Omnes ut ita dicam. Possibilitas enim in diuino nutu est, quam nostro alliciemus consilio. Quare ut certo cognoscas, non solum illas quae virtutem nostram exuperant, non posse nos sine diuino auxilio facile sustinere, sed ne has quidem humanas, addidit: Sed faciet cum tentatione & prouentum, ut possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? Neque enim modestos illos quod dixi, inquit, propria virtute extollemus, sed in hoc etiā loco, diuino indigemus auxilio, ut eos & doceamus, & antequam docuerimus, perferamus. Ipse namque & patientiam dat, & celeritatem mutationis inducit, ut in hac parte tolerabilis fiat tēratio. hoc autem significauit, cum dixit, faciet prouentum, ut possitis sustinere, & omnia ei tribuit. Idem homilia 5. in Epistolā Pauli ad Hebrēos, paulo apertius docet quod sanē plurimum haber momenti ad tuendam hanc assertionem: Oramus (inquit) deum, non intrare in tentationem: si autem intrauerimus, portemus fortiter: illud quidem temperantium hominum est, ut se aliquis in pericula nō precipitet, hoc autem fortium, & philosophorum. Non itaque nos praecipitemus quomodolibet, temeritatis quippe est: neque iterum cum abdicemur, & rebus sic vocantibus cedamus, timoris namque hoc est. sed si quidem predicatio verbi nos vocauerit, nō renuamus. & simpliciter dico, non extante neque vtilitate aliqua, neque necessitate quae ad pietatem pertinet vocante, non irruamus: ostentatio quippe est, & ambitio honoris superflua. Si autem aliquid eorum, quae laedunt pietatem contingat, ac si mille mortes sustinere nos oporteat, nihil renuere debemus. Non prouoces tentationes, quando tibi ea quae ad pietatem pertrahunt, pro voto procedunt: si verò desideraueris, superflua tibi assumis pericula, nullum lucrum habentia. Hae dico, volens vos custodire leges Christi iubentis orare ne intremus in tērationem, & iubentis ut crucem suam tollat quis, & sequatur ipsum. Hae quippe non sunt contraria, sed valde conuenientia. Tu quidem ita esto preparatus, sicut miles fortis in armis, esto perpetuē sobrius, vigilans, semper hostem expectans: bella autē non excites, hoc quippe militis nō est, sed seditiosus. Si verò tuba pietatis vocauerit, confestim procede, & contēne animam, & ingredere cum multa alacritate in agone: rumpe aciem aduersariorum, concide faciem diaboli, statue trophæum. Eadem cōmemorat homilia 67. ad populum. Huic quoque subscribit sententię Augustinus libro 2. De sermone domini in morte, exponēs quod à patre celesti postulamus in oratione dominica: Et ne nos inducas in tentationē, vbi asserit tentationes esse periculosas, in quas inferri atque induci periculosum est. Quod si tentationes periculis sint obnoxie, temeraria ducitur audacia qui sponte tentationē desiderat: & timendū est ne cum amet periculū, in eo periclitetur & pereat. Possimus & à definitione tentationis humane, & demoniacę, quā tradit Gregorius libro 21. moralis expositionis in ipsum Iob, capite 3. comprobare tentationē non esse sponte appetendā: Humana (inquit) tentatio est, qua plerunque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc vtrique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pōdere habemus. iam verò demoniaca est, & non humana tentatio, cū ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per

Matth. 16.

Augustinus

Gregorius

consensum se animus astringit. Quidam doctores scholastici non infirma ratione probant tentationē carnis, nec secundum se, nec ratione adiuncti scilicet victorię esse appetendam. Nullus recte eligēs appetit quod secundū se habet rationē mali, sed tentatio carnis secundū se habet rationē mali: ergo tentationem carnis nullus recte eligens appetit. cōsequētia est optima, maiorem suadet: Quod enim secundū se habet rationem mali, habet etiam & secundū se rationem fugibilis, & non appetibilis. Minor probatur: Tēratio carnis est motus illicitus hominem excitans ad malum, existens tamen in potestate hominis: nam à ratione sedari potest, cui appetitus sensitivus natus est subijci. quod si ratio motum illum negligat refrenare & sedare, incurrit notā vituperij, nec peccato carere dicitur. Nec ratione adiuncti scilicet victorię, desideranda est tēratio. Non enim faciēda sunt mala ut eueniant bona: sed tēratio carnis est malum culpe quod facimus, igitur nō est optanda ut victoriam nanciscamur, imò admodū difficile est & penē impossibile, tentationi carnis plenam adijcere victoriam. Tēratio etiam demonis nō est ex se appetenda. Quia in vasis demonum tentamentis non consistit secundum se hominis bonum, quia non est tēratio hominis tentari, sed passio, nec est spe victorię appetenda. Nam illud non est propter alterum appetendum, quod non est eius inductiuum, nec ad illud promotiuum. Sed huiusmodi tentatio non est inductiuā victorię, nec ad victoriam promotiuā, imò magis impeditiuā, quia procliuiores sumus ad malum quā ad bonum: igitur & tēratio ex se magis excitat hominem ad consensum mali, quā ad contrarium. ¶ At obijciat quispiā, Dicit Iacobus in sua catholica Epistola, Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: quod si gaudio afficiatur, qui in varias tentationes incidunt, videtur quod tēratio sit appetenda. Dices Iacobum nolle inuere gaudendum esse simpliciter de tentationibus, sed nos hortatur ad eas strenue & viriliter profigandas, considerando gaudium quod ex victis tērationibus nobis enascetur. Qui dicunt appetendam esse tentationē propter victoriam, non tam mihi videntur dicere appetendam esse tentationem, quā ipsam victoriam: nec expendunt tentationem secundum se, & propriam eius rationem, sed commodū quod deus sua benignitate nobis largitur ex tēratione magno & forti animo tolerata: nos autem perpendimus tentationem secundum se, & quatenus huiusmodi, quae ut affatim discussum est, non est vltro appetenda. ¶ Rursum decertabit, Desiderauit Dauid tentari, cū dixit: Proba me domine, & tēta me, vte renes meos, & cor meum, & hoc testimonio fretus Augustinus dixit, libro 14. de Ciuitate dei, cap. 9. Boni cupiunt tētari. propter etiam dictū Iacobi quod iam protulimus, gaudent in tentationibus. respondeo: Hoc solū optabat Dauid, & precabatur, Fac domine, ut huius mūdi tribulationes experiar, quas tua adiutus gratia, æquo animo perferam. Aut dic quod quidam interpretes sentiunt, petijt Dauid tētari à domino, ut eius innocentia fieret alijs manifesta, & liberius tentationibus se submitterent, nō quidem ad propriam laudem, sed ad dei gloriam & proximi ædificationem. Dices etiam quod nō appetijt simpliciter tentari, sed iunctim tentari & vincere, & magis victoriam quā tentationē. Cum autem argumēto vim adijcis ex Augustino dicente, boni cupiunt tentari, hoc diluā facile: Qui dixit, boni cupiunt tentari, in eodē etiam capite scripsit, & metuunt tentari: hoc autē probat testimonio Pauli dicentis: Si quis praecipuus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens teipsum ne & tēteris. quod si metuunt tentari ne tentationi succumbant, signum est quod nō appetunt simpliciter tentari, sed victoriam quae ex tentatione contingere potest. Mihi perplacet quod dicit S. Thomas 2. sententiarū, distin. 21. quęst. 1. arti. 3. Tentatio per se ordinata est ad hominis perditionē, quod potest probari ex eo quod Christianus precando patrem caelestem, dicit: Et ne nos inducas in tentationem. Ad salutem verò non ordinatur nisi per accidens, scilicet ex hoc quod vincitur

Iacobi 2.

Psalmo 25.

Augustinus

Galat. 6.

Thomas

Matth. 6.

auxilio diuinæ gratiæ. Ideo tentari simpliciter non est appetendum, sed tentari, & vincere simul acceptum: sed quia propter nostram fragilitatem victoria nimis dubia est, iccirco securius fugitur quàm quaratur.

CAPVT VI.

Tentationes demonis non potestate eius, sed permissu domini sũt. Hanc Assertionem ex doctissimis sacrarũ literarum interpretibus deprompsimus. Augustinus libro 2. de Sermone domini in mōre, exponens quod in oratione dominica dicere solemus, Et ne nos inducas in tentationē, huic assentitur veritati: vbi primum docet, cur deus patitur nos induci in tētionem, & quomodo deus & satanas diuersimode tētant, denique qualiter diabolus dominum tentauit: Multi (inquit) precando, ita dicunt, Ne nos pariaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictũ sit inducas. Non enim per seipsum inducit deus, sed induci patitur eũ, quem suo auxilio deseruerit ordine occultissimo ac meritis. Causis etiã sæpe manifestis dignum iudicari ille quẽ deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autē induci in tentationem, aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, siue sibi ipsi, sicut scriptũ est: Qui non est tentatus, qualia scit? siue alij, sicut apostolus ait: Et tentationem vestrã in carne mea nõ spreuistis. Hinc enim eos firmos cognouit, quia eius tribulationib⁹, quę apostolo in carne acciderãt, non sunt à charitate deflexi. nõ deo noti sumus, & ante omnes tentationes, qui scit omnia anteq̃ fiant. Quod itaque scriptum est: Tentat vos dominus deus vester, vt sciat si diligatis eum, illa locutione positũ est, vt sciat pro eo quod est, vt scire vos faciat: sicut diem letum dicimus, quod letos faciat, & frigus pigrum, quod pigros faciat, & innumerabilia huiusmodi: quę siue in consuetudine loquẽdi, siue in sermone doctorum, siue in scripturis sanctis reperiuntur, quod non intelligentes hæretici veteri testamento aduersantur, velut ignorantie vitio notãdum putantes, de eo quod dictum est: Tentat vos dominus deus vester, quasi in Euangelio de domino scriptum non sit: Hoc autem dicebat tentas eum. Nam ipse sciebat quid esset facturus. Si enim nouerat cor eius, quem tentabat, quid est quod voluit videri tentando? Sed profecto illud factũ est, vt ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suãq; desperationem cõtemneret saruratis turbis de pane domini, qui eas non habere quod ederent existimauerat. Nõ ergo hic oratur, vt non tētemur, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiã cui necesse sit igne examinari, non oret vt igne non contingatur, sed vt non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Io seph ergo tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationē. Multique alij vtriusq; sexus, sed Iob maxime, cuius admirabilē stabilitatem in deo domino suo, cum illi hæretici hostes veteris testamēti ore sacrilego irridere voluerint, illud præ ceteris ventulant, quod satanas perierit eum tentandũ. Querunt enim ab imperitis hominibus talia intelligere nequaquã valentibus, quomodo satanas cũ deo loqui poterit, non intuentes: non enim possunt superstitione & contentione cęcati, dominũ non loci spatiũ mole corporis occupare, & sic alibi esse, alibi nõ esse: vel certe hic habere partem aliam, & alibi aliã: sed maiestate vbique præsto esse: non per partes diuisum, sed vbiq; perfectum. Quod si carnaliter intuentur quod dictum est, Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, cui loco dominus attestatur dicens: Non iuretis, neq; per cælum, quia thronus dei est: neq; per terram, quia scabellũ est pedum eius: quid mirũ si in terra diabolus constitutus ante pedes dei steterit, & coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere nullam esse animam quãuis peruersam, quę tamen villo modo ratiocinari potest, in cuius cõscientia non loquatur deus? Quis enim scribit in cordibus hominũ naturalem legem, nisi deus? De qua lege apostolus ait: Cũ enim gentes quę legẽ non habent, naturaliter quę legis sunt, faciũt: hi legem non habẽtes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis, contestante conscientia ipsorum, & inter se inuicẽ cogitationum accusantium, aut etiã excusantium, in die in qua iudicabit dominus occulta hominũ. Quapropter si hominis anima rationalis etiã cupiditate cęcata, tamen cũ cogitat & ratiocinatur, quicquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, vt verum aliquid in ratiocinando sentiat: quid mirum si diaboli anima praua cupiditate peruersa, quicquid tamen verum de iusto viro cogitauit, cum eũ tentare vellet, ipsius dei voce, id est ipsius veritatis voce audissẽ perhibetur? Quicquid autē falsum est, illi cupiditati tribuitur, qua diaboli nomen accepit. Quãuis etiam per creaturam corporalem atque visibilem deus plerunq; locutus est, seu bonis seu malis, tãquam omnium dominus & rector, & pro cuiusq; rei meritis ordinator, sicut per angelos qui hominum quoque aspectibus apparuerunt, & per prophetas dicentes: Hęc dicit dominus. Quid ergo mirum si quanq̃ non ipsa cogitatione, per aliquam certe creaturam tali operi accommodatã deus locutus esse cum diabolo dicitur? Nec dignitatis esse arbitrentur, & quasi iustitiæ meritum, quod cum illo deus locutus est, quoniam locutus est cum anima angelica, quanquam stulta & cupida. Aut ipsi dicant quomodo locutus est deus cum illo diuite, cuius cupiditatem stultissimam arguere voluit, dicens: Stulte, hac nocte anima tua expostulatur à te, hęc quę preparasti cuius erunt? Certe hoc ipse dominus in Euangelio dicit, cui hæretici isti velint nolint colla submitunt. Si autem hoc mouerunt, quod tentandum iustũ satanas petit à deo, non ego expono quare sit factum, sed ipsos cogo exponere quare sit dictum in Euangelio ab ipso domino discipulis: Ecce satanas petijt vos vexare quasi triticum: Et Petro ait: Ego autē postulauĩ ne deficiat fides tua. Cum autem hęc exponunt mihi, simul illud quod à me quarunt exponunt sibi. Si verò non valuerint hoc exponere, non audeant id quod in Euangelio sine offensione non intelligunt, in alio libro cum temeritate culpate. Fiunt igitur tentationes per satanam non potestate eius, sed permissu domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro domini misericordia probandos & exercendos. Et interest plurimum in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Iudas qui vedit dominum, in qualem incidit Petrus, cum territus dominum negauit. Sunt enim tentationes humanę, credo cum bono quisque animo secundum humanam tamen fragilitatē in aliquo consilio labitur, aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulo tamen amplius quàm Christiana tranquillitas postulat, de quibus apostolus dicit: Tentatio vos non apprehēdat nisi humana, cum idem dicat, Fidelis deus qui vos non sinat tentari supra quàm potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam prouentũ, vt possitis tolerare. in qua sententia satis ostendit, non id nobis orandũ esse vt non tentemur, sed ne in tētionem inducamur. Inducimur enim si tales acciderint, quales ferre non possumus. Tum etiam Cyprianus enarrãs, in Sermone de oratione dominica, eundem locum iam citatũ, videlicet ne dominus patiatur nos induci in tentationem, dicit: Qua in parte ostenditur nihil contra nos aduersarium posse, nisi deus ante permisit, vt omnis timor noster, & deuotio atque obseruatio ad deũ conuertatur, cum in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. probat scriptura diuina quę dicit: Venit Nabuchodonosor rex Babylonie in Hierusalem, & expugnabat eam, & dedit eam deus in manu eius. Datur autē potestas aduersus nos malo, secundum nostra peccata, sicut scriptũ est: Quis deus in direptionem Iacob & Israel eis, qui prædantur illum? nõne deus cui peccauerunt, & nolebant in vijs eius ambulare, neque audire legem eius, & superduxit super eos iram indignationis suę. Et iterum Salomone peccate, & à præceptis & à vijs domini recedente sic positum est, Excitauit dominus saran ipsi Salomoni. Post restas verò aduersus nos dupliciter datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: sicut de Iob factum videmus manifestante deo & di-

Augustinus
Eccle. 34.
Galat. 4.
Deute. 13.
Ioannis 6.
Eccle. 27.
Gene. 29.
Danie. 13.
Iob 1.
Esaie 66.
Matth. 5.
Romano. 1.

Lucæ 12.
Lucæ 22.
Matth. 26.
Ibidem.
1. Corin. 10.
Cyprianus.
4. Reg. 24.
Esaie 42.
3. Reg. 11.
Iob 1.

Ioan. 19. cente: Ecce omnia quaecunque habet, in manus tuas do, sed ipsum caue ne tangas. Et dominus in Euangelio loquitur tempore passionis: Nullam haberes (inquit) aduersum me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Quando autem rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cum dominus ipse humilitatem docens dixerit: Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. ut dum praecedit humilis & summissa confessio, & datur totum domino, quicquid suppliciter cum timore & honore dei petitur, ipsius pietate praestetur. Huic quoque sententiae subscribit Hylarius Canone 3. in Mattheum, enarrans locum illum: Ductus est Iesus a spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo. quod (inquit) in desertum ductus est, significatur libertas spiritus sancti, hominem suum iam diabolo offerentis, & permittentis tentandi & assumendi occasionem, quam non nisi datam tentator habuisset. Nobis etiam adminiculum praestat ad tuendam hanc assertionem, quod in libro Iob legimus, de diabolo dicente domino, cum voluit varijs tentationum armis, ipsi Iob insultare: Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quae possident, nisi in facie benedixerit tibi. His verbis (si contextum diligenter excusseris) agnosces diabolum postulasse a domino potestatem tentandi beatus Iob, extende, inquit, paululum manum tuam, hoc est ut dicit Glossa interlinearis, da potentiam. & ex eo id dixit, authore Lyrano, quia nihil potest nocere hominibus nisi secundum diuinam permissionem. Dixit tamen dominus ad satan, huiusmodi potestatem ei concedendo: Ecce uniuersa quae habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne exendas manum tuam: quasi velit innuere, tibi permitto ut Iob omnibus fortunae bonis exuas, caue tamen ne eius corpus discrucies & flagellis mutiles. Adde quod Gregorius libro 2. expositionis moralis, in primo caput Iob, edisserens capite 9. quod dicebat satan domino: Extende paululum manum tuam, ostendit plane diabolum nihil posse nisi permissum: Cum (inquit) sanctum virum satan tentare appetit, & tamen domino ut manum suam extendere debeat dicit, valde notandum est, quia ferendi vires nec ipse sibi tribuit, qui contra authorem omnium singulariter superbit. Scit namque diabolus, quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit, quia nec per semetipsum, in eo quod est spiritus existit. Hinc est quod in Euangelio expellenda de homine legio dicebat: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum si sine auctoris manu, sancti viri domum contingere non valebat? Denique cum rursus satan petijt a domino ut eius corpus vehementer affligeret, eumque vlcere pessimo a planta pedis vsque ad verticem feriret: Dixit dominus, ecce in manu tua est, veritatem animam illius serua. Vnum, ut prospicis, permittit dominus, ut scilicet corpus eius percutiat, alterum autem prohibet, ne scilicet eius animam vulneret, eamque faciat tentationibus succubere. Hanc edisserens Gregorius dicit: Sicut ergo dominus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ab aduersario induci pariaturs ita aduersarius seruare animam dicitur, cum hanc tentando superare prohibetur.

FINIS DECIMIOCTAVI LIBRI.

Theosophia Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER XIX.

CAPVT I.



Voluntas dei omnium quae sunt, est causa.] Hae Augustiniana est Assertio, libro primo de Genesi contra Manichaeos, capite secundo, vbi Augustinus illis respondet qui temere & curiose querebant, quid deo placuit facere caelum & terram? Non enim (inquit) coeui deo mundum istum dicimus, quia non eius aeternitatis est hic mundus, cuius aeternitatis est deus: mundum quippe fecit deus, & sic cum ipsa creatura quam deus fecit, tempora esse coeperunt. Et ideo dicuntur tempora aeterna, non tamen sic sunt aeterna tempora, quomodo aeternus est deus: quia deus est ante tempora, qui fabricator est temporum. Sicut omnia quae fecit deus bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est deus qui illa fecit, haec autem facta sunt. Nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est, sed ea fecit de nihilo, ut non essent aequalia nec ei a quo facta sunt, nec filio eius per quem facta sunt, iustus est enim. Si ergo isti dixerint, quid placuit deo facere caelum & terram? respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanae, qui voluntatem dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis dei scire quaerunt, cum voluntas dei omnium quae sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas dei, est aliquid quod antecedit voluntatem dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit deus caelum & terram? respondendum est ei, quia voluit. Voluntas enim dei, causa est caeli & terrae, & ideo maior est voluntas dei quam caelum & terra. Qui autem dicit, quare voluit facere caelum & terram? maius aliquid quaerit quam est voluntas dei, nihil autem maius inueniri potest. Copescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quaerat: ne id quod est, non inueniat. Et si voluntatem dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus deo. Quia si voluntatem hominis nosse vellet cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus dei, nisi purgatissimis moribus, & illo sine praecipiti, de quo apostolus dicit: Finis autem praecipiti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod isti si haberent, non essent heretici. Et libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite nonagesimo sexto, dicit deum neque veraciter ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quicquid vult, potest: nec voluntate cuiuspiam creaturae, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem libro tertio, de Trinitate, capite quarto, asserit voluntatem dei esse primam & summam causam omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim sit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore inuisibili atque intelligibili aula summi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica. Tum etiam libro sexto, de Genesi ad litteram, capite decimo octauo, idem pertractat negotium, vbi ostendit causas quas deus in sua voluntate seruauit, non esse contrarias illis quas in sua voluntate instituit: Quapropter (inquit) si omnium futurorum cause mundo sunt insite, cum ille factus est dies, quando deus creauit omnia simul, non aliter Adam factus est, cum de limo terrae formatus est, sicut credibilis iam perfecta virilitatis, quam erat in illis causis, vbi deus hominem in sex dierum operibus fecit: ibi enim erat, non

Augustinus

Gene. 1.

1. Timot. 1.

Ecclesia. 18.

Gene. 2.

solum ut ita fieri posset, verū etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tam enim non fecit deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit, quam contra voluntatem suā non facit. Si autē non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate seruauit, non sunt quidē illę quas in sua voluntate seruauit, ex istarū quas creauit necessitate pēdentes: non tamen possunt esse contrariae quas in sua voluntate seruauit, illis quas in sua voluntate instruit: quia dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, vt ex illis esse illud cuius causę sunt, possit, sed non necesse sit: illas autem sic abscondit, vt ex eis esse necesse sit hoc quod ex istis fecit vt esse possit. Amplius, libro vigesimo primo, de Ciuitate dei, capite octauo, docet diuinam voluntatem esse rerum omnium naturam. Omnia quippe portenta contra naturā dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod dei sit voluntate, cū voluntas tanti vtrique conditoris conditę rei cuiusque natura sit? Portentum ergo sit non contra naturam, sed contra quā est nota natura. Quis autem portetorum numerat multitudinē, quę historia gētium continentur? Sed nunc in hoc vno attendamus quod ad rem de qua agimus pertinet. Quid ita dispositū est ab authorē nature cęli & terre, quę admodū cursus ordinatissimus syderum? Quid tam raris legibus fixisquę firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate quod condidit, stella præ cęteris magnitudine ac splendore notissima, colorem, magnitudinem, figurā, & quod est mirabilius sui cursus ordinem, legemque mutauit. Et exponendo psalmum illum, qui nostrę assertioni vim addit: Omnia quęcunque voluit dominus fecit in cęlo & in terra, & in mari & in omnibus abyssis, dicit: Quis autem cōprehendat hæc? Quis enumeret opera domini in cęlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis? Si comprehendere omnia non possumus, tamen omnia incōcuisse credere & tenere debemus: quoniam quicquid creaturarū in cęlo, quicquid in terra, quicquid in mari & in omnibus abyssis, a domino factū est, quia omnia quę voluit fecit in cęlo & in terra, & in mari & in omnibus abyssis, sicut iam diximus. Non omnia quę fecit, coactus est facere, sed omnia quęcunque voluit fecit. Causa omnium quę fecit, voluntas eius est. Facis tu domum, quam si nolles facere, sine habitatione remaneres. Necessitas coegit te facere domū, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares. Ad faciendam ergo vestem necessitate duceres, non libera voluntate. Conferis montē vitibus, semē spargis, quia nisi feceris, alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis. Deus bonitate fecit, & nullo quod fecit, eguit. Ideo omnia quęcunque voluit, fecit. Putas habemus & nos quod libera voluntate faciamus? Ea enim quę diximus ex necessitate facimus, quia si non faceremus, egentes & inopes remaneremus. Inuenimus aliquid quod libera voluntate faciamus? Inuenimus planē, cū ipsum deū amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis, quando amas quod laudas: nō enim ex necessitate, sed quia placet. Vnde iustis & sanctis dei placuit deus etiam flagellans eos. Beatus quoque Hieronymus enarrās illud Ecclesiastę: Omni negotio est tempus & iudicium, dicit: Licet diuersa eueniāt, & nō possit iustus scire quid ei futurum sit, nec singularum rerum causas, rationesque cognoscere. (Nemo enim est conficius futurorum) tamē scit a deo cuncta in vtilitatem hominum fieri, & non absque eius voluntate disponi. S. Thomas, in prima parte suę summę, quęstione decimanona, articulo quarto, ostendit tripliciter voluntatem dei, esse causam rerum, & deum agere voluntate, & non necessitate nature. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus & natura, necesse est vt agēti per naturam prædeterminetur finis, & etiam mediā ad finem necessaria, ab aliquo superiori intellectu. Sicut sagittę prædeterminatur finis, & certus modus a sagittario. Vnde necesse est quod agens per intellectum & voluntatem, sit prius agente per naturam: & cum omnium agentium primū sit deus, necesse erit vt per intellectū & voluntatem agat. Secundō ex ratione agentis na-

Psalm. 134.

Hieronymus
Ecclesia. 8.

turalis, cuius est effectū vnum producere: siquidē natura non impedita, vno & eodē modo operatur, & agens per naturā habet esse determinatū. Cum igitur esse diuinum non sit determinatū, sed contingat in se totā perfectionem esse, non poterit necessitate nature agere, nisi forte causaret aliquid indeterminatū & infinitum in essendo, quod est impossibile, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundū determinationem voluntatis & intellectus ipsius. Tertio ex habitudine effectū ad causam. Effectus enim procedunt a causa agente, vt in ea præexistunt, quia omne agens, agit sibi simile. Effectus autem in causa præexistunt, secundū modum causę. Vnde cum esse diuinum sit eius intelligere, in eo præexistunt effectus, secundum modum intelligibile, & modo intelligibili ab eo procedunt, & per consequens modo voluntatis. Nam eius inclinatio ad agendū quod intellectu conceptū est, ad voluntatem spectat. Voluntas igitur dei est causa rerū. Dicunt nonnulli sciētiam dei esse causam rerū, per modum dirigentis, eo quod omnis habitus vel cognitio habens rationē artis respectu aliquorū, habet rationem dirigentis: sed sciētia dei habet rationem artis respectu creaturarum, eo quod a deo sunt, est enim deus summus rerū omnium artifex, igitur sciētia dei habet rationē dirigentis. Diuina tamen voluntas est causa rerum per modum inclinantis, & inducentis, eo quod deus est agēs maxime liberum, & res ipsas liberrime producit, quare ad earum productionem mouet voluntas quę est summę libertatis. Nec tamen sciētia dei nec voluntas, est rerum immediata causa. Nam actus illi qui secundum suam propriam rationem æqualiter se habent ad creabilia & non creabilia, non sunt principia immediata producēdi aliquid. quandoquidē qua ratione essent principia producēdi creabilia, eadem ratione essent principia producēdi non creabilia. Sed actus sciētia & voluntatis dei, secundum suam propriam rationem æqualiter se habent ad creabilia & non creabilia, igitur non sunt principia immediata producēdi aliquid. Minor probatur, Actus illi dumtaxat transeunt in creabilia & non creabilia secundum rationem, & non rem, nam in illa ferūtur, vt sunt cognita & volita. Potentia tamen dei, est immediata rerum causa. Quia eius actus transit in alterum secundum rem. Videbitur tamen quispiam, satis aperte suadere, actum diuinę voluntatis ferri in creabilia secundum rem ipsam, proferendo illud psalmographi, Omnia quęcunque voluit dominus fecit, nec quicquam præter eius voluntatem videtur esse necessarium & proximum ad producendum creaturam. Enimvero si deus intellexerit se producturum Socratem & velit eum producere, non addubito quin eum produceret, & voluntas illa intellectui iuncta sufficiens est ad producendum Socratem, est etiam potens creare quicquid creari potest. Adde quod Augustinus, vt iam nosti, censuit voluntatem dei, esse primā causam omnium motionum. quod si sit prima, nulla erit ea prior, & per consequens immediata. Sed nobis satis est differuisse.

CAPVT II.



Voluntatis dei nō est causa querenda. Hanc Assertionē ex sacris literis deducemus. Cū Semei maledixisset Dauidi, & id egro animo tulisset Abisai filius Saruie, parat⁹ Semei caput detriticare, dixit Dauid: Quid mihi & vobis est filij Saruie? Dimittite eū vt maledicat, dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Hęc (si quid iudicij habeas) facile tibi persuadet non esse disquirendū cur deus id voluerit facere, nisi volueris illū ad iracundiā prouocare, cuius voluntas rerum omnium est causa, & qua nihil prius est. quod si dominus te voluerit suo gladio ferire, caue ne scisciteris cur id voluerit, sed equo animo feras quod deus te voluit perferre. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos, interpretās dulcem illam & diuinā Dauidis responsionē, dicit: Voluntas enim dei nō discutienda, sed cū gratiarū actione parieda est. Tū etiā cum Iob rarū patientiæ exēplar, rescivit suas opes periisse, suōsq; liberos mortuos esse, dixit: Nudus egress⁹ sum de vtero matris meę, & nudus reuertar illuc.

2. Reg. 16.

Hierony.

Iob 1.

Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, fit nomen domini benedictum: nec quaesivit cur dominus ei ademisset sua bona, & qua ob causam id voluerit, sed magnitudine animi, aduersa quaeq; tolerando, dixit, sicut domino placuit, ita factum est. Auxiliatur & nobis quod concludit Paulus ex his quae de Pharaone dicit scriptura: Quia in hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cui vult miseretur, & quae vult induerat. Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo tu quis es qui respondeas deo? Nec tibi consulit Paulus ut percontaris cur de huius miseretur, illi vero indurescere sinat. Abditissima dei arcana, & incognita eius iudicia ne quaesieris, in harum siquidem rerum meditatione obstupescis, mens tua hebetatur, ingenij vires fatiscunt & dormitant, & quo magis diuinae voluntatis rationem perquirere volueris, eo minus intelliges, minusque consequi poteris. Subticeas igitur, & tecum habita, nec aduersum diuinam voluntatem obmurmures. Nec ea te metis insaniam corripiat, ut audeas dicere, Respondebo deo, & aduersus eius iustitiam, meam opponam innocentiam, meque aduersus turbulenta eius procellas, ut iustissimum protegam, & protutissimo meae defensionis clypeo, illibatam meae vitae sanctimoniam non verebor obijcere. Tibi tamen deus optimus & maximus dicet, Stulte, si volueris te iustificare, os tuum te condemnabit. Nec est puer vnius diei qui non deliquerit. Enarras Origenes sublimia Paulinae philosophiae mysteria, dicit: Tu quis es qui te in aula regis immergis, & interioris cubiculi ausus es secreta penetrare? Ad haec, Hieronymus excuties illum Ecclesiastae locum, Noli esse iustus multum, & ne quaeras amplius ne obstupescas, dicit Ecclesiastae scire, mentem nostram non posse perfectam comprehendere sapientiam, & iubere ut mensuram fragilitatis nostrae sciamus. Denique & Paulus ei qui plusquam homo scire cuperet, requirebat, dicens: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit? Respondit: O homo tu quis es, qui respondeas deo, &c. Si enim causas quaestionis, ille qui interrogatus introducit, audisset ab apostolo, stupore forsitan torpuit fer, & gratiam sensisset inutile. Tum etiam Augustinus, libro vno 83. quaestionum, quaest. 28. huic assertioni patrocinatur, dicens: Qui querit quare voluerit deus mundum facere, causam querit voluntatis dei. Sed omnis causa efficiens est. Omne autem efficiens maius est quod id quod efficitur. Nihil autem maius est voluntate dei, non ergo eius causa quaerenda est. Et lib. i. de Genesi contra Manicheos, cap. 2. dicit (ut in praecedenti capite monstratum est) Si enim habet causam voluntas dei, est aliquid quod antecedit voluntatem dei, quod nefas est credere. Sunt qui dicunt ex eo diuinae voluntatis non esse causam. Quia deus sicut vno actu omnia in essentia sua intelligit, ita vno actu vult omnia in sua bonitate. Sed in deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, igitur in deo velle finem, non est ei causa volendi ea quae sunt ad finem, licet velit ea quae sunt ad finem, ordinari in finem, vult etiam hoc esse propter hoc, licet non propter hoc, velit hoc.

CAPVT III.

Indicta conceditur. **I** Hanc ex sacris literis Assertionem eruiamus, in Apocalypsi legimus martyres voce magna acclamasse vindictam de tyrannis sibi fieri, qui dicebant: Vique quo domine sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et in psalmis scriptum est: Laetabitur iustus cum viderit vindictam. Dicit etiam Paulus ad Romanos, Dei ministrum gestantem gladium, esse vindicem in ira, ei qui malum agit. Huic quoque sententiae accedit Augustinus enarrans illum psalmographi locum: Ultio sanguinis seruatorum tuorum qui effusus est, &c. vbi amplissime docet conferendo locos sacrae scripturae qui in hac re dissidere videtur, quando licita est vindicta, & etiam quando est illicita. Sic (inquit) intelligitur, cum credunt in deum verum, qui persequebantur eius hereditatem quia & ipsa vindicta est, qua perimitur seque iniquitas eorum gladio verbi dei, de quo dictum est: Accingere gladio tuo, vel cum perseverantes inimici in fine puniuntur. Nam mala temporalia quae in hoc seculo patiuntur, communia possunt habere cum bonis. Est aliud

vindictae genus, quo Ecclesiae dilationem & fecunditatem in hoc seculo post tantas persecutiones quibus ea omnino periturae putabant, peccator & incredulus & inimicus videt & irascetur, de rebus suis frudet & tabescet. Quis enim negare audeat hanc etiam esse grauissimam poenam? Sed nescio vtrum satis eleganter accipiatur quod ait, ante oculos nostros. Si enim hoc poenae genus intelligamus, quod in intimis cordis agitur, & torquet etiam illos qui nobis adulater arrident, nec a nobis videri potest quid in homine interiore patiantur. Illud autem quod siue eis, credentibus iniquitas eorum interimitur, siue in malignitate perseverantibus supplicium nouissimum redditur, sine serupulo quaestionis intelligitur dictum, innotescat ante oculos nostros vindicta in nationibus. Et haec quidem prophetatio est, non operatio. Sed propter illud quod scriptum est in Apocalypsi, sub ara dei martyres ad deum clamare & dicere: Quousque domine non vindicas sanguinem nostrum? non est pretereundum quemadmodum accipi oporteat, ne propter exaturandum odium, credatur sancti desiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longe abest, & tamen scriptum est: Laetabitur iustus cum viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et apostolus Paulus ait: Non vos ipsos vindicantes charissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim, mihi vindicta, & ego retribuam dicit dominus. Nec ipse itaque precepit ut nolint vindicari, sed ut non seipsi vindicantes, det locum irae dei, qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et dominus in Euangelio, viduam proponit in similitudinem quae vindicari desiderans, iudicem interpellabat iniustum, qui eam tandem aliquando non iustitia ductus, sed raedio victus audiuit. Hoc autem dominus proposuit, ut ostenderet multo magis deum iustum cito facturum iudicium electorum suorum, qui ad eum clamant die ac nocte. Inde est & ille sub ara dei martyrum clamor, ut dei iudicio vindicetur. Vbi est ergo illud, Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur? Vbi est & illud, Non reddetes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, & nulli malum pro malo reddetes? Si enim malum pro malo non est cuiquam reddendum, non solum factum malum pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto vel voto malo. Reddit autem malum votum, qui etiam si non seipsum vindicat, tamen ut eius inimicum deus puniat, expectat atque optat. Quapropter cum & homo iustus & homo malus de inimicis suis velint a domino vindicari, unde discernetur nisi quia iustus & magis cupit inimicum suum corrigi quam puniri: & cum in eum videt a domino vindicari, non eius delectatur poena, quia non eum odit, sed diuina iustitia, quia deum diligit: Denique si in hoc seculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam laetatur, si corrigitur: vel certe pro alijs, ut eum timeant imitari. Ipse quoque fit melior non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia est, non de malitia quod laetatur iustus, cum videt vindictam: & manus suas lauat, id est opera sua mundiora efficit in sanguine, hoc est in exitio peccatorum, sumens inde non mali alieni gaudium, sed diuinae admonitionis exemplum. Si autem in futuro seculo ultimo dei iudicio vindicatur, hoc ei placet quod deo, ne bene sit malis, ne piorum praemijs etiam impij perfruantur. Quod vtrique iniustum est, & a regula veritatis, quam iustus diligit, alienum. Cum enim nos ad diligendos inimicos dominus hortaretur, exemplum proposuit patris nostri qui in caelis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, nunquid tamen: ideo vel temporalibus correptionibus non emendat, vel pertinaciter duos in fine non dānat? Sic ergo inimicus diligatur, ut non displiceat domini iustitia qua punitur. Et sic placeat iustitia qua punitur, ut non de malo eius, sed de bono iudice gaudeat: maleuolus enim animus corrumpitur, si eius inimicus correctus euaserit poena. Et cum puniri eum videt, vindicari ita se gaudet, ut non iustitia dei quae non diligit, sed illius quae odit miseria delectetur. Et cum deo dimittit iudicium, ut plus noceat deus quam ipse nocere possit, exoptat. Et cum dat cibum esuriēti inimico potumque sitiēti, malitiose sapit quod scriptum est: Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Agit enim ut amplius aggrauet, & ei excitet indignationem dei quam

Psalmo 111

Psalmo 78.

Psal. 57.

Roma. 12.

Deute. 32.

Luca 18.

Matth. 5.

1. Petri 3.

Matth. 5.

Roman. 12.

cc. ij.

carbonibus ignis significari putat nō intelligens illum ignē esse poenitētię vrentē dolore, quousq; caput erectū superbia beneficijs inimici ad humilitatē salubrem deponatur, & in bono illius, huius malū vincatur. Vnde apostolus vigilāter adiunxit: Noli vinci à malo, sed vince in bono malū. Quomodo autē potest vincere in bono malū, in superficie bonus, & in abdito malus: qui opere parcat, & corde sequit: manu mitis, volūtate crudelis? Sic ergo specie pōscētis in hoc psalmo futura in impios vindicta prophetatur, vt intelligamus sanctos homines dei, suos inimicos dilexisse, nec cuiquā voluisse nisi bonū quod est pias in hoc seculo, eternitas in futuro, in poenis autē malorum nō malis eorū, sed dei bonis iudicijs fuisse delectatos. Et vbi cunq; in scripturis sanctis legūtur in homines odia eorū, odia fuisse vitiōrū, quę ipse etiā vnusquisq; hominū odire debet in se si diligit se. Animaduerte ex ijs quę monuit Augustinus, vindictā esse licitam, cū quis secundū ordinem diuinę institutionis desiderat iustitiā dei, in hominū flagitia exerceri vt poenis afflicti respiciant, & magis cupit ille inimicū & flagitiosum hominē corrigi q̄ puniri, nec delectatur poena quatenus poena est, & afflicto tormētum ac malū, alioquī odiret proximū quod fraternę charitati aduersatur, sed quatenus videt secundū diuinā iustitiam poenā illam illi cedere in bonū. Denique nō pascit illius odia, sed vitia corrigit: nec inuidia ac maleuolētia ducitur, cū agnoscit dominū huiusmodi vitia castigasse, sed zelo ac affectu iustitię, in plectēdis perditissimorū hominum delictis cōmorus, delectatur si à domino vindictā fieri perspexerit. Non est tamē libidine & affectu nocēdi postulanda vindicta, vt planē indicat quę ex noui testamēti scripturis adducta sunt. Et hęc rursus demonstrat Augustinus exponēdo psalmum illū, Faciens misericordias dominus, & iudiciū eis qui iniuriā accipiunt: Non ergo (inquit) putet aliquis futurā in se esse misericordiā dei, si est ipse immisericors. Sed audi quę sit mēsurā misericordię; ne quasi in amicū sit, & non sit in inimicū, dictum est: Diligite inimicos vestros. Satiari vis bonis dei? satiata sit in te misericordia dei, plena misericordia, ipsa est perfecta misericordia, ipsa est quę amat, quę diligit etiā habentem se odio. Nā quid faciā inquis? Si cōperio diligere inimicū meum, iniurias accipiā, & iniuriā perferam, & nō me vindicabo cū affint leges? Iustus est vt vindices te. Conceditur quia iustum est. Vide vtrū ne habeas, quod in te vindicetur, & vindica: sic enim dicit, ita ne me nō vindicabo? quāsi deus iustitiā vindictę reprimat, & non superbiā vindicantis extinguat. Aut verò adultera illa nō erat lapidanda, aut si lapidaretur iniquum aliquid fieret? Si inique fieret, inique iustum esset. Lex autē iussit, deus iussit. Sed o vos vltiores, videte si nō estis peccatores. Adducta est adultera mulier, lapidāda ex lege, sed adducta est ad latorē legis. Sæuis qui adduxisti, vide quid sæuias, & in quā sæuias. Si peccator in peccatricē, desine sequi, prius confitere. Si peccator sequis in peccatricē, relinque illā. Nouit ille quid de illa sentiat, quid iudicet, quomodo parcat, quomodo sanet. Ex lege sæuis? melius nouit quid agat legis lator ex qua sæuis, iam dominus eo tēpore quo illi oblata est, inclināto capite scribebat in terra. Tūc scripsit in terra, quādo se inclinauit in terrā. Antequam se inclinaret in terrā, non in terra scripsit, sed in lapide, iā fructuosum aliquid erat terra de domini literis paritura: in lapide legem scripserat, significans duritiā Iudæorum: in terra scripsit, significans fructum Christianorum. Venerunt ergo illi adducētes adulteram tāquam sequentes fluctus in petram, sed eius responstone cōfracti sunt, ait enim illis: Qui in vobis sine peccato est, prior in illam lapidem iacet. Et rursus inclināto capite scribebat in terra. Et vnusquisque iam interrogans conscientiam suam, non comparuerunt. Repulit eos, non infirma mulier adultera, sed adultera cōscientia. Qui vindicare volebant, iudicare cupiebant, venerunt ad petram, absorpti sunt iuxta petram iudices eorum. Deinde circa finē expositionis illius versiculi, dicit: Qui forte pertinent ad gubernationē tuam vindica, coerce cum dilectione, cū charitate, artēdens salutē æternam: ne cum parcis carni, anima pereat. Fac hoc, & mul-

Ibidem.

Psalm. 102.

Matth. 5.

Ioannis 8.

Ioannis 8.

Psalm. 140.

tos passurus es, in quos nō potes exercere disciplinā, quia nō pertinent ad iura gubernationis tuę, ferro iniurias, securus esto, faciet enim misericordias dominus, & iudiciū omnibus iniuriā accipientib⁹. Sic in te facit misericordiā, si miserrus fueris, sic eris misericors, vt quod pateris iniuriā, non sit impunitū. Mihi vindictā, & ego retribuā dicit dominus. Tum etiam lib. 1. quęstionum Euangeliorū, quęst. 9. dicit, Officia vindictę possunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo iudex: officia verò misericordię mali implere nō possunt. Id etiā recensetur 23. quęst. 7. cap. Officia, Intellige malos & suis addictos vitijs, nō posse officia misericordię implere, quia eis admodū est difficile, indigētib⁹ pietatis officia prestare: nō quod nullo modo possint officia misericordię adimplere. Deniq; lib. 2. eiusdē operis quęst. 45. ostēdit iustos nō absurde vindictā desiderare: Si autē (inquit) monetur cur electi dei se vindicari deprecētur, quod etiā in Apocalypsi Ioānis de mar tyribus dicitur, cū apertissime moneamur vt pro nostris inimicis & persecutoribus oremus, intelligendū est eam vindictā esse iustorum, vt omnes mali pereant. Pereunt autē duobus modis: aut cōuersione ad iustitiā, aut amissā per supplicium potestate qua nūc aduersus bonos quādiu hoc ipsum bonis expedit, vel tēporaliter aliquid valent. itaq; etiam si omnes homines cōuenterentur ad deū, inter quos sunt etiā inimici pro quib⁹ iubemur orare, diabolus tamē qui operatur in filijs diffidētię remaneret in seculi sine dānandus. Quem finem iusti cū venire desiderāt quis pro inimicis suis oreat, tamē non absurde vindictā desiderare dicitur. Et 2. parte quęstionū ex nouo testamēto, quęst. 68. dicit: Si quis Christianus ad tēpus vindicet, nō acerbe neq; cum sanguine, nō peccat: melius tamen fecerit si dimiserit iudici deo. taxat Augustinus acerbā vindictā & quę fit cū effusione sanguinis, nō sine maximo nostri proximi detrimēto, mediocrē verò & temperatā quę non fit in odiū proximi, sed in eius correctionē, laudat: consulit tamē Chřiano, vt se cōtinēat ab vltione, & sinat dominū vlcisci delicta. Ad hęc, lib. 1. de Sermone domini in mōte, multo apertius demonstrat non esse postulandā vindictā odio, sed amore correctionis & iustitię. Si quidē exponendo Euāgelica illa cōsilia, Si quis te percussit in dexterā maxillam tuā, prebe illi & alterā. Et ei qui vult tecū in iudicio cōtēdere, & tunicā tuam tollere, dimitte ei & palliū. Et quicumq; te angariauerit mille passus, vade cū illo & alia duo, de hac disputatione in hunc modum scribit, In his sanē generibus triū exemplorum nullū genus iniurię prætermisū esse video. Namq; omnia in quib⁹ improbitatē aliquā patimur, in duo genera diuidūtur: quorū alterum est quod restitui nō potest, alterū quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictę solatiū quęri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis? Nūquid propterea aliquid quod in corpore lesū est, restituetur in integrū? Sed tumidus animus talia fomēta desiderat. Sanū autem firmūmq; ista nō iuuant, quin potius misericorditer perferēdam alterius infirmitatē iudicat, q̄ alieno supplicio suā mitigandam quę nulla est. Neq; hic ea vindicta prohibetur, quę ad correptionem valet, etiā ipsa pertinet ad misericordiā, nec impedit illud propositū quo quisq; paratus est ab eo quę correctū esse vult, plura perferre. Sed huic vindictę referendę non est idoneus, nisi qui odiū quo solent flagrare qui se vindicare desiderāt, dilectionis magnitudine superauerit. Nō enim meruendū est ne odisse paruulū filium parentes videantur cū ab eis vapulat peccās, ne peccet vltorius, & certe perfectio dilectionis ipsius dei patris imitatione nobis proponitur, cū in sequentibus dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos, & orate pro eis qui vos persequūtur, & tamē de ipso dicitur per prophetā: Quem enim diligit dominus corripit, flagellat autē omnem filium quę recipit. Dicit & dominus, seruus qui nescit voluntatē domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis. Seruus autē qui scit voluntatē domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit multis. Non ergo quęritur nisi vt & ille vindicet, cui rerū ordine potestas data est, & ea voluntate vindicet qua pater in paruulū filium, quę per grātē odisse nondū po-

Psalm. 102.

23. quęst. 5. ca. Officia.

Ephesios 2.

Matt. 5.

23. quęst. 4. ca. Ea vindi.

Prover. 34.

Hebræ. 12.

Lucæ 12.

test. Hinc enim aptissimum exemplum datur, quo satis appareat posse peccatum amore potius vindicari quam impunitum relinqui: ut illum in quem vindicat non poena miserum, sed correctione beatum velit, paratus tamen si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata quæ vult esse correctum, siue in eum habeat potestatem coercendi, siue non habeat. Magni autem & sancti viri qui iam optime scierunt mortem istam, quæ animam dissoluit à corpore, non esse formidandam, secundum eorum tamen animam qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quo & viuētibus vitis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum quod auergeri posset si viueret. Non temere illi iudicabant, quibus tale iudicium donauerat deus. Inde est quod Helias multos morte affecit, & propria manu, & igne diuinitus impetrato, cum & alij multi magni & diuini viri eodem spiritu cõsulendis rebus humanis non temere fecerint. De quo Helia cum exemplum dedissent discipuli domino cõmemorantes quid ab eo factum sit, ut etiã ipsis daret potestatem petendi de cælo ignem ad cõsumendos eos qui sibi hospitium non præberent, reprehendit in eis dominus non exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi quæ adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amore correctionis, sed odio desiderare vindictam. itaque postea quæ eos docuit diligere proximum tanquam seipsum, in suo etiã spiritu sancto, quæ decem diebus cõpletis post ascensionem suam desuper ut promiserat misit, non defuerunt tales vindictæ, quãuis multo rarius quam in veteri testamento: ibi enim ex maiore parte seruitutes timore premebantur, hic autem maxima dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis apostoli Petri Ananias & vxor eius, sicut in Actibus apostolorum legimus, exanimis ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti. Sed si huic libro heretici qui aduersantur & veteri testamento, nolunt credere, Paulum apostolum quæ nobiscum legunt, intueantur, dicentem de quodam peccatore, quæ tradidit satanæ in interitum carnis, ut anima salua sit. Er si nolunt hinc mortem intelligere, fortasse enim incertum est, quãlibet vindictam per satanam factam ab apostolo fateantur, quod non eam odio, sed amore fecisset, manifestat illud adiectum, ut anima salua sit. Aut in illis libris quibus ipsi magnam tribuunt auctoritatem animaduertat quod dicimus, ubi scriptum est apostolum Thomam imprecatum cuidam à quo palma percussus esset, atrocissimæ mortis supplicium, animam eius tamen commendat, ut in futuro ei seculo parceretur, cuius à leone occisi à cætero corpore discerpta manum canis intulit mensis in quibus cõuiuabatur apostolus: cui scriptum relictum nobis non credere, non est enim in catholico canone, illi tamen eam legunt & tanquam incorruptissimam verissimamque honorant, qui aduersus corporales vindictas quæ sunt in veteri testamento nescio qua cecitate acerrime sequuntur, quo animo & qua distributione temporum facta sint omnino nescientes. Tenebitur ergo in hoc iniuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste à Christianis modus, ut accepta iniuria non surgat in odium, sed infirmitatis misericordia parat? sit animus plura peti, nec correctionem negligat, qua vel cõsilio vel auctoritate vel potestate uti potest. Idem expressit libro vno contra Adimantum Manichei discipulum, cap. 17. ubi ita scribit: Displicet istis miseris quod deus populo suo interficiendos tradidit inimicos, & ipsi panem mendicanti dari prohibent, non inimico sed supplici, intelligant potius sine odio esse posse vindictam, quam pauci intelligunt, & tamen quando non intelligitur, tandiu necesse est, ut lector in libris vtriusque testamenti magno labore, aut errore iactetur, & putet contrarias sibi esse scripturas. Quam vindictam sine odio nondum apostoli animo caperant, quando irati eis à quibus non recipiebantur hospitio, quæserunt de domino vtrum vellet eos petere ignem de cælo, sicut Helias fecerat, quo igne homines inhospitales cõsumerentur. Tunc respondit eis dominus, dicens eos nescire cuius spiritus filij essent, & quod ipse liberare venisset, non perdere, quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos quos volebant igne cõsumi. Postea verò cum impleti essent spiritu sancto, & perfecti facti essent, qui iam possent etiam inimicos diligere, acceperunt potestatem vindicandi, quia iam sine

4. Reg. 1.

Lucæ 9.

Actuum 2.

Acto. 5.

1. Corin. 5.

odio poterant vindicare. Insuper eodem excutiendo scrupum libro primo, contra aduersarium legis & prophetarum, capite decimosextimo, dicit: Nonne prius in illis veteribus libris lectum est, non reddendum malum pro malo, ubi præcipitur ut si iumentum inimici sui errare quis inuenierit, reuocet domino eius: & si cecidisse in via, non pertranseat, sed leuet cum illo? Nonne ibi prius scriptum est, quod apostolus ponit: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi? Nonne ibi prius homo dei deo suo quod ei vtiq; scit placere dicit: Domine deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuētibus mihi mala? Nonne ibi prius Hieremias propheta describit sancti patientiam præbentis percutienti se maxillam? Nonne ibi prius per alium prophetam præcipitur ut malitiam vniuersi fratris sui non reminiscatur? Quid est ergo quod iste blasphemus hæc tanquam contraria veteri testamento, de nouo colligit, aut vtrasque literas nesciens, aut ut decipiat imperitos se scire dissimulans? A quo tamen si queratur, vtrum non reddat malum pro malo, qui pro cibo non accepto in ignem mittit æternum, profecto turbabitur & admonebitur incomparabiliter esse mitius oculum pro oculo, dentem pro dente homini auferre, ubi mensura vindictæ modum non transit iniuriæ, quam propter non exhibitam humanitatem, tantam repperdere seueritatem, ubi transitoria est culpa, & finem non habet poena. Atque ita disset, si peruicax non est, in vtroque dei vniuersi testamento, & amandam bonitatem, & rimendam seueritatem. ¶ Obijciat quispiam in nostram assertionem, Chrysoctomus in ea homilia quã fecit: Quod nemo læditur nisi à semetipso, proferendo illud Deuteronomij. Mihi vindictam, & ego retribuam dicit dominus, ostendit hominem non debere vlcisci iniuriam sibi illatam: Vis (inquit) videre quantum mali habeat vindictæ cupiditas? misericordiam deo auferit ab homine, & concessam iam gratiam infringit ac reuocat. Scriptum est enim in Euangelio, quod is qui multorum talentorum debitor fuerat, & veniam precatus à domino impetrauerat, cum cõuersus ad seruum suum, qui ei parum pecuniæ debebat, hoc est qui in eum parum peccauerat, exigere eum cœpit vindictam scilicet sumere. Et ob quod immitis fuit erga indulgentiam cõserui, ipse de se sententiam tulit, ut non solum iam concessa non frueretur indulgentia, sed & tortoribus traderetur, atque vniuersam debiti summam cum supplicijs, poenarumque persolueret, & ita pro vindictæ desiderio manus diuinæ perdidit indulgentiæ. Et sermone de Laude dei, id multo fusius declarat: Fuit tibi (inquit) quisque iniurius, aut malo affecit: ingemisce, ne maledictis incesseris, funde lacrymas, non iniuriæ gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum & dominus tuus Iudas deplorauit, non enim quod cruci suffigeretur, deslebat, sed quod se ille esset ad sui perniciem proditurus. læsit te quispiam, aut cõtumelia infectatus est? deum precare, uti mox illi concilietur & parcat, frater enim est, tuum est membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam. Dicit aliquis, At si id egero, maiorem mihi in modum aduersarius insultabit: ergo & maiora te & plurima manebunt premia, eoque iustius ira mittenda est, cum illum videris vulnere mortali affectum. Dæmon enim plagam illi infixit, idcirco neque erit is rursus per te exulceratus, vel aliquo modo calcandus, quæ videris per dæmonem cõsternatum. Siquidem licebit tibi stanti illi & erecto, opem & salutem ferre. Quod si in reddenda iniuriarum vice & ipse corrues, cui erit vos subleuandi facultas? non faucio illi? Minime. Num tibi qui æque atque ille cõcidisti? Quo enim pacto qui tibi ipsi facere satis nequies, opem alteri tuleris? cõsiste itaque, & animi quadam magnitudine scuto prælatro, fratrem vel mortuum è prælio substrahe, percussumque ira haud irritabis, quin potius affixum ei spiculum auelliro. Cuiusmodi vitæ consuetudo si fuerit per nos seruata, statim optima erimus. valetudine cõmuniti. Verum si fuerimus in nos semper armati, nulla erit dæmonum industria ad nostrum exitum necessaria. etenim si ciuile bellum existimandum est, magis tamen nostrum hoc eo molestius esse apparebit, quo nostræ huius societatis humanæ, vel potius necessitudinis iura potiora sunt.

Exodi 23.

Proverb. 25.

Roman. 12.

Psal. 7.

Thren. 3.

Leuit. 19.

Chrysocto.

Matth. 18.

Gene. 4. Necauit Cain quōdam germanum Abel, & propinquitatis sanguinem fudit: quæ cædes tanto iniquior habenda est, quanto cōsanguinitas ipsa sublimior. is vtrique corpus ferro transfodit, tu verò in animam, gladium acuis. Cain forte prior malo affectus est, ac non male pati, sed facere improbe, hoc est male perpeti. Attendite itaque. Occidit Cain, Abel enecatus est: vter horum extinctus est? Illène qui post mortem ad deum clamitans, questus est, Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, an is qui vitam omnē transegit trepidus? Is fanè, is erat quouis mortuo calamitosior. Vides itaque quàm longe præter illatæ iniuriæ tolerantiã, vel si fuerit adusque interitum peruentum. Edisce præterea quàm sit conditione inferior, qui illam intulerit. Percussit germanum Cain, è vitæque sustulit: horum tamē coronatus est alter, alter poenas pro scelere luit. iniustus Abel occisus est, mortuus tamen cædis fratrem insimulans vexabat, & comprehensum manibus tenebat: Cain verò tacens, & à deo increpitus pudore afficiebatur, contrarij quàm speraret effecit: fratrem enim quem deo gratum spectasset, interemit, existimãs hoc pacto diuinum illi amorem, quem auxit magis, intercludere. Si quidem mortuum deus diligentius conquirebat, dicēs: Vbi nam Abel frater tuus? non enim dei desiderium extinxit inuidia, quin potius auctum reddidit: non enim tua hac cæde Cain, sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis & ampliati: qui etsi ante hac illum tibi subiecerat deus, nūc tamen de te vel extinctus supplicium sumet, plurimum enim is deum colebat. Vter igitur horum de cæde sententiam laturus est, qui sumpserit, an qui dederit poenas? qui tanto fuerit apud deum dignus honore habitus, an qui noua quadam sit, & exquisita poena affectus? Viuentem Abel, nihil es Cain veritus, mortuum ergo pertimesce: cum ferro hunc esles inuasurus nō hil trepidasti, formidine tamē sanguine profuso perpetua capiere. Hunc cū in humanis ageret, tibi vel morigerum haud tolerasti, mortui ergo acerbior huius erit in te dominatus. His itaque omnibus cognitione perceptis, inuidia cauēda erit, & nequitia extinguenda, reddendaque mutuo charitas, vt per eam nobis tum vitæ huius, tum futuræ bona vendicemus. Hæc ille. Agnoscis quanta iactatus sit Cain miseria, quantum denique supplicij perpeffus sit, quod liuore commotus, cruenta manu vindicauerit iniuriam non quidem sibi illatam, sed quam putauit iniuste sibi irrogatã fuisse. Nam ægre tulit quod dominus ad Abel & ad eius munera respexisset, ad se verò suãque munera minime. Et homilia vigesima septima, in Genesim, exponendo locum illum, Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, dicit: Nihil omnium deus ita odit & auersatur, vt hominem vltionis audum, & in animo suo perperuas seruantem inimicitias. Tantum enim eius peccati damnus est, vt misericordiam dei reuocet, nec locum habere sinat. Tum etiã explicando illud Ioannis, Qui māducat panem meum, leuabit calcaneum suum contra me, dicit abstinendum esse ab vltione exemplo Iosephi viri fanè patientissimi, qui non modo non vltus est iniuriam sibi à suis fratribus illatam, sed crimen in se patratum excusauit. Præterea Hieronymus in Epistola ad Geruntiam, de Monogamia, ostendens Euangelium longe veteri testamento præcellere, sentit cum beato Chrysofomo dicens: Olim gloriæ erat illum audire versiculum, Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum. Nunc de cōtinentibus dicitur, Qui adhæret domino, vnus spiritus est. Et adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Tunc oculus pro oculo, nunc verberanti maxillam, præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimæ, modo audit Petrus, Conde gladium tuum in vaginam: qui enim gladio percutit, gladio morietur. Hæc dicimus non separantes legem & Euangelium, vt Marcion calumniatur, sed vnum atque eundem suscipiētes deum, qui pro varietate temporum atque causarum principium & finis, serit vt metat, plantat vt habeat quod succidat, iacit fundamentum vt ædificationi consummato seculo, culmē imponat. In hanc quoque descendit

sententiam Origenes, enarrans quod in psalmis legimus, Qui enim quærebant mala mihi locuti sunt vanitatem, & dolum rota die meditabatur: Ego autem velut surdus non audiebam: Nihil (inquit) hac virtute præclarius, nihil excellentius inueniri potest, vt audiens vnusquisque maledicos atque obrectatores suos male loqui, carpere, detrahere, inculcare, ipse auertat aurem suam quasi non audiens, & declinet oculos suum tanquam non videns, ne iracundia exasperetur, & profiliat ad vindictam, ne quærat oculos pro oculo, nec verbum pro verbo, nec maledictum pro maledicto, nec mendacium pro mendacio, nec crimen pro crimine, talis ergo est iustus. Iam enim (vt dixi) iustum eum dico qui per confessionem suam peccatorum suorum euomit passiones. Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiēs os suum. Et factus sum sicut homo non audiens. Cum maledicerer, cum criminarer, cum omnia probra de me homines proferrent, ego eram sicut surdus, & non audiebam, & sicut mutus nō aperui os meum, pro maledictis nulla maledicta reddebam. Et commentando illum Pauli locum: Nulli malum pro malo reddentes, dicit: Si malum inferre peccare est, & reddere malum, non (vt quibusdam videtur) iustum est, sed simile peccatum est, aut (vt ego arbitror) etiam grauius. Nam ille qui malum prior intulit, non sentit malum esse quod fecit: qui autem reddidit malum, eo ipso quo ad vlciscendum est motus, confessus est sensisse malum esse quod reddidit. & ideo respiciendum est semper ad eum qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Nec ab Origenis iudicio euariat Ambrosius enarrans quod dicit Paulus ad Romanos, Non vosmetipsos defendētes charissimi, sed date locum iræ: Vt (inquit) pacis fœdera seruari possint, ab ira dissimulandum monet, maxime quoniam per iram solet peccari, quando quis furore commotus plus exigit quàm postulat causa delicti, aut sibi ipsi incommodum præstat, si grauiora peccata incōpetenti vindicta vult exequi: debilem enim efficit, quem potuit emendatum habere & sanum. Vnde & Salomon: Noli (ait) iustus esse multum. Est enim (inquit) qui perit in sua iustitia. Volens enim singulis peccatis respondere circa vindictam, mortem potest inuenire tam sibi quàm ei quem plagis affligit. Solent enim in poenam delinquere. Non solum autem de subiectis vindictam prohibet competentem, sed & de paribus & magnis, hoc est, de fratre forte in nos peccante non quæramus vindicari, sed remittamus, dei iudicio reseruantes: ne dum ab ira detinemur, inueniat locum inimicus in quo suggerat & suadeat quod contra nos est. Amplius dicit Hylarius canone quarto in Matthæum, edisserendo locum illum: Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. Lex infidelem Israel intra metum continebat, & iniuriæ voluntatem iniuriæ vicissitudine coercebat: fides autem nullius tam grauem dolorem esse patitur iniuriæ, vt vltionem expetat, & illatæ sibi quisquam vindex sit contumeliæ: quia in iudicio dei & perpeffis iniuriam plus est consolationis, & poena seuerior iniuriōsis. Atque ita non solum ab iniquitatibus nos abesse Euangelia præcipiūt, verum etiam vlciscendæ iniuriæ exigunt dissimulationem: nam accepta alapa, maxillam alteram iubemur offerre: & mille passus onus vehētes, progredi in spatium passuum duum millium, iniuriæ augmento profectum vltionis habituri, ipso virtutum caelestium domino ad incrementum gloriæ & maxillas palmis, & flagris scapulas offerente. Quicquid ex illis celeberrimis viris obiectum est, facile ex ijs quæ annotauimus, dilui potest, dicendo illos vindictam amore & cupiditate vindictæ inhibuisse. Nam (vt scribit Augustinus in epistola ad Marcellinum) cauendum est ne vindicandi cupiditate amittatur ipsa patientia, quæ pluris est habenda quàm omne quod potest etiam inuito inimicus auferre, non tamen vindictam zelo iustitiæ desideratam, & quæ ad correctionem peccatoris destinatur, inhibuerit. Aut si mauis, non est optanda vindicta vt odium exerceatur, sed vt prauitas corrigatur. quod si liceat Christiano obseruata æquitatis lege resistere malo, licebit & eadem dicendi ratione, vlcisci malum. Vnde Chrysofomus exponens

Origenes.
Psal. 37.

Roma. 12.

Deute. 32.
Ambrosius.
Roman. 12.

Ecclesia. 7.

Hylarius.

Augustinus

23. quæst. 4.
capite Mali.

Matth. 5. illa Christi verba, Dico vobis, non resistere malo, dicit: Quid igitur, non oportet nos resistere malo? oportet quidem, sed non hoc tamē modo. Verum eo quo ipse praecepit, vt scilicet ad patiēdas nos iniurias praebeamus, sic enim illum profecto superabimus: nec enim aliquando ignis igne, sed aqua vtiq; ignis extinguitur. Dicunt nonnulli vindictam esse illicitam, quando principaliter intentio vindictae fertur in malū illius de quo vindicta sumitur, & ibi quiescit. Nam malū alicuius spectat ad odium, quod maxime charitati repugnat. Est tamē licita, quando principaliter fertur ad quodpiam bonum, quod nascimur emendatione delinquentis, vel saltem eius cohibitione, & etiam vt respublica seruetur illaesa, & diuinus honor omnibus innotescat.

CAPVT IIII.

Leuitici 27. **V**ota sunt soluēda.] Hanc Assertionem ex sacris literis affirmabimus: In Leuitico scriptum est, Homo qui votum fecerit, & sponderit deo animam suam, sub aestimatione dabit pretiū. Si fuerit masculus à vice-
 simo anno vsque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij: si mulier, triginta. A quinto autem anno vsque ad vice-
 simum, masculus dabit viginti siclos: foemina, decem. Ab vno mense vsq; ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro foemina, tres. Sexagenarius & vltra, masculus dabit quindecim siclos: foemina, decem. Si pauper fuerit, & aestimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote, & quantum ille aestimauerit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit. Animaduerte pro hu-
 iusce contextus intelligentia, quod cum homo non esset animal immolatum, votum de humana persona factum, non erat soluēdum per eius immolationem, sed per redemptionem, & secundum diuersitatem aetatis erat habenda solutionis ratio, vt perspicue docet historia. Et aliubi de voti solutione legimus: Si quis virorū
 Num. 30. votum domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit. Item, Cum votum voueris domino
 Deute. 23. deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud dominus deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis obseruabis, & facies sicut promissisti domino deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Rursum, Vota mea reddam in conspectu timērium eum. Et apertius multo ostendit Psalmographus aliubi nos obstringi ad soluendum deo votum, dicens: Vouete, & reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Dicit etiā Ecclesiastes, Siquid vouisti deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcūque voueris, redde. Multoque melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Scribit etiam Esaias: Vota vouebunt domino, & soluent. Nec diuersum est quod commemorat Naum propheta: Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua. Dicebat & Ionas: Quaecumque voui reddam pro salute mea domino. Nunc quid de soluendis votis senserint peritissimi sacrarum
 Augustinus scripturarum interpretes proferemus. Augustinus in epistola ad Armētarium Riparium, qui perfectum mundi contemptum vnā cum sua vxore vouerat, dicit: Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior, quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. Nūc verò quia tenetur apud deum spōsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris si non feceris quod vouisti, qualis mansisses si nihil tale vouisses: minor enim tunc esses, non peior. Modo autem tanto, quod absit, inferior si fidem deo fregeris, quanto beator si persolueris. Nec ideo te vouisse poeniteat, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis, ipse adiuuabit qui vota tua experit. Foelix est necessitas, quae in meliora compellit. En vides quantum honoris deferat

Augustinus ijs qui constanti animo decertant aduersus mundum & callidas diaboli insidias ne fidem deo praestitam frangant, & voti sanctimoniam polluant. quanto enim deterior futurus est, qui votum frangit, cum id ipsum seruare potest, tanto beator futurus est qui inuicta animi magnitudine votum obseruat. Et libro vno de Fide, ad Petrum Diaconum, capite 3. latius rem eandem pertractando, dicit: Quisquis seipsum castrauerit propter regnū caelorum, & in corde suo continentiam deo vouerit, non solum si mortifero fornicationis crimine maculetur, verum etiam si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam, damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit. Sicut ergo secundum Apostoli sententiam, dignum est vt vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. quia si quis acceperit vxorem, non peccat: & si nupserit virgo, non peccat: ita secundum eiusdem Apostoli dictū, Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, & vouerit continentiam deo, debet eam vsque in finem tota mentis sollicitudine custodire, ne damnationē habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter & coniugati viri & coniugatae mulieres, si ex consensu perennem deo vouerint continentiam, nouerint se sui voti obnoxios detineri, nec iam sibi debere commixtionem carnis, quam primitus licitam habuerunt, sed deo se debere continentiam quam vouerunt. Tunc enim vnusquisque regnum caelorum, quod sanctis promittitur possidebit, si obliuiscens quae retro sunt, & in anteriora extendens seipsum, secundum quod in psalmis dicitur, Vouete, & reddite domino deo vestro, quod scit esse licitum, & ad profectum melioris vitae pertinere cognoscit, & libeter voueat, & celeriter reddat, & in hoc quod votū reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim vouenti deo & reddenti quod vouit, ipse quoque deus reddet caelestis regni praemia quae promisit. Velim te rem cursim attingendo cognoscere eam fuisse Augustini sententiam, fornicationē esse peccatum mortale, quod mortiferum crimen appellat, vt à tanti vitij spurcitia abhorreas. Nec (vt caeco innotescere potest) agit de adulterio, sed de fornicatione simplici. Idem ex Paulo confirmari potest, nobis suadente nullum habendum esse cum fornicarijs cōmercium, nec quempiam debere cum illis cōmisceri, alioqui melius ei fuisset, de hoc mundo exiisse. Etiam inter opera carnis, connumerat fornicationem, quam hac conclusionē patefacit reddere hominem indignum vita aeterna, imò promeruisse, vt ad inferni barathrum protrudatur: Qui (inquit enumeratis carnis vitijs) talia agunt, regnum dei non consequentur, volens innuere hominem cum fornicatione etiam simplici discedentem, de qua non egit poenitentiam, nunquam aeternae vitae felicitatē consequuturum. Quod si fornicatio simplex solū esset peccatum veniale, non diceretur, Qui tale crimē commisit, regnum dei non consequetur. Nam decedens ex hac vita cum peccato veniali, consequetur aliquando expiata tantilli vitij culpa in purgatorio, in quo ad tempus luet poenam, aeternū beatorum praemium. His adijciunt rationem doctores nostri, Omne peccatū est mortale quod proxime siue (vt dicunt) directe committitur contra vitam proximi, sed simplex fornicatio est huiusmodi, igitur. Minor probatur: Fornicatio simplex in se includit inordinationem quae vergit in nocumentum vitae eius qui est ex tali concubitu nasciturus. Verum ab hac digressiuncula, quam non existimo fore molestam candido lectori, ad Augustinum redeo, dicentem libro primo de Adulterinis coniugijs, capite vigesimo quarto: Nulla conditione rumpēda sunt, quae sine vlla conditione homines vouerunt, quia & hoc dominum praecipisse intelligendum est, vbi legitur, Vouete, & reddite domino deo vestro. Vnde Apostolus de quibusdā quae continentiam vouent, & postea nubere volunt, quod eis antequam vouissent vtrique licebat: Habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Nihil ergo expedit quod illicitum est, & nihil quod prohibet dominus, licitum est. Tum etiam disserendo psalmum illum, Reddam tibi vota mea, quae di

1. Timot. 5.

1. Corin. 7.

1. Corin. 5.

Galat. 5.

1. Timot. 5.

Psal. 65.

Rinixerunt labia mea, ita scribit: Quae est distinctio in votis? haec est distinctio, ut te accuset, illum laudes: te intelligas creaturam, illum creatorē: te tenebras, illum illuminatorem, cui dicas: Tu illuminabis lucernam meam domine, deus meus, illumina tenebras meas. Nam quando dixeris, O anima quia ex te tibi lucet, ne distinguas. Si non distingues, non reddes vota distincta. Redde vota distincta, confitere te mutabilem, illum incommutabilem: confitere te sine illo nihil esse, ipsum autem sine te perfectū esse: te indigere illo, illum autem tui non indigere. Clama ad illum, Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges. Iam eo quod te in holocaustum assumit deus, non ille crescit, non ille augeatur, non ei qui facit. Haec si discernas, Reddis vota deo tuo, quae distinguunt labia tua. Idem excurtendo sententiam illius psalmi, Vouete, & reddite domino deo nostro, dicit: Quis quod potest voueat, & reddat, non voueatis, & non reddatis, sed quisque quod potest voueat, & reddat. Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis, deficientis, si de vobis praesumitis: si autem de illo cui voueris, vouete, securi reddetis. Vouete & reddite domino deo nostro omnes communiter. Quid debemus vouere? Credere in illum, sperare ab illo vitam aeternam, bene viuere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, Furtum non facere, non nubere castimoniali praecipitur, & nuptae non praecipitur: adulterium non facere, omnibus praecipitur: non amare vinolentiam qua ingurgitatur anima, & corrumpitur in se templum dei, omnibus aequaliter praecipitur: non superbire, omnibus aequaliter praecipitur: non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem, omnibus in communi praecipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum, alius vouet deo castitatem coniugalem, ut praeter uxorem suam, non nouerit aliam: sic & foemina, ut praeter virum suum non nouerit alium. Alij etiam vouent, et si experti tale coniugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere, & ipsi vouerunt aliquid maius quam illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte aetate vouent, ut nihil tale vel experiantur quale illi experti sunt, & reliquerunt, & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus, magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum, magnum votum vouit. Vouete, & reddite domino deo vestro. Quisquod quod vouere voluerit, voueat, illud attendat, ut quod vouerit, reddat. Vnuiquisque deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quae castimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quaelibet. Quid voluit? Quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali plane. Quare? Quia iam vouerat domino deo suo. Quid enim dixit de talibus apostolus Paulus? cum dicat viduas adolescentulas nubere si velint: sed tamen ait quodam loco: Beatior autem erit si sic permanerit, secundum meum consilium. Ostendit beatior si sic permanerit, non tamen damnandam si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam quae vouerunt & non reddiderunt? Habentes (inquit) damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in monasterio frater, dicat, recedo de monasterio: neque enim soli qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum caelorum, & illi qui ibi non sunt ad deum non pertinent. Responderetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti. De die iudicij cum dominus minaretur, quid ait? Memerote uxoris Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit uxor Loth? Liberata est a Sodomis, & in via posita, retrorsum respexit: ubi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes ipsi remaneant, & alios condiant. Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos forte vide-

Psalmo 17.

Psalmo 15.

1. Timo. 5.

1. Corin. 7.

Luca 17.

Gen. 19.

rimus velut infirmari in proposito bono, & talis vis esse quales illi. Obijcimus illis quosdam qui retro respexerunt, illi fatui sunt in se, sed alios condiunt quando commemorantur, ut illorum exemplum timentes, isti retro ne respiciant. In hanc quoque sententiam descendit Hieronymus in quadragesimum quartum capitulum Ezechielis, dicens: Nazaraei sponte se offerunt, & quicumque aliquid vouerit, & non impleuerit, voti reus est. Vnde & de viduis dicitur: Cum luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: melius est enim non promittere, quam promittere & non facere. Anna obtulit Samuelē, qui in aeterna sanctitate permanit. Et enarrando quod dicit Ecclesiastes: Cum votum voueris deo, ne moreris reddere illud, existimat illos deo displicere, & inter insipientes computari, qui vota non explent. Dicit etiam Ambrosius libro vno ad virginem deuotam, capite 2. Melius fuerat te non vouisse, & facere, quam vouere & non facere. Insuper Hylarius exponens psalmum illum, In me sunt deus vota tua, quae reddam laudationes tibi, dicit: Non extra sunt ista quae sperat, nec laudationis vota quae reddenda sunt extrinsecus capeienda. Similiter disserendo illud Psalmographi, Sic psallam nomini tuo in seculum seculi, ut reddam vota mea de die in diem, Ita de exoluendis votis loquitur: Psaller in seculum seculi, & vota de die in diem reddet, nullo temporum fine conclusus. Hymnis aeternis aeternorum votorum gaudia redditurus cum absoluta omni terrenorum corporum infirmitate, caelestem atque angelorum agat vitam, de die in diem vota reddendo, secundum illud: Vota mea domino reddam in atrijs domus domini, in conspectu omnis populi eius, in medio tui Hierusalem. At dicit quispiam, Si quis vouerit quidpiam quod in deteriore exitum vergere potest, non obstringitur illud votum seruare, sicut de voto Ieptre probari potest, non igitur omnia vota sunt exoluenda. Respondeo rationem hanc suadere omnibus non omnia vota esse obseruanda: vota tamen prudenter & discrete emissa, & quae in deteriore exitum non deurgunt, sunt reddenda. Huic assentitur sententiae Ambrosius libro tertio Officiorum, capite duodecimo, in quo apertissime docet nihil inhonestum promittendum esse: quod si quispiam quid inhonestum promiserit, tolerabilius erit promissum non facere, quam facere quod turpe sit: Neque (inquit) vnquam adducar, vt credam non incaute principem promississe Ieptre, ut immolaret deo quicquid sibi reuerenti intra limen domus suae occurreret, cum & ipsum voti poenituerit sui, postquam filia occurrit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit: Heu me filia, impedisti mihi, impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi. Qui licet pio metu ac formidine acerbitatem durae solutionis impleuerit, tamen luctum annuum etiam posteris deplorandum statuit ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit. Et paulo post dicit: Melius est non vouere, quam vouere id quod sibi cui promittitur noluit exolui. Denique in Isaac habemus exemplum, pro quo arietem deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Haec ille. De voto Ieptre plenius diximus libro nono nostrae Theosophiae, capite sexto.

CAPVT V.

Votum continentiae conjugatorum non est suscipiendum nisi ex coniugii consensu. Hanc Assertionem ex sacra scriptura deproposimus. In Numeris scriptum est: Si mulier maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento, quo die audierit vir & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat: si autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque, quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei dominus. Vidua & repudiata quicquid vouerint, reddet. Vxor in domo viri cum se voto obstrinxerit & iuramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat. Si autem extemplo contradixerit, non tenebi-

Hieronymus

1. Regum 11.

Ambrosius.

Hylarius.

Psalmo 55.

Psalmo 60.

Psalmo 115.

Iudicium 11.

Ambrosius.

Gen. 22.

Num. 30.

tur promissionis rea, quia maritus contradixit, & dominus ei propitius erit. Hæc subindicat historia eam esse legem viri & vxoris, vt non possit vxor sine cōsensu sui viri perpetuam vouere continentiam, nec etiam vir absque assensu suæ vxoris, & hic contendimus de consensu tacito vel expresso. Nam absque cōsensu viri expresso, potest vxor vouere continentiam, quandoquidem monet hic contextus vxorem voto & iuramento obstrictam, viro tacente, & non huiusmodi voto reclamante, debere votum. obseruare: & ratio in promptu habetur, postquam vir non contradicit huic voto, cum libere potest contradicere, censetur consentire, & hic consensus est tacitus & occultus, qui sufficit ad hoc quod eius vxor possit emittere votum continentia. Si tamen nec esset consensus viri expressus nec tacitus, sed toto animo obfisteret, votum vxoris censetur irritum, & astringeretur vxor reddere debitum, si modo vir requireret, eo quod non est priuatus potestate corporis suæ vxoris, licet vxor propter votum illud non posset exigere debitum à suo marito. Et ratio est, abdicauit à se potestatem exigendi debitum, siue (vt fertur) se priuauit potestate exigendi. Vnum diligenter animaduerte, virum & vxorem non posse quidpiam vouere absque mutuo cōsensu in his rebus in quibus parem habent potestatem, scilicet quantum ad officium coniugale. nam hac in re sunt pares. Potest tamen vir alijs in rebus in quibus potestate suam vxorem præcellit, vouere absque consensu suæ vxoris. Non enim ait lex (vt scribit Augustinus quæstione 59. in Numeros) virum non debere reddere vota sua si vxor prohibuerit, sed vxorem si vir prohibuerit. Vnde non mihi videtur in huiusmodi votis & definitionibus atque obligationibus quæ aduersus animam fiunt, etiam ista debere accipi quæ inter se vir & vxor de concumbendo vel de abstinentia concumbendi placita habuerint. Et hac dicendi ratione intellige quod dicit Origenes homilia 24. super Numeros: Etenim si vir fuerit qui vouit, liber esse dicitur in votis suis, nullique subiectus. Tum etiam Paulus in prima ad Corinthios epistola, manifestissime docet virum non posse absque consensu suæ vxoris vouere votum continentia: nec ediuerso, Vxori (inquit) vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Perspice quæso istarum rerum connexionem. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Et apertissima Pauli sententia suffragando, dicas virum & vxorem pulcherrimo & honestissimo coniugij foedere pares esse. Et illa ratione munitus, in hunc modum ratiocinium neccas: Vir non habet potestatem sui corporis sed vxor, igitur sine consensu suæ vxoris non potest deo suum corpus in perpetuam continentiam consecrare. Rursum, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: igitur absque assensu sui viri, non potest perpetuo sanctæ religionis officio suum corpus deo dicare. Et quod subnectit Paulus, dicens: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, indicat abstinentiam coniugalis officij & quidem temporaneam, pendere à consensu vtriusque coniugis. Chrysostronius enarrans illa Pauli verba, dicit: Cum igitur ad te tentandum meretrix accesserit, dicas non esse tuum corpus, sed vxoris: itidem & vxor dicat aduersus eos, qui eius voluit expugnare pudicitiam: Corpus meum non est meum, sed viri. Quod si corporis non habet potestatem neque vxor neque vir, minus pecuniarum. Audistis quod nuptæ viros habeant, & quod viri vxores. Nam si proprium corpus habere non licet, longe minus pecunias: multis igitur in locis magnam tribuit viro prærogatiuam. In veteri quidem testamento inquit: Et sub viri potestate eris, & ipse tibi dominabitur. Paulus autem ita diuidit: Viri, diligite vxores, vxor autem virum timeat. Hoc autem in loco neque maius, neque minus est, sed vna potestas. Quid tandem? cum de pudicitia sermonem habeat, in alijs

Augustinus

Origenes.

1. Corin. 7.

Chrysostronius.

Gene. 3.
Ephes. 5.

quidem superior fit, inquit, vir. Hic pudicitia ratio habenda est, vir sui corporis potestatem non habet, neque vxor. Magna hic paritas, & cupiditas nulla. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus. Quid hoc significat? Nolit (inquit) vxor inuito viro, & vir inuita vxore continentiam seruare. Quid tandem? Quonia magna ex hac continentia, mala oriuntur: hinc enim adulteria, fornicationes, domorum euerfiones sæpenumero acciderunt. nam si qui vxores habent, fornicantur, longe magis si eos hoc remedio priuaueris: & recte inquit, Nolite fraudare. Fraudatione hoc in loco & antea debitum appellauit, vt ostendat feruitij magnitudinem. Nam si alter altero inuito se continet, id fraudare est: non inuito autem, minime. Neque enim si persuasione mea aliquid meum acciperes, dico id fraudari: sed qui ab inuito & coacto accipit, is fraudat. Adde quod Augustinus in epistola ad Armentarium Riparium huic assertioni patrocinatur, dicens: Vna sola esse causa posset, qua te id quod vouisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua coniunx hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi. Et si prapropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio. Neque enim deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum. Diuina quippe de hac re per Apostolum est prolata sententia: Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, sexum nomine corporis nuncupauit. Sed cum illam tam paratam esse audiam, deo dicare continentiam, vt eo solo impediatur, si tibi debitum reddere coniugali iure compellitur: ambo deo reddite, quod ambo vouistis, vt illi persoluatur quod ab alterutro non exigitis. Si continentia virtus est, sicuti est, cur ad eam sit promptior sexus infirmior, cum virtus à viro potius cognominata videatur, sicut similitudo vocabuli resonat? Noli ergo vir aberrare à virtute, quam mulier est parata suscipere. Sit vester consensus oblatio ad supernum altare creatoris, & victa concupiscentia tanto fortius, quanto sanctius vinculum charitatis. Et multo fufus negotium istud pertractat epistola centesima nonagesimanona, in qua meminit cuiusdam mulieris quæ infcio marito suscepit votum continentia, post tamen maritus assensus est, & continenter cum ea vixit: Omitto (inquit) quod ipsam continentiam illo nondum volente non secundum sanam doctrinam te suscepisse cognoui. Neque enim corporis tui debito fraudandus fuit, priusquam ad illud bonum quod superat pudicitiam coniugalem, tuæ voluntati voluntas quoque eius accederet. nisi forte non legeras, nec audieras, vel non attenderas Apostolum dicentem: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter autem & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram. Secundum hæc verba apostolica, etiam si se ipse continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogere, & illi deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterij damnabile flagitium eaderes, maritalem tibi concubitum non negaret: quæto magis te quam magis subiectam esse decuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo huiusmodi debito voluntati eius obtemperare conuenerat: cum tibi voluntatem continendi acceptaret deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus. Sed hoc (vt dixi) merito omitto, quoniam postea tibi nolenti sibi ad reddenda coniugalia debita consentire, ad eadem continentia pacta ipse consentit, & tecum continentissime diu vixit, suoque consensu à pacto illo quo ei debitum carnis negabas, ipse te ab soluit. Non ergo iam in tua causa ista vertitur quæstio, vtrum redire debeas ad

Augustinus

1. Corin. 7.

ad concubitum viri. Quod enim deo pari cōsensu ambo voueratis, perseveranter vsq; in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera. Quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses eius assensum, numerus te nullus defendisset annorum, sed post quantumlibet tempus me consulisses, nihil tibi aliud responderem, nisi quod ait Apostolus: Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: de qua potestate sic tibi iam permiserat continentiam, vt eam tecum & ipse susciperet. Sed quid hæc Augustini verba sibi velint, paucis accipe: Vxor perpetuam vouens continentiam inuito viro, obstringitur suo viro coniugale debitum reddere, si postulet, eo quod vir non abdicauit à se potestatem exigendi debitum, nec se exiit dominio quod habebat in corpus suæ vxoris: idcirco tale votum non est obligatorium. Si tamen vir postea cōsentiatur, aut idem cōtinentiæ votum suscipiat, à se abdicat facultatem exigendi debitum à sua vxore, & suo consensu vxorem à reddendo cōiugij debito absoluit. ¶ Et nostra assertio intelligenda est quando inter coniuges matrimonij est copula carnali consummatum, quod adducta Pauli verba præterdunt. Et ad id suadendum nostri doctores hac ratione contendunt: Nullus potest de alieno reclamante possessore oblatione deo facere, sed cum matrimonium inter coniuges est cōsummatum, corpus viri est alterius, scilicet vxoris: igitur absq; consensu suæ vxoris vir non potest cōsummato matrimonio, votum continentia suscipere. Si tamen matrimonij nondum sit carnali copula consummatum, potest alter coniugij altero inuito vouere cōtinentiam, & religionem ingredi. Nam communis penè omnium est sententia, Christū reuocasse Ioānem euangelistam à nuptijs. Nec nobis deest ratio ad id comprobandum, Antequam matrimonium sit consummatum, non est omnino trāslatum corpus viri in facultatem suæ vxoris, nec etiam adhuc vxor ditioni sui viri subditur, sed sub conditione fit translatio, si alter non velit votum continentia suscipere aut ad frugem perfectioris vitæ conuolare. Igitur ante concubitum coniugalem, non statim tenetur vir reddere debitum suæ vxori, & e contra, sed datur ei tēpus duorum mensium, propter tres rationes. Prima, vt interim possit deliberare & consilium si nam velit ingredi religionem. Secunda, vt appareat commode quæ ad exorandas nuptias spectant. Tertia, ne vilem habeat datam quam non suspirauit dilatam: sed per carnalem copulam completæ & perfectæ, transfertur dominium corporis viri in suam vxorem, & diuerso. Et hoc coniugali cōgressu significatur coniunctio Christi ad Ecclesiam, quantum ad assumptionem humanæ naturæ in unitate personæ, quæ est prorsus indiuisibilis: sed ante copulam carnalem duntaxat significatur coniunctio Christi ad animam quæ facile mortifero scelere dissoluitur, quare hæc coniunctio est solum perfecta secundum quid, illa verò simpliciter & consummate. Ab alijs redditur & alia ratio, Antequam copulam carnalem est duntaxat inter coniuges vinculum spirituale, sed vbi consummatum est matrimonium, est vinculum carnale & ideo sicut post copulam carnalem matrimonium morte carnali soluitur, ita ante copulam carnalem per ingressum religionis dissoluitur. Nam religio censetur mors carnalis, eo quod aliquis seculo moriens, viuat deo.

CAPVT VII.

Votum quod sponte suscipi debet, non est eorum quæ salutem necessaria sunt.] Priorem huiusce Assertionis partem suadeo: Ratio voti spontanea promissione deo facta fulcitur, quæ natura deliberatio & honestum propositum antecedunt: igitur votum sponte suscipi debet. Licet enim prudēs & composita deliberatio, qua quispiam consulit, & inuento consilio decernit sinam vouere debeat, non parū ad suscipiendum votum conducatur, tamen essentia & præcipua voti ratio non innititur deliberationi: siquidē multi deliberant & prudentiores consulunt si nam vouere sit optimū, & tamen non vouent, quia non

promittunt deo, quod prius deliberando mente versauerant. Similiter cōfert non mediocriter honestum voluntatis propositū, quo proponit homo se velle votum continentia aut religionis amplectari, vt quispiam voueat: nihilominus tamen virtus ipsius voti & ratio illo voluntatis proposito non cōsummat. Quis enim necit plerofque proposuisse se aliquando votum suscepturos, qui tamen sententiam mutarunt, nec ad id quod proposuerant peruenerunt. At vbi huiusmodi administris spontanea promissio continentia, aut alterius rei deo facta, connectitur: sanè perfecta voti ratio cōsummat. Nobis quoq; fauet quod scribit Petrus Lombardus sua tēpestate antiquorum authorū studiosissimus, distinctione 38. 4. Sententiarum, dicens: Votū est testificatio quedam promissionis spontanea, quæ deo, & de his quæ dei sunt, proprie fieri debet. Quod si non nihil occurrat quod adiuuet, id quod voluntariū est, aut consensum præpediat, adiuuet & ratione voti: & si semiplenus sit consensus, semiplenū erit & votum. Et si consensus non sit inuolutario permixtus, votū erit plenum & perfectum, & planè obligabit illum qui huiusmodi votū ædidit. ¶ Percontabitur quispiam, an qui magno metu percussus, aut maris tempestate iactatus, vel acutissimo morbo correptus votū edidit, obstringatur huiusmodi votū obseruare. Et sanè apparet quod non, quia tale votū est coactum & inuoluntarium. Hanc quæstionē facile est diluere, dicendo votum illud esse obseruandum, si modo is qui vouit intendat votum reddere, & vbi votū non deuergit in perniciem reipublicæ, vel deteriorē exitum. nec illud votū est omnino coactum, sed quodammodo voluntarium. Nam qui ita vouit, si nolisset, non se illi voto submisisset: id enim pro lege habetur, quod promissio spontanea inuoluntario permixta cum quadam deliberatione, obstringit hominem ad persoluendum votum, modo promissioni non desit intentio soluendi votum. Etenim Israel obseruauit votum quo se obstrinxit domino ingruente belli periculo, contra Chananaum regem Arad. Minus tamen obligat huiusmodi votū, quàm illud quod plenissimum habet consensum. Intellige Ecclesiam posse relaxare votum coactum & irritare, sicut iuramentum, modo huiusmodi relaxatio non deuerget in blasphemiam dei & contemptum Ecclesiæ, & non præiudicet bono spirituali aut temporali totius cōmunitatis, & hoc quidem facit in odium coactionis quæ bono publico nocua est. In foro tamen conscientia tale votum ex se obligat, vbi non deest vouenti intentio, quod tamen in aliud bonum commutari potest. ¶ Posteriorem assertionis partem hac ratione suffulciemus: Qui non vouet, nullam poenam incurrit, nec diuina transgreditur mandata, igitur votum non est eorum quæ sunt salutem necessaria. Cōsequencia est optima: Quandoquidē is qui omittit facere quæ sunt salutem necessaria, peccat. Et licet votum susceptum sit obseruandum, & lege præcepti coerceatur: tamē vouere, est consilij, nec obstringimur vouere: & dici solet votū esse opus supererogationis quod vltro à Christianis suscipitur, vt perfectiores euadant. Ea tamē adhibenda est suscipiendis votis diligentia, vt cū parati sumus vouere, nosq; ad faciendam consiliorū opera obstringere non prætermittamus facere præcepta dei: quorū adimpletio nos ad vitam æternā perducit, non enim quia facis opus cōsiliij, & negligis dei iussis obsequi, ad regnū dei peruenies: cura igitur primum mandata dei obseruare, deinde siquid perfectionis accidentaliter nasci velis, cape esse consiliorū semitam. Sed obijciat quispiam, Iacob cum præcepto patris obediens proficisceretur in Mesopotamiā, vidissetq; in somnis scalam in cælū erectā, experrectus & attonitus tanti in somnij miraculo, inter cætera piæ religionis opera quæ ibi gessit, votum vouit domino, dicens: Si fuerit dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi dominus in deum: & hoc quidem votum erat ad salutem necessarium, igitur votum est eorum quæ sunt salutem necessaria. Minor est notissima: Nam qui non colit vnum deum, non potest æternam consequi fœlicitatem. Huic obiectioni bē

Petrus Lombardus.

Num. 21.

Gene. 27.

dd.j.

Augustin⁹
Pfal. 75.

fariam respondere poteris. Primo, dices Iacob vouisse voto quidem communi, quo & fonte baptismi repurgati & abluti, vouerit se pompis & voluptatibus huius mundi, ac potestati dæmonis renuntiare: & hoc votum commune omnes Christianos obligat, & est eorum quæ saluti sunt necessaria. Vnde dicit Augustinus enarrans psalmum illum: Vouete, & reddite domino deo nostro. Quid debemus vouere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, Furum non facere, non nubere castimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur, adulterium non facere, omnibus præcipitur. Non amare vinolentiam, qua ingurgitur anima, & corrumpitur in se templum dei, omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem, omnibus in communi præcipitur: hoc totum omnes vouere debemus. Secundo dices Iacob vouisse voto etiam proprio se habere dominum in deum, per specialem cultum, ad quem non tenebatur, sicut per decimarum oblationem, & alia huiusmodi, quæ in cõtextu recensentur. Cum autem dicimus votum esse eorum quæ non sunt saluti necessaria, loquimur de voto proprio, vt vouere virginitatem, & cætera. Nec qui hoc suscipit votum, obstringitur id ipsum edere. Rursum decerrabit, Potest quis vouere quod nunquam fornicabitur, & tamen non fornicari est saluti necessarium: igitur. Antecedens patet: Potest sponte deo promittere quod nunquam fornicabitur, igitur & id ipsum vouere. consequentia est valida, eo quod ratio voti consistit in spontanea promissione deo facta. Huic argumento quidam viri doctissimi satisfaciunt, dicendo illud votum non esse reiiciendum, spectando essentialem voti rationem quæ (vt iam monuimus) innititur spontaneæ promissioni deo factæ. Sed non est votum, si materiam voti (quæ non est præcepti, sed consilij) consideremus. Votum enim proprie & exacte consideratum, non est eorum quæ tenentur omnes obseruare, sed est opus supererogationis, & ad melius bonum spectat.

CAPVT VII.

Exodi 22.

VSura est omnino illicita. Hanc Assertionem ex sacris literis eruimus, In Exodo scriptum est: Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vfuris opprimes. Hæc verba indicant manifeste dominum veruisse vsuras, nec sanè immerito: nam qui studio quæstus exercet vsuras, non diligit illum quem vsuris vexat & opprimit, sed vehementer lædit, exigendo vltra mutuam & quidem vi mutui, pecuniam. vt si vsurarius siue foenerator dederit Socrati mutuo decem aureos, vt fordidissimum vsuræ studium exerceat, & aurum accumularet auro, eum forsitan obligabit, vt vltra fortem siue præscriptam illam pecuniæ summam reddat duos vel tres aureos, & cupit ille incurabili auaritiæ morbo correptus, vt nummus (quod tamen naturæ repugnat) pariat nummum. Et in Leuitico legimus, Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges. Intuerisne deum incutere tibi horrore scænoris & turpissimi quæstus? & tibi præcipere ne si mutuam dederis, amplius quam dedisti, recipias? Quod si huiusce sanctissimæ legis limites transilieris, acerrimas lues pœnas, quod contempto dei timore (quo tamen à malo arceri poteris) magis ames pecuniam quam deum & tuum proximum, quem vsuris enecasti. Quod si nolles tuum proximum te vsuris opprimere, tuasque facultates imminuere, cur igitur miser & insane tuum fratrem vsurarum exactionibus opprimis, & extremæ adigis inopiæ? Et aliubi prohibendo vsuram, dicit Moyses: Nô foenerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quâlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absq; vsura id quo indiget, commodabis, vt benedi-

Leuiti. 25.

Deute. 23.

cat tibi dominus deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingredieris possidendam. Nec ita prohibet fratri, scilicet Iudæo & fideli, scænus ad vsuram, vt velit Iudæum absque vlla reprehensionis nota exercere scænus ad vsuram cum alieno scilicet Gentili & infideli. Nam dare ad vsuram siue Iudæo, siue Gentili, est illicitum & contra naturam, sed addita est hæc particula, alieno, vt permillum esset Iudæis foenerare alieno ad vsuram. & hæc erat permissio minoris mali ad vitandum maius, ne Hebræos grauarent vsuris. Multa siquidem permittuntur quæ non sunt licita: sicut repudium per mittebatur ad deuitandum maius malum scilicet vxoricidium, & tamen erat illicitum. Tum etiam dominus Psalmographo sciscitanti quismam in caelesti tabernaculo quietus habitaret, dixit: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Nec quempiam existimo adeo rudem esse & indoctum, vt his verbis putet dominum veruisse Christiano exercere vsuram cum fratre suo, non autem cum infideli & barbaro. Nam dominus sermone vniuersali vsus est: & qui locum hunc exponunt, asserunt non esse licitum fideli mutuae pecuniam etiam infideli ad vsuram: quam si quis exercuerit, æternam dei requiem non ingreditur. Ad hæc, in eodẽ Psalmorum opere scriptum est: Non defecit de plateis eius vsura & dolus. Hæc autem enarrans Augustinus, dicit: Vsura & dolus non absconduntur, saltem quia mala sunt, sed publice scæiunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo suo erubescit, in plateis eius vsura & dolus. Scænus & professionem habet: scænus etiam ars vocatur, corpus dicitur. Corpus quasi necessarium ciuitati, & de professione sua vectigal impendit. Vique adeo in platea est, quod saltem abscondendum erat. Est & alia vsura peior, quando non dimittis quod tibi debetur, & turbatur oculus in illo versu orationis, Dimitte nobis debita nostra. Quid enim ibi facturus es quado oraturus es, & ad ipsum versum veterum? Verbum contumeliosum audisti, vis exigere damnationis supplicium? Vel tantum exige, quantum dedisti foeneratori. Iniuriarum pugno percussus es, interfectionem quæris? Vsura mala, qua iturus es in oratione? si reliqueris orationem, qua circumiturus es ad dominum? Ecce dices: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Dices, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Venies ad, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vel in ciuitate illa mala abundant vsuræ istæ, non intrent parietes istos vbi pectus tunditur. Quid facies, quia ibi tu, & ille versus in medio estis: preces tibi composuit caelestis iuris peritus, qui nouerat quid ibi ageretur, ait tibi: Aliter non impetrabis. Amen enim dico vobis, quia si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittetur & vestra vobis: si autem non dimiseritis peccata hominibus, neque pater vester dimittet vobis. Quis hoc dicit? Qui scit quid ibi agatur, qui scit quod tu astans petis. Vide quod voluit esse ipse aduocatus tuus, ipse iuris peritus tuus, ipse assessor patris, ipse iudex tuus dixit, aliter non accipies. Quid facturus es? Non accepturus, si nõ dicturus: non accepturus, si falsum dicturus. Ergo aut facturus & dicturus, aut quod petis non promeriturus: quia qui hoc non faciunt, in vsuris illis malis sunt. Et in enarratione trigésimifexti psalmi detestatur vsuram & execratur, & planè docet in quibusnam rebus committatur vsura: Si (inquit) foeneraueris homini, id est mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti, expectas accipere, foenerator es: & in hoc improbandus, non laudandus. Adde quod in epistola ad Macedonium, loquens de his quæ restituenta sunt, inquit: Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem scænore? Hæc atq; huiusmodi male vtiq; possidentur, & vellem vt restituerentur, sed non est quo iudice repetantur. Præterea, memoria proditum est apud Ezechiel, illum esse iustum qui ad vsuram non comodauerit, sed in præ-

Psalmo 14.

Psalmo 54.
Augustinus

Matth. 6.

Ibidem.

Ezech. 18.

dd. ij.

Lucæ 6.
Hieronymus

ceptis dei ambulauerit. Ex aduerso igitur ille censetur iniustus, qui ad usuram commodauerit. Et huic præcepto consentaneum est quod apud Lucam dicit Christus: Mutuum date, nihil inde sperantes, scilicet vi mutui, ne ultra forte optemus aliquid recipere. Hieronymus in Ezechielem connectens hos sacre scripturæ locos, cum eo quod in Deuteronomio scriptum est: Fratri tuo non foenerabis, alieno autem foenerabis, quod tamē illis aduersari videtur, dicit: Vide profectum, in principio legis à fratribus tantum foenus tollitur, in propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam suam non dedit ad usuram. Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente domino: Foeneramini his à quibus non speratis recipere. Et sequitur in Ezechiele, Et amplius non acceperit. Putant quidam usuram tantum esse in pecunia, quod præuidens scriptura diuina, omni rei auferit superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumēti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, siue (ut appellat sermo diuinus) abundantia. Verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in mense recipiamus quindecim, hoc est amplius partem mediam. Qui iustissimum se putauerit, quartam plus accipiet portionem, & solent argumētari ac dicere, Dedi vnum modium, qui satius, fecit decem modios: nonne iustum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate nouem & semis de meo habeat? Nolite errare (inquit Apostolus) deus non irridetur. Respondeat nobis enim breuiter foenerator misericors, utrum habenti dedit an non habenti: si habenti, utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti, ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alij pro pecunia foenerata solent munuscula accipere diuersi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint. Hæc ille. Videtur Hieronymus cum illis sentire qui dicunt in lege dispensatum fuisse cum Iudæis, ut foenerarent alieno ad usuram, sed hæc dispensatio in prophetijs reuocata est. Alij tamen mihi verius & syncerius videntur loqui, quod nunquam fuit licitum mutuo dare pecuniam ad usuram siue Iudæo siue Gentili, eo quod usura aduersatur iuri naturali, diuino & humano: vel dic Hieronymum his verbis, In principio legis à fratribus tantum foenus tollitur, voluisse innuere, quod non permittebatur Iudæo exercere usuram cum Iudæo, bene tamen cum alieno. Animaduerte denique Hieronymum in ea fuisse sententia, ut censuerit illum exercere usuram, qui pro pecunia foenerata accipit munera: nam plus quam dedit, recipit. Id intelligendum puto, si vi mutui & non secus intenderit ultra sortem munera recipere quibus ditari possit. Si tamen mutuarius siue is qui recipit mutuum, liberaliter & grato animo dedit mutuatori aliquod donum, quod non intendit vi mutui recipere: in tali hypothese mutuator non incurrit usuræ crimen. Denique Chryostomus differens homilia 41. in Genesim, de Usura spirituali & sensibili, dicit: Vide misericordiam domini, in his sensibilibus pecunijs prohibuit ne quis usuram acciperet. Quare, & ob quam causam? Quia vterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens diuitias, & peccatorum accumulatur sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Iudæis crassioribus tale dedit præceptum, dicens: Non foeneraberis fratri tuo, & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erunt, qui Iudæis sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam à domino misericordiam, inueniuntur his qui sub lege fuerunt, inferiores, imo peiores. In spiritualibus autem reperitur se promittit usuras. Quare? Quia omnino diuerso modo se habent spiritualis usura & sensibilis. Illic enim à quo requiritur seueriter, subito in extremam inopiam defertur: hic autem à quo exigitur, quando gratitudinem præ se tulerit, quanto maiorem usuram afferet, tanto largiori fruetur remuneratione. Et quæ à Chryostomo edifferta sunt, non nihil habent momenti ad increpandam cuiusdam serui oscitantiam & ignauiam, qui à suo domino vnum talentum acceperat, abiens tamē fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Et cum vnus ex quinque talentis sibi concre-

Galat. 6.

Chryostomus

Matth. 25.
Lucæ 19.

ditis, alia quinque superlucratu fuisse: alius ex duobus, alia duo: ille pigritia solutus, talentum sibi concreditum non adauxit, & perfricta fronte, ac cum maxima impudentia, suo domino dixit: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsisti: oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo: & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. Insuper Ambrosius damnas omnino usuram, libro vno de Tobia, capite undecimo, in quo agit de usura ab aleatoribus extorta, dicit: Aliud non minoris acerbatis accipite: obseruat isti aleatorum conuenticula, & perdentis erumnam commoditatem suam iudicant: spondent pro singulis, varios primo fors ludit euetus, ad diuersos sepe transfertur victoria, stipendiaque eius vicissim atque erumna mutantur. Omnes vincuntur & vincunt, foenerator solus acquirit. Penes alios manet nomen, quod vicerint: penes foeneratorem solum fructus est non annuus, sed momentarius: illi soli faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis est usuræ victoria. Et capite duodecimo differens de odibili foeneratorum exactione, ita scribit: Quid enim tetrius eo qui hodie foenerat, & cras exigit? Est odibilis, inquam, homo huiusmodi, oblatio quidem blanda, sed immanis exactio. Verum ipsa oblationis humanitas facit ad exactiois sauitiam, protulit pecuniam, hypothecas exigit, & in suis apothecis recondit. Vna pecunia à foeneratoribus datur, & quam multa à debitoribus exiguntur? Quanta sibi fecerunt vocabula? Nummus datur, & foenus appellatur, fors dicitur, caput vocatur, æs alienum scribitur: multorum hoc capitum immane prodigium, numerosam exactioem efficit. Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat, fiducias vocat, obligationem asserit: usuras prædicat, centesimas laudat. Echidna quædam est foeneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen foecunda pennis viscera trahens, partu suo rumpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem: illam moribus suis scindunt, illic ubi nascitur venenum, primum probatur. Pecunia autem foeneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quam serpens, atque in orbem se totam colligens, ut caput feruet. Reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad vulnera, spiris ingentibus, quos comprehenderit ligat, solo capite interficit, saluo capite etiam si reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit. Diuersa quoque serpentibus sunt conueniendi & parturiendi tempora, pecunia foenebris à die initæ conuentionis crescentibus serpit usuris, quæ parturire non nouit, quia dolores magis ipsa in alios transfundit. Ibi dolores ut parturientis. Vnde etiam *uicini* Græci appellauerunt usuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur. Veniunt calendæ, parit fors centesimam, veniunt menses singuli, generantur usuræ, maiorum parentum mala proles, hæc est generatio viperarum, creuit centesima, petitur, nec soluitur: applicantur ad sortem, fit maledictum propheticum, dolo in dolo, usura improbi feminis foetura deterior. Itaque non iam centesima incipit esse, sed summa: hoc est non foenoris centesima, sed foenus centesimæ. Et capite 13. confert mari foeneratorem. Omnium siquidem patrimonium tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plerique vtuntur ad quæstum, foeneratore nemo vtitur nisi ad dispendium. Illic multorum commodum est, hic vniuersorum naufragium. Multa sunt animantia quæ cito generare incipiunt, sed cito etiam generare desistunt. Sors cito generat & nunquam desinit, imò cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentum. *dd. iij.*

Ambrosius.

Psalmus 74.

tum. Omne deinde quod crescit, cum ad naturæ suæ formam atq; mensuram magnitudinemq; peruenit, vacat incremento, sed foeneratorum pecunia tempore semper augetur & ultra formam maternæ sortis se extendens, modum non continet. Pleraque etiam animantium cum ceperint ea quæ ex his orta sunt generare, tanquam effœcis viribus vsum generationis amittunt. Sors autem foeneratoris cum fuerit crescentibus exæquata centesimis, & vetustatem sui renouat, & partus solitos adiunctione multiplicat. Sunt qui cõferunt vsurariam pecuniam aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnũ, & sic per suauitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tẽpore delectatur, quasi qui beneficium sic accipit, & per suauitatẽ beneficij non sentit quomodo captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit & corrumpit, sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum quod mittitur in multã farinam, totam conspersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totã fermentum: sic cum vsura in domum alicuius intrauerit, totam substantiam eius ad se trahit, & conuertit in debitum. Non abs re vsurarius ab omnibus fugitur, despicitur, & omnium maledictionẽ & odium incurrit, & super omnes mercatores plus maledictus est. Si enim qui rem comparatam vendit, mercator est, & maledictus, si plus quã æquum sit, vendiderit: quanto magis maledictus erit qui non comparatam pecuniam, sed à deo donatam sibi dat ad vsuram? Secundo, quia mercator dat rem, vt iam illam nõ repetat: iste autem postquam foenerauerit, & sua iterum repetit, & aliena tollit cum suis. Adhuc dicit aliquis: Qui agrũ locat, vt agrariam recipiat: aut domum, vt pensiones recipiat, non est similis ei qui pecuniam dat ad vsuram? Absit. Primum quidem quoniam pecunia non ad aliquẽ vsum disposita est sicut ager vel domus, sed ad pretium emendi vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructũ accipit ex eo: similiter & qui domum habet, vsum mansionis capit ex ea: ideo qui locat agrum vel domum, vsum dare videtur, & pecuniam accipere, & quodãmodo quasi cõmutare videtur lucrũ cum lucro, pecuniã autem si repositam in sacculo teneas apud te, nullum vsum capis ex ea. Tertio, ager vel domus vt cõdo veterascit, pecunia autem cum fuerit mutuata, nec minuitur nec veterascit. ¶ Animaduerte quod licet vsura sit illicita, tamẽ licet recipere aliquid vltra sortẽ ratione damni, siue (vt fertur) interesse aut redimendæ vexationis, aut lucri cessantis. Illud cõsetur interesse, quod est temporale amissum, aut non obtinetur quod aliã obtineri posset. Et contingit mutuantem bifariam pati interesse damni emergentis, aut ante morã mutuatarij, sic quod illud patitur ex mutuatione, etiam si mutuarius solueret sortem in termino sibi præfinito. Secundo, post moram mutuatarij, vt si tibi mutuem centum aureos mihi restituendos in festo diui Ioãnis, & cum aduenit illud tẽpus non recipio pecuniã, qua ante illud tẽpus non indigebã, sed præterito illo tempore maxime indigeo, vnde cogor merces meas vilius quã valeant, vendere: & hoc patior interesse siue damnum post moram debitoris. Hęc Conradus in opere Contractuum, quæstione 30. Adde etiam quod licet mutuantem ad aliquem terminum obstringere mutuatarium ad dandum sibi aliquid vltra sortem, nomine pœnæ, si prætermisso illo termino non restituerit sibi sortem. Et adnotes triplicem esse pœnam huic negotio congruentem. Prima est conuentionalis, & fit ex consensu vtriusq; partis, consentit enim debitor vt eius creditor habeat aliquid vltra sortem, nisi præscripto tempore ei satisfecerit, & hoc fit vt adhibita ab ipso debitore diligentia firmior sit contractus. assignatur exemplum: Mutuo tibi ad festum diui Ioannis vsque, centum aureos, ea conditione quod si mihi hanc pecuniam non refuderis, nomine pœnæ dabis quinque aureos. Secunda pœna est iudicialis, & hęc fancitur à iudice: vt si tibi mutuauerim centũ aureos, in festo diui Ioannis mihi restituendos, & cũ aduenit illud tempus nõ mihi satisfacis, idcirco te in ius conijcio,

1. Corin. 5.
Galat. 5.

Conradus.

fateris debitũ, iudex statuit vt in termino restituas sortẽ sub pœna 10. aureorum. Tertia pœna est legalis, quæ à legislatore statuitur in lege disponẽte quod debitor ex contractu si nõ soluerit debitũ, debeat in pœnam suã negligẽtia dare aliquid vltra debitũ. Sed quod in illa hypothesi mutuator non cõmittat vsurã sic probo, Nemo cõsetur vsurã committere nisi recipiat aliquid vltra sortẽ ratione mutuationis, sed huiusmodi mutuator nõ recipit quidpiã vltra sortẽ ratione mutuationis, sed duntaxat ratione pœnæ: igitur non cõmittit vsurã. ¶ Nec prætermittendũ cenfeo qd licet petere atque recipere mutuũ sub vsuris, modo ad sint tres cõditiones. Prima, quod petens iusta & honesta necessitate petat, nec solum de extrema necessitate loquor, sed de congrua & decente. Secunda, quod intendat solum recipere sub ratione mutui, & non vsuræ. Tertia, quod petendo non se offerat ad sustinendum vsuras. Istitis adnotatis conditionibus, illam probo assertionem: Si intellẽtis illis cõditionibus non esset licitum petere mutuũ sub vsuris, maxime esset, quia petens vellet peccatũ proximi, eo quod desideraret mutuũ sub vsuris, aut quia scandalizaret proximum, ita quod daret proximo occasionem corruendi in peccatum. Sed neutrũ istorum concurrat, non primũ, quia excluditur per secundam conditionem: nec secundũ, quia excluditur per tertiam. Tum etiam, licet petere vel exigere iuramentũ ab idololatra, quem scio per idola iuraturũ, accedentibus istis cõditionibus: Quod fideles ineanit fœdus cum infidelibus pro bono reipublicæ Christianorũ, sicut fecit Iudas Machabæus cum Romanis. Vt etiã inter illos firmiter seruetur fœdus. Quod denique fideles cum sciant infideles non aliter quã per idolum iuratos, se offerunt ad recipiendum huiusmodi iuramentum, non consentientes quadam complacentia iuramento per idola emissõ: ergo etiam positus illis tribus conditionibus quarum paulo ante meminimus, licebit recipere mutuũ sub vsuris. consequẽtia est optima, quia iurare per idola est grauius peccatum, quã vsura. Quod si is qui petit sub vsuris, non indigeret, sed propter ludos aut comestationes sordidas, peteret mutuũ sub vsuris sibi dari, peccaret, quia præberet materiam vsurario vnde sumeret occasionem peccandi. Si deniq; sub vsuris peteret, & ita intenderet, sanẽ peccaret, quia vellet mortale peccatum sui proximi. Delinquit etiam, si petendo se offerat ad recipiendum vsuras, quia dat occasionem proximo peccandi mortaliter. Si tamen non se offerat petẽdo ad recipiendum vsuras: sed audita vsurarij responsione nolentis aliter quã sub vsuris mutuare, se offerat ad soluendum vsuras, stantibus duabus primis conditionibus non peccat, quia non inducit vsurarium ad mutuandum sub vsuris, nec eius peccato consentit, sed laborans vrgẽti necessitate bene vtitur malo alterius, quod vsurarius paratus est committere.

1. Macha. 8.

CAPVT VIII.

Vsurarium lucrum restituendum est. ¶ Hanc Assertionem in hunc modum suadeo: Quicquid fraude vel dolo detinetur, restituendum est: at omne vsurarium lucrum fraude vel dolo detinetur, igitur omne vsurarium lucrum restituendum est. Minorem affirmo, vsurariũ lucrum fraudulento negotio comparatur: igitur fraude vel dolo detinetur. Antecedens est notissimum, nam vsurarius callido ac subdolo negotio mutuatarium circumuenit & fallit. Adde quod vsurarium lucrum retinetur ab vsurario vt magis congreget, etiam cum damno mutuatarij, igitur lucrum illud sordidissimum & abiectissimum restituendum est. Ad hęc, si vsurarius sit restitutioni obnoxius, videtur etiam quod iniquum eius lucrum sic restituendum, quale est illud quod ab vsurario emergit. Nec potest intelligi lucrum vsurarium nisi illud quod iniuste ex re aliena partum est: hoc autem restituendum est, igitur & lucrum vsurarium. Quod autem vsurarius restituere teneatur, patet: Quicumque negotiatur aliena discrimina, & vberiores quãstus de alterius infœlicitate consequitur, obnoxius est restitutioni: sed vsurarius aliena discrimina negotiatur, & vberiores quãstus de al-

dd. iiii.

Chryfosto.

terius infœlicitate confequitur, igitur obnoxius est reftitutioni. Tum etiam dicit Efaias: Conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem, fed nullus labor vſurario turpior est, & crudelior: igitur parit iniquitatem, & per confequens quicquid eo partum est, cuius vſurarius non est dominus, reftitutioni ſubiacer. Nec quæ ſcribit Chryſoſtomus homilia quinta in Matthæum, (à quo nōnihil ſuffurati ſumus vt hanc ſtabiliremus aſſertionem) ab hac ſententia diſſident: Noli (inquit) retinere, vt magis congreges, ſed fructuoſiſſimo eroganda genere vt lucreris, impēde. Et ſi ſeruare illa oportet, noli ea ipſa ſeruare (hoc enim modo vniuerſa diſpereūt) ſed deo potius cuncta committe, & nemo quicquam poterit inde diripere. Noli igitur tu hic velle negotiari, neque enim noſti lucra colligere, ſed eum potius ſœnerare, qui longe maiorem ſœnore reddit vſuram, ibi inquam potius ſœnerare, vbi nulla inuidia prorsus, nullus timor, nullæ verſantur infidiæ, ſœnerare nullius rei penitus indigentem, ſed propter te tamen tanquam neceſſaria poſtulantem. Da paſcenti omnes, & propter te eſuriēti, ne ipſe egeſtate moriaris. Da ei qui idcirco pauper effectus est, vt te diuitē faceret, ſœnerare vnde poſſis non mortem fructificare ſed vitam: iſtæ nanque vſuræ regnum, illæ autem acquirunt gehennam: illæ enim auaritiæ ſunt, iſtæ verò philoſophiæ: & illæ quidem crudelitatis, iſtæ verò pietatis. Quam ergo ſatiſfactionem parare poterimus, qui cum & amplius, & tutius & opportuniſſime poſſimus accipere, & cum libertate omni, & abſque formidine, abſque obſtrectationibus ac periculis poſſidere, à talium lucrorū ſtudio recedentes, vilia iſta ſectamur ac turpia, continuo peritura, ac maximum nobis paritura ſupplicium? Nihil enim præſenti vſura turpius, nihilque crudelius. Siquidem huiuſmodi ſœnerator negotiatur aliena diſcrimina, & vberiores (vt putat) quæſtus de alterius infœlicitate confequitur, atque inſuper quaſi pietatis mercedem repoſcit, velut metuens, ne immiſericors forte videatur, cum proſecto prætextu miſerendi, atque opem ferendi maiorem miſero foueam crudelitatis effoderit, ſpecie iuuandi atterens inopem, ac manum porrigendo deiſciens, & quaſi in portum ex tempeſtate ſuſcipiēs, ſed improviſo turbine in multo magis crudele naufragium, velut inter ſcopulos ac larentia faxa demergens. Hæc ille. Poſſeſt & alia ſubnecti ratio, Quicumque eſt dominus alicuius rei, eſt dominus eius aliquo iure, & non iniuria, ſed rei vſura acquiſitæ vſurarius non eſt dominus aliquo iure, quia nec iure emptionis, nec iure liberalis donationis, nec iure locationis. Nam in locatione non tranſfertur dominium rei locatæ, nec iure permutationis, & ſic de alijs, nec iure mutui, quia accipere plus pro mutuo, non eſt ius, ſed iniuria: vſurarius ergo non eſt iure diuino nec canonico dominus rei vſura acquiſitæ. Nec ſufficit ad tranſferendū rei dominium, vt ſit rei traditio, nam in deposito & pignore, eſt rei traditio, & non eſt dominij tranſlatio: ſed oportet tranſferri proprietatem rei in alterum, vt vere poſſit dicere, hæc res eſt mea. Adde etiam quòd in ſolvente vſuras, non eſt conſenſus mere liber, qui requiritur ad tranſferendum rei dominium. Prohibetur etiam à domino ſuperiore ſcilicet à deo, ne trãſſerat dominium vſurarum in vſurarium. Dicunt quidam viri petitiſſimi, non ſolum vſurariam acquiſitionem eſſe lege dei prohibitam, ſed etiam lucrum vſurarium. Nec hic de eo quod induſtria vſurarij acquiſitū eſt, contēdimus: ſed de eo quod duntaxat vſuris partū eſt, & mutuario non mediocri damnum aſſert, nec vſurarius rem illā meliorem effecit. Deniq; non hic agimus de lucro quod per accidens eſt vſurarium: nam illud non eſt reſtitutioni obnoxium, quod in vſura mentali reperiri poſſeſt, cum quis mutuādo ſperat ſe aliquid recipere vltra fortē vi mutui, nec aliās eſſet mutuaturus, ceſſante tamē omni obligatione, pacto, & petitione, & mutuatarius dat mutuanti aliquid vltra fortem liberaliter & ſponte: licet talis vſurarius mentalis, non id ſperet ſibi gratis dari, ſed vi mutui. Cum igitur mutuatarius libere munus illud mutuanti dederit, datio autem non eſt reſtituenda, ſequitur quòd ille vſurarius mentalis non obſtringitur lucrum illud per accidens vſu-

rarium reſtituere. Eſt quidem per accidens vſurarium, propter corruptam ſuſcipientis intentionē. Item reſtitutio ex natura lucri naſcitur, ex eo quòd ſecundum ſe alteri eſt debitum vt reddatur, quia eſt actus iuſtitie cōmutatiuæ, illud autem munus in recipiētis dominium tranſlatum, non eſt donāti debitum, ſequitur igitur quòd minime reſtituendum eſt. Sed agimus & differimus de lucro quod ſecundum ſe eſt vſurarium, & illud naſcitur ex eo quod alteri eſt debitum vt reddatur: idcirco reſtitutioni eſt obnoxium.

CAPVT IX

Virginitas præfertur nuptijs.] Hæc Aſſertio ex Paulina doctrina proficiſcitur. Siquidem dicit Paulus in prima ad Corinthios Epiftola, capite ſeptimo, Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuę volūtatī, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit: igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuā, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Laudat Paulus (vt cuique compertum eſt) virginem, quæ ſuam virginitatem nuptijs copulauit, quandoquidem honorandæ ſunt nuptiæ, & excellens eſt matrimonij ſacramentū, magis tamen laudat & cōmendat virginem quę ſoli deo & diuinis officijs ſuam virginitatem conſecrauit, nam hæc perpetuo contemplationis ſtudio verſat in animo & cogitat quę domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ verò nupſit, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro: illa ſancta & ſpirituāli ſollicitudine ducitur, vt deo placeat, hæc carnali & mundana ſollicitudine diſcrutiata quęrit marito complacere. Theophylaſtus illum Pauli locum diſſerens, dicit: Aduerte vti in primis, & demiretur, & laudibus efferat, qui filię tueatur virginitatem, ſtabilem illum & bene fundatum appellans, & recto iudicio quæ agat, hunc facere: iudicauit enim, inquit, in corde ſuo. Qui igitur filiam alteri locat, inſtabilis eſt, & nihil habet in ſe firmitatis. Id namque clarius exprimit, cum dicit: Qui neceſſitatem non habet, velut qui nihil coactus poteſtatem habeat, cui libitum fuerit filiam ſuam matrimonio copulare. Quo ſit, vt filię ſeruata virginitas, patri gloriam aſſerat. Nec minus & qui filiam locat, recte agit. Non enim nubendo delinquitur, quodcumque autem hiſ peccatum nec ceſſerit, recte & laudabiliter geritur. Et tamen ſatius longe nemini filiam connubio iungere, id enim eſt officij loco habendum, & miræ virtutis. Quòd ſi ex Theophylaſto longe ſatius ſit nemini filiam connubio iungere, concludes manifeſte virginitatem nuptijs præferendam eſſe. Et exponendo quòd ſubnectit Paulus: Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuat, & cætera, dicit: Nam quemadmodum primis nuptijs præfertur virginitas, ſic ſecundis primę ſunt potiores. Auguſtinus huic ſubſcribens aſſertioni libro vno de Ecclēſiaſticis dogmatibus, capite ſexageſimoterterio, dicit: Bonæ ſunt nuptię, ſed cauſa filiorum & compescendæ fornicationis obtentu. Et in capite ſexageſimoquarto ſubiungit, Melior eſt continentia, ſed non ſibi ſufficit ad beatitudinem ſi pro ſolo amore pudicitie retinetur, ſed ſi & cum affectu cauſa vacandi domino eligatur: alioquin diuortium magis coniugij videbitur eſſe, quàm appetitio caſtitalis. Et quòd proxime ad noſtram aſſertionem facit, capite ſexageſimoquinto exprimit: Virginitas vtroque bono præcellit eſt, quia & naturam vincit & pugnam. Naturam, corporis integritate: pugnam, pace caſtimonie, quæ pro ſolo amore pudicitie in pace eſt. Tum etiam libro vno de hæreſibus ad Quod vult deū, capite octogefimoſecundo, reprehendit Iouinianum quòd virginitatem coniugiorum meritis adæquauerit: Virginitatem (inquit) ſanctimonialium & continentiam ſexus virilis in ſanctis eligentibus cælibem vitam, coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat. Ita vt quædam virgines ſacræ prouectæ iam ætatis in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur. Non ſanē ipſe, vel habebat, vel habere volebat vxorem, quod non propter aliquod apud deum maius meritum in regno vitæ perpetuę profuturū, ſed propter præſentem prodeſſe ne-

1. Corin. 7.

Theophyl.

Auguſtinus

cessitatem, ne homo coniugales patiatur molestias, disputabat. Cito tamē ista hæ-
 reis oppressa & extincta est, nec vsque ad deceptionem aliorum sacerdotum
 potuit peruenire. Nec ab Augustini iudicio discedit Hieronymus libro primo ad-
 uersus Iouinianum, explicans illam Pauli doctrinam, De virginibus autem præ-
 ceptum domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam con-
 sequutus à domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instan-
 tem necessitatem, quoniam bonū est homini sic esse. Hic aduersarius (inquit) tora
 exultatione bacchatur, hoc velut fortissimo ariete virginis murum quatens:
 Ecce (inquit) apostolus profitetur de virginibus, domini se nō habere præceptum:
 & qui cum autoritate de maritis & vxoribus iusserat, non audet imperare quod
 dominus non præcepit, & recte. Quod enim præcipitur, imperatur: quod impera-
 tur, necesse est fieri: quod necesse est fieri, nisi fiat, pœnam habet. Frustra enim iu-
 betur, quod in arbitrio eius ponitur, cui iussum est. Si virginatatem dominus im-
 perasset, videbatur nuptias condemnare, & hominum aufferre seminarium, vnde
 & ipsa virginitas nascitur. Si præcidisset radicem, quomodo fruges quæreretur? Nisi
 antè fundamenta iecisset, qua ratione ædificium extrueret, & operturum cuncta
 desuper culmen imponeret? Multo labore fossorum subuertuntur montes, terra-
 rum penè interna penetrantur, vt inueniatur aurum. Cùmque de granis minutif-
 simis prius conflatione fornacis, deinde callida artificis manu fuerit monile com-
 pactum, non ille beatus vocatur qui de luto excreuit aurum, sed qui auri vititur
 pulchritudine. Noli igitur admirari, si inter titillationem carnis, & incentiua vi-
 tiorum, angelorum vitam non exigimur, sed docemur. Quia vbi cōsiliū datur,
 offerentis arbitrium est: vbi præceptum, necessitas est seruentis. Præceptum (in-
 quit) domini non habeo, consilium autem do, tãquam misericordiam consequu-
 tus à domino. Si non habes præceptum domini, quare audes dare consilium de
 quo non habes iussionem? Respondebit mihi apostolus: Et vis vt ego iubeam quod
 dominus obrulit potius quàm præcepit? Ille creator & figulus sciens fragilitatem
 vasculi quod operatus est, virginatatem in audientis potestate dimisit, & ego do-
 ctor gentium, qui omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem, onus per-
 petuè castitatis statim in principio credētium imponam ceruicibus infirmorum?
 Discant prius ferias nuptiarum, vacent ad tempus orationi, vt accepto gustu pu-
 dicitæ, id semper habere desiderent, quod ad modicum delectati sunt. Domi-
 nus tentatus à Phariseis, vt trum secundum legem Moyſi vxores liceret dimitte-
 re, omnino fieri prohibuit. Quod discipuli considerantes, dixerunt ei: Si talis est
 causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quibus ille respondit: Non om-
 nes capiunt verbum, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de vtero ma-
 tris ita nati sunt: & sunt eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati sunt: & sunt eu-
 nuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. In
 propatulo est, cur apostolus dixit: De virginibus autem præceptū domini non ha-
 beo, profecto quia præmiserat dominus: Non omnes capiunt verbum, sed quibus
 datum est, & qui potest capere, capiat. Proponit agonotheres præmium, inuitat ad
 cursum, tenet in manu virginis brauiū, ostendit purissimum fontem, & clami-
 tat: Qui sitit, veniat & bibat: qui potest capere, capiat. Non dicit, velitis, nolitis, bi-
 bendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque
 potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte
 tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maiorifque gratia est, offerre quod nō
 debeas, quàm reddere quod exigaris. Apostoli vxoris onera contemplati, Si talis
 est, inquiunt, causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum dominus
 sententiam probans, Recte quidem sentitis ait, quod non expedit homini ad cæ-
 lorū regna tendenti, accipere vxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiūt
 verbum istud, verum quibus datum est. Alios Eunuchos natura fecit, alios vis ho-
 minum. Mihi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas. Li-

Hieronymus.

Matth. 19.

Ioan. 7.

benter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regna cælorum, &
 ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt: simulque tractanda sententiā, Qui
 se (inquit) castrauerunt propter regna cælorum. Si castrati mercedem habent re-
 gni cælorum, ergo qui se non castrauerunt, locum non possunt accipere castrato-
 rum. Qui potest (inquit) capere, capiat. Grandis fidei est, grandifque virtutis, dei
 templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre domino, & iuxta eūdem
 apostolum, esse sanctum & corpore & spiritu. Hi sunt eunuchi, qui se lignum ari-
 dum ob sterilitatem putātes, audiunt per Esaiam quod pro filiis & filiabus locum
 in cælis habeant paratum. Horum typus est Abdemelech eunuchus in Hieremia,
 & spado ille reginæ Cādacis in actis Apostolorum, qui ob robur fidei, viri nomē
 obtinuit. Ad hos & Clemens successor apostoli Petri, cuius Paulus apostolus mem-
 inuit, scribit Epistolas, omnemque penè sermonem suum de virginis puritate
 contexit, & deinceps multi apostolici & martyres & illustres tam sanctitate
 quàm eloquentia viri, quos ex proprijs scriptis nosse perfacile est. Existimo enim
 (inquit) hoc opus bonum esse propter instantem necessitatem. Quæ est illa neces-
 sitas, quæ spreto vinculo coniugali, virginis appetit libertatem? Vx prægnan-
 tibus & nutriendis in illo die. Non hic scorta, nō hic lupanaria cōdemnantur,
 de quorum dānatione nulla dubitatio est, sed vteri tumescentes, & infantum ya-
 gitus, & fructus atque opera nuptiarum. Quoniam bonum est homini sic esse. De-
 inde dicit Hieronymus, Curramus per reliqua, neque enim nos patitur magnitu-
 do voluminis diutius in singulis immorari. Si autem acceperis vxorem non pec-
 casti. Aliud est non peccare, aliud benefacere. Et si nupserit virgo, non peccauit.
 Non illa virgo quæ semet dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, ha-
 bebunt damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis di-
 ctum obiecerit, quanto magis de virginibus præualebit? cum etiam his nō liceat,
 quibus aliquando licuit? Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non
 tam adulteræ sunt, quàm incestæ. Ac ne videretur in eo quod dixerat, Et si nupse-
 rit virgo, non peccauit, rursus cælibes ad nuptias prouocare, statim se refrenat,
 & aliud inferendo infirmavit quod concesserat, dicens: Tribulationem tamē car-
 nis habebunt huiusmodi. Qui sunt isti qui tribulationem carnis habebunt? Qui-
 bus supra indulserat: Si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo non
 peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Nos ignari rerum, pu-
 tabamus nuptias saltem carnis habere lætitiā. Si autem nubentibus etiam in car-
 ne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum pro-
 pter quod nubant, cum & in spiritu & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit?
 Ego autem vobis parco, sic ait, obtendo carnis tribulationem, quasi non maiora
 sint propter quæ nubere non debeatis. Igitur hoc dico fratres, Tempus breue est.
 Reliquum est vt qui habent vxores, sic sint tanquam non habentes. Nequaquam
 iam de virginibus disputo, quos nulla ambiguitas est esse foelices. Ad maritos ve-
 nio, tempus breue est, dominus prope est. Etiam si nongentis viueremus annis, vt
 antiqui homines, tamen breue putandum esset, quod haberet aliquando finem, &
 esse cessaret. Nunc verò cum breuis sit non tam lætitiā, quàm tribulatio nuptia-
 rum, quid accipimus vxores quas cogemur cito amittere? Et qui sicut (inquit) &
 gaudent, & emunt, & vtuntur hoc mundo, sic sint quasi non fleant, gaudeant, e-
 mant, vtantur hoc mundo. Præterit enim figura huius mundi. Si mundus tranſit,
 quo vniuersa clauduntur, imò figura & conuersatio huius mudi, quasi nubes præ-
 terit, inter cætera mundi opera, nuptiæ præteribunt. Neque enim erunt post resur-
 rectionem coniugia. Si autem mors finis est nuptiarum, cur necessitatem non in
 voluntatem vertimus? Et quod inuitis extorquendum est, cur non spe præmio-
 rū offerimus deo? Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo pla-
 ceat deo. Qui autem cum vxore null, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo pla-
 ceat vxori, & diuisus est. Intueamur curarum virginis maritique distantias. Vir-

Esaiæ 36.

Hierem. 38.

Acto. 3.

Matth. 24.

1. Timo. 5.

1. Corin. 7.

Gene. 5.

go domino, maritus vxori placere desiderat, & vt vxori placeat, sollicitus est de his quæ sunt mundi, quæ cum mundo vtique transitura sunt, & diuisus est in multas scilicet sollicitudinum partes, miseriarumque distractus. Nunc illud breuiter admonet, in latinis codicibus hunc locum ita legi: Diuisa est virgo & mulier. Quod quanquam habeat suum sensum, & à me quoque pro qualitate loci sic ediffertum sit, tamen non est apostolicæ veritatis. Siquidem apostolus ita scripsit vt supra transfulumus: Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est, & hac sententia definita, transgreditur ad virgines & continentes, & ait: Mulier innupta & virgo, cogitat quæ sunt domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Non omnis innupta, & virgo est: quæ autem virgo, vtique & innupta est. Quanquam ob elegantiæ dictionis potuerit id ipsum altero verbo repetere, Mulier innupta & virgo, vel certe definire voluisse quid esset innupta, id est virgo: ne & meretrices putemus innuptas, nulli certo matrimonio copulatas. Quid ergo cogitat innupta & virgo? Quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Vt nihil aliud esset, vt nulla merces virginæ amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ domini sunt. Statimque docet quæ sit ipsa cogitatio, vt sit sancta & corpore & spiritu. Nonnullæ quippe sunt virgines carne, non spiritu: quarum corpus integrum est, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculauit. Ecotratio quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Sicut qui vxorem habet, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: sic nupta, res mundi cogitat, quomodo placeat viro. Nos autem non sumus de hoc mundo, qui in maligno positus est, cuius figura præterit. De quo dicitur ad apostolos, Si esletis de hoc mundo, amaret vtique mundus quod suum erat. Ac ne forsitan putaretur onus grauissimum castitatis nolentibus imponere, statim iungit causas suadendi, & ait: Hoc autem ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed vt ad id quod honestum est, & intente facit seruire domino, absque vlla distractione vos adhorter. Non imponit nobis apostolus laqueum, nec cogit esse quod nolumus, sed suadet quod honestum est & decorum, & intente facit seruire domino, & semper esse sollicitum & expectare paratum domini voluntatem: vt cum quid imperauerit, quasi strenuus, & armatus miles, statim impleat quod præceptum est, & hoc faciat sine vlla distentione, quæ data est secundum Ecclesiastem hominibus huius mundi, vt distendantur in ea. Si quis autem considerat virginem suam, id est carnem, lasciuire, & ebullire in libidinem, nec refrenare se potest, duplexque ei incubit necessitas, aut accipiendæ coniugis, aut ruendi: quod vult faciat, non peccat si nubat, faciat (inquit) quod vult, non quod debet. Non peccat si ducit vxorem. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicat in corde suo seruire virginem suam, bene facit: igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Signanter & proprie supra dixerat, qui ducit vxorem, non peccat: hic, qui seruat virginem suam, bene facit. Aliud est autem non peccare, aliud est bene facere. Declina (inquit) à malo, & fac bonum: illud declinamus, hoc sequimur: in altero initium, in altero perfectio est. Verum ne in eo quod dixit, Et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, existimet aliquis obseruationem nostram non stare, protinus hoc ipsum bonum extenuat, & obumbrat cōparatione melioris, & dicit: Et qui non iungit, melius facit. Nisi illaturus esset, melius facit, nunquam præmississet, bene facit. Vbi autem bonum & melius est, ibi boni & melioris non vnum est præmiū: & vbi non vnum præmiū, ibi vtique dona diuersa. Tantum est igitur inter nuptias & virginitatē, quantum inter non peccare & bene facere: imò vt leuius dicā, quātum inter bonum & melius. Hæc ille. Nec putes Hieronymum voluisse innuere nuptias & virginitatem ita adinuicem distare, atque non peccare & bene facere, quod nuptiæ nullo modo sint bonæ, sed solum illis viterur peccatum. Nam qui

1. Ioan. 5.
Ioan. 15.

Ecclesia. 3.

Psalmo 30.

matrimonio iungit suam virginitatem (vt frequenter expressum est) bene facit: sed quod nubere, facta ad virginitatem comparatione, non sit simpliciter & exacte bene facere. Aut quia minus est bonum quàm perpetuo & diligenti studio suam seruire virginitatem. Adde quod Ambrosius libro primo de Virginibus, excutiendo illud Pauli: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. nostræ patrocinator assertioni, dicens: Illa non peccat, si nubat: hæc si non nubat, æterna est. Ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis. Illa non reprehenditur, ista laudatur. Conferamus si placet bona mulierum cum vltimis virginum: Iacet licet foecundo se mulier nobilis partu, quo plures generauerit, plus laborat: numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias: nubet, & plorat. Qualia sunt vota quæ flentur? Concipit & grauescit, prius vtique impedimentum foecunditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit & ægrotat. Quam dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quàm voluptati? Periculis emittit, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi & copulandi? foelicium sunt istæ miseriæ. Habet mater heredes, sed auget dolores. Nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi cōtremiscant. Vide mi foror quàm graue sit pati, quod non oportet audiri. Et hæc in presenti seculo. Venient autem dies, quado dicant, Beate steriles, & ventres qui non genuerunt. Filie enim huius seculi generantur & generant, filia autem regni abstinet à voluptate viri, & à voluptate carnis, vt sit sancta corpore & spiritu. Quid ego famulatus graues & addicta viri seruitia replicem foeminarum, quas ante iussit deus seruire quàm seruos? Quæ eò prosequor, vt indulgentius obsequantur. Quibus hoc si probæ sunt, merces est charitatis: si improbæ, poena delicti. Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidat: & de adulterio vultus, meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam querere, & dum verentur maritale iudicium, prodere suum? Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est: ita dum alij studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem mulier veriorē requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipsam quæ videri times? Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris? nec tuæ conscientia, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: & irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur? Male magistra es iniuriæ tuæ. Lenocinari refugit etiam quæ passa lenonem est. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat, tolerabilioraque propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adultera. iam quanto pretio opus est, ne etiam pulchra displiceat? Hinc pretiosa collo dependent monilia, inde per humum vestis trahitur aurata. Emitur igitur hæc species, an habetur? Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebre, gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet suum, vbi tam multa mutantur? Sensus suos amittit mulier, & viuere se posse credit? Vos verò beatæ virgines quæ talia tormenta potius quàm ornamenta nescitis, quibus pudor sanctus verecunda suffusus ora, & bona castitas est decori, non humanis addictæ oculis, alieno errore merita vestra pensatis. Habetis sanè & vos vestræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis, quam nulla extinguet atas, nulla eripere mors potest, nulla ægritudo corrumpere, solus forma arbiter petitur deus, qui etiam in corpore minus pulchro diligit animas pulchriores. Non vteri onus notum, non dolor partus, & tamen numerosior soboles pie mentis, quæ omnes pro liberis habet, foecunda successoribus, sterilis orbitibus, nescit funera, nouit heredes. Ad hæc, quantum præemineat nuptiis virginitas poteris facile ex Chrystostomo colligere, qui differendo illum Geneleos locum, Adam cognouit Euam vxorem suam, dicit ab initio virginitatem palmam principatus accepisse: quanta denique sit virginitatis sublimitas & dignitas clarissime

Ambrosius.

Lucæ 23.

Chrystost.
Gene. 4.

- Matt. 19. docet exponendo illa Christi ad suos discipulos verba: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. De eadem virginitatis ad nuptias precellentia, egit Tertullianus libro vno de virginibus velandis: et eisdem Pauli argumentis nititur, quibus & nos nixi sumus nostram tueri assertionem. Tum etiam Cyprianus Tractatu secundo, de habitu virginum, loquens de peculiari virginitatis laudatione, dicit: Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est, flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, dei imago respondens ad sanctimoniam domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas. Quantoque plus copiosa virginitas numero suo addidit, tanto gaudium matris augetur. Ad has loquimur, has hortamur affectione potius quam potestate: non quod extremi & minimi & humilitatis nostrae cōsij aliquid ad censuram licentiae vindicemus, sed quod ad sollicitudinem magis cauti plus de diaboli infestatione timeamus. Neque inanis cautio est & formido vana, quae ad salutis viam consulit, quae dominica & vitalia praecepta custodit: ut quae se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes tam carne quam mente se deo deuouerint, opus suum consumment, magno premio destinatum: nec ornari iam aut placere cuiquam nisi domino suo studeant, à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt hoc verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones qui ex utero matris sunt nati, & sunt spadones qui seipso castrauerunt propter regnum caelorum, & sunt spadones qui castrati sunt ab hominibus. Denuo quoque per hanc angeli vocem continentiae munus ostenditur, virginitas praedicatur: Hi sunt qui cum mulieribus se non inquinauerunt, virgines enim permanserunt: hi sunt qui sequuntur agnum quocumque ierit.

CAPVT X.

- M** Irgo Maria & natura, & secundum carnem de Dauid processit per Nathan. Priori huius Assertionis partem ex sacris literis eruiamus. Dicit Esaias: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Illic per virgam de radice Iesse egressuram, intelligitur ad litteram virgo Maria de stirpe Dauid progenita: & per florem ex illa virga ascensurum, intelligitur dominus noster Iesus Christus, qui est flos campi, & lilium conuallium. Et huius est sententiae Hieronymus enarras illum Esaias locum: Nos (inquit) virgā de radice Iesse, sanctam Mariam virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fructum coherentem, de qua & supra legimus: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Et florem dominum saluatorem, qui dicit in Cantico cariorum: Ego flos campi. Adde quod caelitus ad Dauid repromissiones factae sunt, ex ipso & semine eius oriturum esse Christum. Atqui matris & filij eadem est secundum carnem progenies, & ex quibus filius, ex ipsa & mater sumit ortum: igitur & beata virgo ex Dauid est exorta. Maiorem suadeo, In psalmis dicit dominus, Semel iuravi in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in aeternum manebit, & thronus eius ut sol in conspectu meo, & ut luna perfecta in aeternum, & testis in caelo fidelis. Et rursus, Iuravi dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Locum hunc de fructu ventris tui & caetera, differens Augustinus, dicit: Poterat dicere ex fructu femoris tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret, sed significantius dicere voluit, ex fructu ventris, quia de femina natus est Christus, quo vir non accessit. Et illis sacrae scripturae testimonijs Damascenus probat libro quarto suae Theologiae, capite decimoquinto, virginem mariam in prediffinito tempore ex

Dauidica radice pullulasse. Etiam Ioseph vir Mariae, ex Dauidica tribu progenitus est, & id sacratissimi Euangelistae dilucide monstrarunt. Nam in Euangelio Matthaei, filius Dauid ab angelo nominatur. Et à Luca describitur esse de domo Dauid. Sed Matthaeus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioseph: Lucas autem per Nathan. Nec ex eo potest Lucam à Mattheo dissentire quod reduxerit Ioseph in Heli ut proximum parentem, Matthaeus vero in Iacob. Nam haec duo non pugnant, quae tamen pugnare videntur, Ioseph fuit filius Heli, & tamen fuit filius Iacob. Nam huius fuit natura filius, per Salomonem: illius vero secundum legem, ex Nathan, quod apertissime docet Damascenus, in capite nuper citato: Id (inquit) nequaquam iurare par, quod lex erat viro moriente sine prole, fratrem eius defuncti coniugem sibi nuptijs copulare, & suscitare semen fratri. Quod igitur partu adebatur, secundum naturam, secundi, id est illius qui genuit, erat: secundum vero legem, eius qui obierat diem. Ex serie igitur Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Pathera, Panthera genuit Bar pathera, sic ab eo denominatum, Hic Panthera genuit Ioachim, Ioachim vero genuit sanctam deiparam. Ex serie Salomonis filij Dauid, Matthan duxit uxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Matthan, Melchi qui erat ex tribu Nathan filius Leui, frater vero Pantheris, nupsit uxori Matthan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres veterini Iacob & Helin: Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli vero ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli ex tribu Nathan sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis uxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph, Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone: secundum vero legem, filius Heli ex Nathan. Haec ille. De hac eadem quaestione Augustinus plenissime agit, libro 3. contra Faustum Manicheum, capite tertio, ubi docet nihil prohibere adoptions habere duos fratres: alterum à quo genitus est, alterum vero à quo fuerit adoptatus. Nec solum is dicitur pater alicuius, à quo genitus est, sed à quo fuit adoptatus, & hac ratione Ioseph habuit duos patres. Nec quae de Ioseph dicuntur quod fuit natura filius Iacob per Salomonem, & Heli secundum legem per Nathan, possunt abunde cuiquam suppeditare argumentum ad probandum Virginem Mariam & Ioseph non fuisse de eadem tribu regia, scilicet Dauidica. Siquidem Nathan non minus fuit de regia profapia ipsius Dauid quam Salomon, & uterque (ut paulopost sumus ostensuri) fuit filius naturalis Dauid. Infurges, Ioseph fuit de tribu Iuda, de qua descendit Dauid, eo quod tribus regia, de Iuda exorta est. Virgo autem Maria fuit de tribu Leuitica, igitur non descendit, ab eadem tribu. minor suadetur, Elizabeth virginis Mariae cognata (ut Lucas asserit) uxor Zachariae, & mater Ioannis baptistae, una fuit ex filiabus Aaron eodem Euangelista in exordio sui Euangelij contestante. Sed Aaron fuit de genere Leui, igitur & Elizabeth: & per consequens virgo Maria eius cognata, ex eadem tribu Leui fuit oriunda. Huic obiectioni responder Beda in illius loci ex Luca adducti explanatione, dicens quod utraque tribus scilicet regia de Iuda exorta, & sacerdotalis siue Leuitica, cognatione semper adinuicem probatur fuisse coniuncta. Nempe Aaron de tribu Leui, uxorem accepit Elizabeth filiam Aminadab de tribu Iuda, sororemque Naasson, qui fuit dux tribus Iuda in deserto, cum egredierentur de Aegypto. Legimus etiam in secundo Paralipomenon libro, quod Ioiada pontifex maximus, & de Leuitica tribu exortus, uxorem habuit de tribu regali, scilicet Iosabeth filiam regis Ioram. Potuit autem huiusmodi coniunctio etiam recentiori tempore fieri datis nuptui foeminis de tribu in tribum, ut manifeste beatam dei genitricem, quae de tribu regia descendit, cum tribu sacerdotali cognationem generis habere constaret, quod mysterijs caelestibus aptissime congruit. Oportebat namque ut apparens in mundo mediator dei & hominum, de utraque tribu carnis originem haberet, quia nimirum ipse in humanitate assumpta utramque habiturus erat personam, sacerdotis & regis. Neque huic dicto

- Num. 36. obuiat lex in libro Numerorum posita, quod non licita erat desponsatio de tribu in tribum. Siquidem ea lata fuerat, ne ex promiscuo tribuum connubio fieret hereditatum confusio, & permixtio. Atqui non erat illa futura hereditatum bonorum confusio, ex harum tribuum Leui & Iuda commixtione connubiali, quia Leuitica tribus non habuit sortem neque hereditatem inter alias, sed primitiarum, decimarum, sacrificiorumque oblationibus ex diuina sanctione victitabat. Non igitur per mutua vtriusque tribus foedera coniugij, legi prohibenti desponsationem diuersarum tribuum, quoquo pacto praedictatum est aut derogatum.
- ¶ Posteriorem assertionis partem deducunt viri doctissimi ex Damasceno, in eodem capite iam citato: Si enim descenderit ex Melchi, qui erat ex tribu Natha, ex Melchi autem ortus est Heli secundum legem pater Ioseph, ex Nathan, & ex eadem tribu per idem sceptrum Ioseph, & virgo Maria descenderunt, non absurde colliges virginem Mariam ex stirpe Dauidica per Nathan descendisse. Et ex his quae scripsit Damascenus de genealogia ipsius Ioseph, qui fuit natura filius Iacob ex descensu a Salomone, & secundum legem filius Heli, ex Nathan, colligit Clithoueus, in commentarijs illius capituli, Damascenum deduxisse ortum sacratissimae virginis Mariae a Dauid per Nathan, non quidem prophetam illum, qui in secundo libro Regum, a domino missus est ad Dauid, ut reprehenderet eum de adulterio & homicidio. Nam cum haec agebantur, nondum habuit Dauid ipsam Bersabee uxorem. Primus autem Paralipomenon liber, manifeste dicit, Nathan fuisse filium Dauid ex Bersabee, hoc modo: Porro in Hierusalem nati sunt ei filij Samaa & Sobab & Nathan & Salomon, quatuor de Bersabee, & filia Amihel. Alij vero contendunt deiparam virginem descendisse ex Dauid per Salomonem, quia regali ex progenie exorta praedicatur atque celebratur. Regalis autem progenies per Salomonem continuata a Matthaeo describitur. Verum id ipsum quod scilicet beata virgo ex Salomone duxerit ortum, haec ratio contra authorem non conuincit. Nam cum Dauid rex fuerit, & ipsa omnium confessione ex stirpe Dauid haud dubie prodierit, quemadmodum per Esaiam praedictum fuerat, quamuis ex sequentibus ordine generationis regibus non traxisset originem, nihilominus ex regali progenie exorta, & recte & vere diceretur: Iesse siquidem (ut dicit Euangelista) genuit Dauid regem. Neque illis essentium est, qui volentes tueri eam positionem quae astruit deiparam virginem ex Dauid per Salomonem descendisse, & simul defendere hunc Damasceni locum asserentem eandem virginem ex Dauid habuisse ortum per Nathan, dicunt Salomonem fuisse filium Dauid naturalem & origine, Nathan vero fuisse eiusdem filium legalem & adoptiuum. Nam cum scriptura, in libro primo Paralipomenon aperte dicat Nathan & Salomonem esse fratres origine, & iisdem patribus, eodem inquam patre, & matre progenitos, qui fiet ut Nathan filius sit adoptiuus ipsius Dauid, & solum legalis, Salomon autem naturalis: Itaque ex scripturae testimonio vterque ipsorum filius est naturalis & origine ipsius Dauid, cum quaecunque ratio militet de vno, eadem prorsus iure conuincat & de altero. Idem quoque ex secundo libro Regum constat, vbi dicitur: Natique sunt Dauid & alij filij & filiae, & haec nomina eorum qui nati sunt ei in Hierusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon, Iebaar, & Elisua. Quis non videt hic Nathan inter filios naturales Dauid esse cum Salomone collocatum? Augustinus tamen libro secundo, de Consensu Euangelistarum, capite quarto, existimat hunc Nathan fuisse prophetam per quem deus peccatum Dauid expiauit. Et huic plaudit opinioni Lyranus, in tertio capite Lucae. Tibi tamen consulo, ut quae magis sacris literis accedit, sententiam sequaris, & illa est, cui firmissime haeret Clithoueus. Arbitratur Ambrosius, in tertio capite Lucae, Nathan hunc, fuisse sacerdotem. Quandoquidem dicit, Quod vero per Salomonem Matthaeus generationem deriuandam putauit, Lucas vero per Nathan: alteram regalem, alteram sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Huic tamen sen-

tentiae reclamare videtur Paulus, in septimo capite ad Hebraeos, dicens: Translato sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat. In quo enim haec dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario prebuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. ¶ Sciscitabitur quispiam, an citra ullam controuersiam dici possit Matthaeum continuam generationum seriem & Christi & Ioseph texuisse a Dauid per Salomonem, Lucam vero per Nathan; cum (ut ostensum est) Salomon & Nathan diuersi fuerint filij Dauid. ¶ Huic quaestioni quidam respondent & satisfaciunt, dicentes Matthaeum genealogiam Christi texere secundum lineam naturalem, Lucam autem magis secundum lineam legalem. Sed quidam sacrarum literarum interpres, vir sane non vulgari doctrina praeditus, dicit in suis commentarijs, ad septimum caput Epistolae Pauli ad Hebraeos, illi opinioni parum tribuendo, quam tamen multi sectantur. Quomodo igitur haec generationum deductio, non erit naturalis dicenda potius quam legalis? An Latinos hic potius, an Graecos imitabimur, qui ex antiquitate naturalis genealogiae virginis seruaue re memoriam? Et dicemus, si Ioseph respicimus, Matthaeum texuisse naturalem generationum seriem: sed si Christum, texuisse legalem. Et contra, Lucam magis naturalem tetigisse lineam. Nam Christus virginis naturalis filius: atqui ipsa (ut Graecorum fert sententia) natura & secundum carnem processit, de Dauid per Nathan. Cum igitur Lucas a sponso virginis in Dauid per Nathan deducat seriem, naturalem proculdubio magis tangit Christi lineam. Cum igitur Ioseph secundum carnem descendat a Salomone, & Christus secundum carnem a Nathan (quandoquidem & beatissima virgo secundum carnem a Nathan descendit) & fieri non possit, ut idem secundum carnem de Salomone, & de Nathan procedat: Christus igitur secundum legem solum processit a Salomone, & tota series generationum a Ioseph in Salomonem, solum secundum legem ad Christum pertinens. Sed & Christus, & beatissima virgo, & Ioseph, de Dauid secundum naturam & legem processerunt, & insuper Christus secundum promissionem, coincidunt enim omnes in Dauid, & omnia in Christo. Haec paulo clarius tibi innotescerit ex eo, quod dicit in 3. capite Lucae, virginem Mariam ratione patris de Dauid descendisse per Nathan filium Dauid, ratione vero matris, de Dauid per Salomonem.

CAPVT XI.



isio Dei corporeis oculis etiam in aeterna illa felicitate, percipi non potest.] Hanc eruimus Assertionem ex Augustino, in Epistola ad Italicam viduam, in qua non paucis argumentis illorum opinionem refellit, qui dicebant deum videri corporeis oculis. Lux (inquit) ipsa qua illuminabuntur haec omnia quae modo in cordibus reconduuntur, qualis aut quanta sit, quae lingua proferat? quis saltem infirma mente contingat? Profecto lux illa deus ipse est, quoniam deus lux est, & tenebrae in eo non sunt vlla, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quae illam lucem videat, quod nunc videndum non est. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Hanc quaeso Augustini assertionem perpende, & animaduerte diligenter quot rationibus eandem suadeat. Et hanc primam tuae infigito memoriae: Omne quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec vbi que sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem. Non ita est deus inuisibilis, & incorruptibilis, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum videt, nec videre potest. Per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corpore corpora. Nam & si mentibus piorum esset inaccessibilis, ce. j.

Hebra. 7.

Augustinus

1. Joannis 1.

1. Timot. 6.

Pfalmo 33. non diceretur, Accedite ad eum, & illuminamini. Et si mentibus piorum esset
 1. Ioan. 3. inuisibilis, non diceretur, Videbimus eum sicuti est. Nam prospice totam ip-
 sam in epistola Ioannis sententiam, Dilectissimi inquit, filij dei sumus, & non-
 dum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cū apparuerit, similes ei erimus,
 quoniam videbimus eum sicuti est. Et hac fultus auctoritate, secundam in hūc
 modum nectit rationem, In tantum ergo videbimus, in quantum similes ei eri-
 mus: quia & nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus: inde
 igitur videbimus, vnde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, cor-
 pore nos vel esse, vel futuros esse similes deo? In interiore igitur homine ista
 Colof. 3. similitudo est, qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius qui
 creauit illum. Et tanto efficimur similiores illi, quanto magis in eius cognitio-
 1. Corin. 4. ne & charitate proficimus. quia & exterior homo noster corrumpitur, sed in-
 terior renouatur de die in diem: ita sanè, vt in hac vita quantumcunque profe-
 ctus sit, longe absit ab illa perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad viden-
 dum deum, sicuti dicit apostolus, facie ad faciem. in quibus certe verbis, si cor-
 1. Corin. 13. poralem faciem voluerimus accipere, consequens erit, vt etiam deus talem ha-
 beat faciem, & sit aliquod interuallum inter nostram & ipsius, cum eum vide-
 bimus facie ad faciem. Et si interuallum, vtrique finis & membrorum habitus ter-
 minatus, & cætera absurda dictūque & cogitatu impia, quibus animalis homo
 1. Corin. 2. non percipiens ea quæ sunt spiritus dei, fallacissimis vanitatibus luditur. Ter-
 tiam in aduersarios texit rationem: Dicunt (inquit) quidam eorum qui talia
 garrunt, quantum ad me potuit peruenire, nos deum videre nunc mente, tunc
 corpore. Ita vt etiam impios eum pari modo asseuerent esse visuros. Vide quan-
 tum in peius proficiunt, cum sine limite timoris vel pudoris, hac atque illac va-
 gabunda fertur impunita loquacitas. Antea dicebant carni suæ tantū hoc præ-
 stitisse Christum, vt corporeis oculis videret deum. Deinde addiderunt etiam
 omnes sanctos receptis in resurrectione corporibus, eodem modo deum esse
 visuros. Nunc iam istam possibilitatem etiam impijs donauerunt. Donent sa-
 nè quantum volunt, & quibus volunt, quis audeat contradicere hominibus de
 Ioan. 8. suo donantibus? Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur. Tu autem
 cum ijs qui sanam doctrinam tenent, nihil istorum audeas vsurpare de tuo.
 Matth. 5. Sed cum legis: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt: intellige im-
 pios non visuros, neque enim beati & mundo corde sunt impij. iterum, cum le-
 1. Corin. 13. gis: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,
 intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, vnde videmus nunc per spe-
 2. Corin. 5. culum in ænigmate. Hoc autem vtrunque interioris hominis munus est, siue
 cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua vritur speculo
 & ænigmate: siue in illa patria cum per speciem contemplabitur. Pro qua vi-
 sione positum est, facie ad faciem. Quarta hæc est Augustini ratio: Audiat ca-
 ro carnalibus ebria cogitationibus, Spiritus est deus, & ideo qui adorant deum,
 Ioannis 4. in spiritu & veritate oportet adorare. Si adorare, quanto magis videre? Quis
 enim audeat affirmare dei substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit
 corporaliter adorari? Sed argute sibi videtur dicere, & quasi interrogando pre-
 mere, potuit Christus carni suæ præstare vt oculis corporeis videret patrem,
 an non potuit? Vt si non potuisse responderimus, omnipotentiæ dei nos derogat
 se proclamant. Si autem potuisse concesserimus, argumentationem suam ex no-
 stra responsione concludant. Quanto iam tolerabilius desipiunt, qui carnem
 asserunt conuersum iri in substantiam dei, & hanc futuram esse quod deus est?
 vt sic eam saltē videndo deo faciant idoneam, non tāta diuersitate dissimilem.
 Quam vanitatem credo istos abigere à fide sua fortasse & ab auribus. Et tamen

si interrogatione de hoc similiter vigeantur, possit ne deus hoc, an non effice-
 re possit, vtrum eius potestati detrahent, si non posse responderint: an hoc futu-
 rum fatebuntur, si posse concesserint? Quomodo ergo exierint de hoc laqueo
 alieno, sic exeant de suo. Quintam subiungit rationem etiam Achilleam, & in-
 expugnabilem. Deinde cur solis oculis corporeis Christi, hoc donum attribu-
 rum esse contendunt, nūm etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit deus, vt pos-
 sit eius etiam auribus percipi? Et halitus erit, vt sentiri possit eius olfactu? Et li-
 quor aliquis erit, vt possit & bibi? Et moles erit, vt possit & tangi? Non, inquit.
 Quid ergo, an illud potest deus, & hoc non potest? Si non posse dixerint, cur de-
 rogant omnipotentia dei? Si posse & nolle responderint, cur solis oculis fauent,
 inuident autem cæteris sensibus corporis Christi? An quousque volunt, desipi-
 unt? Quanto nos melius, qui non eorum insipientia terminos figimus, sed vt
 desipiant prorsus nolumus? Multa proferri possunt ad istam dementiam refu-
 tandam. Sed si aliquando irruerint auribus tuis, hæc interim eis lege, & quid
 respondeant non pigeat te rescribere vt potes. Ad hoc enim fide corda nostra
 mundantur, quia nobis fidei merces, visio dei promittitur. Quæ si per corporis
 oculos erit, frustra ad eam percipiendam sanctorum animus exercetur, imò
 verò tam peruerse sentiens animus non in se exercetur, sed totus in carne est:
 Vbi enim tenacius habitabit & fixius, nisi vnde se deum visurum esse præsumit?
 Quod certe quantum malum sit, intelligentia potius dimitto tuæ, quam longo
 sermone moliar explicare. Et in epistola ad Euodiam, rem eandem pressius at-
 tingens, dicit: Perspicuum est deum corpus nō esse, nec aliquid corporeis oculis
 cerni posse, nisi quod alicuius interualli interpositione cernatur, id autem non
 nisi corpus esse, eamque substantiam, quæ minor sit in parte quam in toto, quod
 de deo credere nefas esse debet, etiam ijs qui hoc intelligere nōdum valent. Ea-
 dem scribit in Epistola ad Fortunatianum, de videndo deo, & suæ opinioni fauo-
 rabiles habet illic Ambrosiū & Hieronymum. En perspicis Augustinum dixisse
 se nihil posse corporeis oculis conspici, nisi alicuius interualli interpositione cer-
 natur. quod autem interposito interuallo cernitur, corporeum est, & dimensiones
 habet, igitur deus ab oculo corporeo videri non potest. At quispiā dicit, Au-
 gustinus in Epistola ad Paulinam, de Videndo deo, differens de plenitudine di-
 uinitatis, quæ nec oculis corporis, nec mente comprehendi potest, dicit capite no-
 no: Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere: quando-
 quidem id videtur quod præsens vtrunque sentitur, totum autem comprehen-
 ditur videndo, quod ita videtur vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines cir-
 cūspici possunt, & hanc visionem refert tam ad mentem quam ad oculū. Huic
 occurrens argumentationi, dicendo imprimis Augustinum voluisse innuere,
 Deum nec specie propria nec aliena à nobis comprehendi posse. Aliter (vt illius
 Epistolæ contextus habet) dices, nos consueuisse vsitatius in loquendo oculis at-
 tribuere visionem, sicut speciem corpori. Nam & hic modus loquendi crebrius
 vsurpatur in rebus quæ locis continentur varianturque coloribus. Hanc ean-
 dem questionem sanè subtilem versat libro vigesimo secundo de Ciuitate dei,
 capite vigesimo nono, quam tamen vtrinque agit, in fine tamen capituli, sui
 similis nec à seipso dissentiens, dicit quod nostræ assertioni consentaneum est:
 Vis (inquit) præpollentior oculorum erit illorum non vt acutius videant, quam
 quidem perhibentur videre serpentes vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia
 cernēdi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quam corpora, sed
 vt videant & incorporalia. Et fortasse ista virtus magna cernēdi data fuerit ad
 horam etiam in isto mortali corpore oculis sancti viri Iob, quādo ait ad deum, Iob 42
 In obauditu auris obaudiebam te prius, nunc autem oculus meus videt te, pro-
 pterea despexi memetipsum, & distabui, & existimaui me terram & cinerem.
 Quamuis hic nihil prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait apo-
 ee. ij.

Ephesios 1. stotus, illuminatos oculos habere cordis vestri. Ipsi autem videri deum, cum videri debent, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait deus ille magister: Beati mundi corde, quoniam ipsi deum videbunt. Sed vtrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in ista quaestione versamus. Illud enim quod scriptum est: Et videbit omnis caro salutare dei, sine vilius nodo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, & videbit omnis homo Christum dei: qui vtrique in corpore visus est, & in corpore videbitur, quando viuos & mortuos iudicabit. Quod autem ipse sit salutare dei, multa sunt & alia testimonia scripturarum. Sed euidentius venerandi illius senis Simeonis verba declarant. Qui cum infantem Christum accepisset in manus suas, Nunc (inquit) dimittis feruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Illud etiam quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus quae ex Hebraeo sunt, inuenitur: Et in carne mea videbo deum. Resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetauit, non tamen dixit, per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. Nunc vero potest & sic accipi: In carne mea videbo deum, ac si dixisset, in carne mea ero, cum videbo deum. Et illud quod ait apostolus: Facie ad faciem, non cogit ut deum per hanc faciem corporalem, vbi sunt oculi corporales, nos visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis facies, non diceret idem apostolus: Nos autem reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam ad domini spiritum. Nec aliter intelligimus quod in psalmo canitur: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non erubescant. Fide quippe acceditur ad deum, quae cordis constat esse, non corporis. Sed quia spiritale corpus nescimus quantos habeat accessus, de re quippe inexperta loquimur, vbi aliqua quae aliter intelligi nequeant, diuinarum scripturarum non occurrunt sed succurrit auctoritas, necesse est ut contingat in nobis quod legitur in libro Sapientiae: Cogitationes mortalium timidae, & incertae prouidentiae nostrae: ratiocinatio quippe illa philosophorum qua disputant, ita mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, id est corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsam mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum esset per oculos corporis etiam spiritualis nullo modo posse videri deum. Sed istam ratiocinationem & vera ratio, & prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit auersus a vero, ut dicere audeat deum corporalia ista nescire? Nunquid ergo corpus habet per cuius oculos ea possit addiscere? Deinde quod de propheta Helisaeo paulo ante diximus, nonne satis indicat etiam spiritu, non per corpus corporalia posse cerni? Quando enim seruus ille munera accepit, vtrique corporaliter gestum est, quod tamen propheta non per corpus, sed per spiritum vidit. Sicut ergo constat videri corpora spiritu, quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur & spiritus? Spiritus enim est deus. Deinde vitam quidem suam, in qua nunc viuit in corpore, & hac terrena membra vegetat, facitque viuere interiore sensu, quisque non per corporeos oculos nouit: aliorum vero vitas, cum sint inuisibiles, per corpus videt. Nam vnde viuencia discernimus a non viuenticibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitae autem sine corporibus corporis oculis non videmus. Sed quod nunc colligit, videtur in auctorem pugnare. Quamobrem (inquit) fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora caeli noui & terrae nouae, ut deum vbi que praesentem, & vniuersa etiam corporalia gubernantem, per corpora quae gestabimus, & quae conspiciemus, quaquaersum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc inuisibilia dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, per speculum in

ænigmate, & ex parte, vbi plus in nobis valet fides, qua credimus quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales. Sed sicut homines inter quos viuentes, mortisque vitales exercentes viuimus, mox ut aspiciamus, non credimus viuere, sed videmus, cum eorum vitam sine corporalibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspiciamus, ita quacunquē spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Aut (inquit) disunctionis forma, quod ad speculatiuam dicendi rationem spectat, per illos oculos sic videbitur deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis sine scripturarum testimonijs diuinarum, vel difficile, vel impossibile est ostendere. Verum absolutis his respondendi modis, quod sequendum est, & intellectu facilius, ac nostrae assertioni plurimum conducit, dilucide monstrat. Aut quod est (ut ait) ad intelligendum facilius, ita deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis, in singulis nobis, videatur ab altero in altera, videatur in seipso, videatur in caelo nouo, & in terra noua, atque in omni quae tunc fuerit creatura, videatur & per corpora in omni corpore quocūque fuerint spiritualis corporis oculi acie perueniente directi. Patebunt etiam cogitationes nostrae inuicem nobis. Tunc enim implebitur quod apostolus ait, cum enim dixisset: Nolite ante tempus iudicare quicquam, mox addidit, donec veniat dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique a deo. Possumus & hac ratione nostram suffulcire assertionem: Nihil potest videri ab oculo corporeo, nisi sit quantum & coloratum, & ita oculo representatum: sed deus non est quantus, neque coloratus, igitur ab oculo corporeo etiam glorificato, videri non potest. Maior est notissima: quod enim corporeum est, non potest nisi a corporeo immutari & sentiri. Nec quod corporeum est, quantumcunque illustratur, ferri potest contra suam naturam, in id quod est corporis & quantitatis expertis. Et cum oculus corporeus non sit capax visionis diuinæ essentiae, liquido contabit, deum ab oculis corporeis videri non posse.

CAPVT XII.

Virtutes Morales adiuicem connexae, remanebunt in beatis. Priorem huiusmodi Assertionis partem ex sacris doctoribus depromptimus. Et in primis quidnam de hac veritate sentiat Hieronymus, in hunc locum adferemus, is quidem illud Esaiæ discutiendo: Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris, dicit: Quomodo enim cithara non emittit vocalem sonum atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit: sic spiritalis venter prophetae, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare, nec ad lateritium murum cunctis clamare visceribus: philosophorum quoque sententia est, habere sibi virtutes, & apostoli Iacobi, ut cui vna defuerit, huic omnes deesse virtutes. Et in enarratione illius scripturae: Custodite iudicium, & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut veniat, & iustitia mea ut reueletur. cui simile est quod dicit psalmographus: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore, ut iuste quod iustum est, persequantur, dicit: In nomine iustitiae, omnis mihi videtur significari locus, quod qui vnam iustitiam fecerit, cunctas virtutes implese dicatur, quae inuicem se sequuntur, & sibi haerent, ita ut qui vnam habuerit, omnes habeat: & qui vna caruerit, cunctis careat. Huic subscribit sententiae Augustinus, in Epistola ad Hieronymum edisserens illum Iacobi locum: Qui in vno offenderit, factus est omnium reus, vbi reprehendit Stoicos, qui falso putabant omnia vitia esse paria. Quomodo (inquit) fieri possit, ut etiam si hoc de virtutibus verum est, non tamen ideo cogamur fateri aequalitatem omnium peccatorum, quantum possum adiu-

1. Corin. 4.

Hieronymus
Esaiæ 16.Iacobi 2.
Esaiæ 56.
Psalm. 105.Augustinus
Iacobi 2.

ee. iij.

uante domino aperire conabor. Quod si effecero, approbabis: vbi verò causæ defuero, tu supplebis. Certe hinc persuadent, qui vnam virtutem habuerit, habere omnes: & omnes deesse, cui vna defuerit, quod prudentia, nec ignava, nec iniusta, nec intemperans potest esse. Nam si aliquid horum fuerit: prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si & fortis & iusta, & temperans sit, profecto vbi fuerit, secum habet cæteras. Sic & fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel iniusta: sic temperantia necesse est vt prudens, fortis & iusta sit: sic iustitia non est, nisi sit prudens, fortis & temperans: ira vbi est vna vera aliqua earum, & aliæ similiter sunt. Vbi autem aliæ defunt, vera vna illa non est, etiam si aliquo modo similis esse videatur. Et libro sexto de Trinitate, capite quarto, de eadem re ita scribit: Sic enim virtutes quæ sunt in animo humano, quamuis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur abinuicem: vt quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æquales sunt & prudentia, & temperantia & iustitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur vt huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus inuenies, si omnes eadem consideratione percurras. Non enim de viribus corporis agitur, sed de animi fortitudine. Ad hæc, Ambrosius libro primo Officiorum, capite vigesimo septimo, docte probat arctissimam virtutum moralium connexionem, dicens: Primus officij fons, prudentia est. Quid enim tam plenum officij, quam deferre auctori studium atque reuerentiam? Qui tamen fons & in virtutes deriuatur cæteras. Neque enim potest iustitia sine prudentia esse, cum examinare quid iustum, quidve iniustum sit, non mediocris prudentia sit. Summus in vtroque error. Qui enim iustum iudicat iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis erit apud deum. Vt quid abundant iustitiæ imprudenti? Salomon ait: Neque iterum prudentia sine iustitia est, pietas enim in deum, initium intellectus. Quo aduertimus illud ab huius seculi trãslatum magis quam inuentum sapientibus, quia pietas fundamentum est omnium virtutum: iustitiæ autem pietas est prima in deum, secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes: quæ & ipsa secundum naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate vbi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tanquam dei munus, patriam parentisque diligimus, deinde æquales, quibus sociari cupimus. Hinc charitas nascitur, quæ alios sibi præfert, non querens quæ sua sunt, in quibus est principatus iustitiæ. Omnibus quoque animantibus innascitur primum salutem tueri, cauere quæ noceant, expetere quæ profint, vt pastum, vt latibula, quibus se à periculis, imbribus, sole defendant, quod est prudentiæ. Succedit quoque vt omnium genera animantium, congregabilia natura sint, primo generis sui ac formæ confortibus, tum etiam cæteris: vt videmus boues armentis, equos gregibus, & maxime pares paribus delectari. Ceuos quoque ceruis, & plerumque hominibus adiungunt iam de procreandi studio, & sobolis, vel etiam generantium amore, quid loquar, in quo est forma iustitiæ præcipua? Liqueat igitur & has & reliquas cognatas sibi esse virtutes. Siquidem & fortitudo quæ vel in bello tueri à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios; plena sit iustitiæ, & scire quo consilio defendat atque adiuuet, captare etiam temporum & locorum opportunitates, prudentiæ ac modestiæ sit, & temperantia ipsa sine prudentia modum scire non possit, opportunitatem noscere, & secundum mensuram reddere sit iustitiæ, & in omnibus istis magnanimitas necessaria sit, & quædam fortitudo mentis, plerumque & corporis, vt quis quod velit possit implere. Nostram denique Assertionem philosophorum sententijs affirmabimus, Aristoteles sexto Ethicorum, capite decimotertio, summam agens de virtutum moralium conspiratione dicit: Etenim cum prudentia quæ est vna, simul inerunt vniuersæ. Assentitur & Aristoteli Cicero, libro quinto, de Finibus bonorum & malorum, vbi ita scribit:

Ambrosius.

1. Corin. 13.

Aristoteles.

Cicero.

Qualis est igitur omnis hæc quam dico conspiratio consensûsque virtutum, tale est illud ipsum honestum, quandoquidem honestum, aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Quibus in rebus vita consentiens virtutibusque respondens, recta, & honesta, & constans, & naturæ congruens existimari potest. Atque hæc coniunctio consusioque virtutum, tamen à philosophis ratione quadam distinguitur. Nam cum ita copulatæ connexæque sint, vt omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari, tamē proprium suum cuiusque munus est, vt fortitudo in laboribus, periculisque cernatur: temperantia in prætermittendis voluptatibus, prudentia in delectu bonorum & malorum, iustitia in suo cuique tribuendo. Videtur tamen libro secundo Officiorum hanc virtutum connexionem auferre, vbi in facienda fide præfert iustitiæ prudentiæ: Iustitia (inquit) sine prudentia multum poterit, sine iustitia, nihil valet prudentia. En cernis Ciceronem diuellere iustitiæ à prudentia, quod eius præsidio nequaquam indigeat? Verum Cicero à se ipso non diffidet, nam id secundum vulgi iudicium dixit. Quandoquidem ne à philosophis imperitiæ argueretur, in eodem loco subiunxit: Sed ne quis sit admiratus, cur cum inter omnes philosophos constet, à meque ipso sæpe disputatū sit, qui vnam haberet, omnes habere virtutes: nunc ita seiungā, quasi possit quisquam qui non idem prudens sit, iustus esse. Alia est illa, cum veritas ipsa limatur, in disputatione subtilitas, alia cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem vt vulgus ita nos hoc loco loquamur, vt alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes esse dicamus: popularibus enim verbis est agendum & vitatis, cum loquamur de opinione populari: idque eodem modo fecit Panætius. ¶ Animaduerte arctissimam virtutum moralium connexionem à prudentia tanquam auriga & duce virtutum omnium pendere, quod satis aperte indicat Philosophus, dicens: Etenim cum prudentia quæ est vna, simul inerunt vniuersæ. Nec nobis deest ratio ad id suadendum: Munus virtutis moralis est facere electionem rectam, eo quod est habitus electiuus in mediocritate consistens. Ad rectam autem electionem requiritur vt quis scite & proxime eligat ea quæ ad finem honestum contendunt, quod sine prudentia, quæ est consiliatiua (vt ita dicam) iudicatiua & præceptiua eorum quæ sunt ad finem, fieri nequit. Rursum, Perfecta prudentia (quia de imperfectis virtutibus hic non differimus) sine cæterarum virtutum moralium adminiculo subsistere nequit. Nam prudentia est recta ratio agibile, ad hæc autem exercenda nemo subsidiaria virtutum moralium opera destitutus ferri potest. igitur. Quamobrem recte censuit Aristoteles libro primo magnorum Moralium, capite secundo. Prudentiam cum per se solâque est, nequaquam esse perfectam, euadet autem perfecta (vt omnibus exploratum est) si virtutem habuerit sociam & comitem. Et sicut scientia speculatiua non potest sine intellectu principiorum acquiri, ita nec prudentia perfecta sine virtutibus moralibus. Si enim prudenti desit iustitia, fortitudo, & temperantia, male quæ in omni rerum humanarum negotio agenda sunt, tractabit & expedit, quod si etiam iustitiæ comes non fuerit prudentia, non poterit iustus suas tueri partes, & quod iustum est aut præcipere aut exequi. Nec fortis absque tutissimo prudentiæ clypeo, circa pericula mortis in bello, & quæ repente contingunt, gloriam sibi comparabit. Denique si à temperantia voluptatum & dolorum sedatrice prudentiam seiunxeris, facile in alterum vitiorum extremum decumbes. Humanæ igitur vitæ societas & compositio, à pulcherrima virtutum moralium conspiratione suum sumit ornatum & splendorē. ¶ Nec aduersus hanc assertionem militat argumentum quod moueri solet: Potest quispiam liberalitatis & non magnificentiæ officijs exerceri. Nam ei exiguæ suppetunt opes & non magnæ, quibus se præstabit liberalem & non magnificentum, igitur virtutes morales non sunt conexæ. Nam vt quis euadat omnibus virtutum moralium numeris absolutus, oportet vt se exercent circa materias omnium virtutum moralium. Et licet liberalis actu non se exercent officijs magnificentiæ, ee. iij.

Augustinus

1. Ioan. 3.

Psálmo 33.
1. Petr. 2.

Psálmo 35.

Ibidem

eo quod cumulatissimis diuitijs non est instructus, tamen paratus est cum primū ei amplissima fortuna occurreret, sumptus facere magnificos, & modico exercitio acquireret præclarum magnificentia habitum. Nos etiam in nostra assertionem volumus potissimum agere de quatuor virtutibus Cardinalibus, scilicet de Prudentia, Fortitudine, Temperantia, & Iustitia: sed de hac disputatione plenius alibi dicturi sumus. ¶ Nunc diuina adiuti gratia ad tutissimum nostræ nauigationis, nostrique immensi laboris portum properantes, quod reliquum est pro secunda nostræ assertionis veritate explicemus oportet, & quod de hac re sentit Augustinus libro sexto Musicae, capite 16. sequemur: in quo introducit magistrum & discipulum de hac quaestione in vtraque parte acerrime discentes, discipulus tamen cedit magistro. Ma. Illud iam quaero, cum prudentiam superius eam esse constiterit inter nos, qua intelligit anima ubi ei consistendum sit, quo sese attollit per temperantiam, id est conuersionem amoris in deum, quæ charitas dicitur, & auersionem ab hoc seculo, quam etiam fortitudo & iustitia comitantur, vtrum existimes cum ad suæ dilectionis & conatus fructum perfecta sanctificatione peruenerit, perfecta etiam viuificatione illa corporis sui, & deletis de memoria phantasmatum turbis apud deum ipsum solo deo viuere cœperit, cum impletum fuerit, quod diuinitus nobis hoc modo promittitur, Dilectissimi, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus cum apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quæro ergo vtrum existimes has ibi virtutes, quas commemorauimus etiam tunc futuras? Di. Non video quomodo cum aduersa præterierint, quibus oblectantur aut prudentia ibi esse possit, quæ non eligit, quid sequatur, nisi in aduersis: aut temperantia, quæ amorem non auertit nisi ab aduersis: aut fortitudo, quæ non tolerat nisi aduersa: aut iustitia, quæ non appetit æquari beatissimis animis, & inferiori naturæ dominari nisi in aduersis, id est nõdum affecta id ipsum quod appetit. Ma. Non vsquequaque absurda est responsio tua, & quibusdam doctis visum hoc esse non nego. Sed ego consulens libros, quos nulla antecellit auctoritas, ita inuenio dictum esse: Gustate & videte quoniam suavis est dominus: quod apostolus etiam Petrus sic interposuit, Si tamẽ gustatis quoniam suavis est dominus. Hoc esse arbitror quod agitur in his virtutibus, quæ ipsa conuersione animam purgant. Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suauitate æternarum. Vbi autem vêtum fuerit ad illud quod canitur, Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt, & inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, non iam gustatu suauem fore dominum dicit. Sed vides quæ inundatio & affluentia prædicetur fontis æterni, quam etiam ebrietas quædam consequitur, quo nomine mihi videretur mirabiliter significari obliuio illa secularium vanitatum atque phantasmatum. Cõtexit deinde cætera, & dicit: In lumine tuo videbimus lumen. Præterea misericordiam tuam scientibus te. In lumine, scilicet Christo, accipientes, qui scientibus te, negari non potest futura ibi esse prudentia. An videri verum bonum animæ, & sciri potest, ubi nulla prudentia est? Di. Iam intelligo. Ma. Quid recti corde possunt esse sine iustitia? Di. Recognosco isto nomine crebrius significari iustitiam. Ma. Quid ergo admonet aliud Propheta idem consequenter, cum canit, Et iustitiam tuam ijs qui recto sunt corde? Di. Manifestum est. Ma. Age deinceps, recordare si placet, fatis nos superius tractasse superbia labi animam ad actiones quasdam potestatis suæ, & vniuersali lege neglecta in agenda quædam priuata cecidisse, quod dicitur Apostatate à deo. Di. Memini vero. Ma. Cum ergo id agit ne vterius id delectet aliquando, nõne tibi videtur amorem suum figere in deum, & ab omni inquinamento temperatissime & cautissime & securissime viuere? Di. Videtur sanè. Ma. Vide etiam quemadmodum id quoque adiungat propheta, dicens: Non veniat mihi pes superbia. Pedem enim appellans, discessum la-

psimumve significat, à quo anima temperando inherens deo viuere in æternum. Di. Accipio & sequor. Ma. Restat igitur & fortitudo, sed vt temperantia contra lapsum qui est in libera voluntate, sic fortitudo contra vim valet, qua etiam cogi quis potest, si minus fortis sit, ad ea quibus auertitur, & miserimus iaceat. Hæc autem vis decenter in scripturis manus nomine significari solet. Qui porrò hanc vim, nisi peccatores conantur inferre? quod tunc per id ipsum communitur anima, & custoditur firmamento dei, vt hoc illi nullo modo vndeunque possit accidere, potentiam quandam stabilem, & (vt ira dicam) impassibilem gerit, quæ nisi quid tibi displicet, recte fortitudo nominatur, & eam dici arbitror, cum adiungitur, Neque manus peccatorum dimoueat me. Sed siue hoc, siue aliud in his verbis intelligendum sit, tu negabis in illa perfectione ac beatitate animam constitutam & conspiciere veritatem, & immacularam manere, & nihil molestia pati posse, & vni deo subdi, cæteris verò supereminere naturis? Di. Imò aliter eam perfectissimam, & beatissimam esse posse non video. Ma. Hæc ergo contemplatio, sanctificatio, impassibilitas, ordinatio eius, aut illæ quatuor virtutes perfectæ atque consummatæ, aut ne de nominibus cum res conueniant, frustra laboremus, pro istis virtutibus quibus constituta in laboribus vititur anima, tales quædam potentia in æterna vita sperandæ sunt. Et libro 14. de Trinitate, capite 9. abunde docet quomodo virtutes morales remanebunt in beatorum insulis, ubi non eam sibi vendicabunt rationem, quam nunc sibi vendicant, nec idem munus obibunt. Vtrum (inquit) tunc etiam virtutes, quibus in hac mortalitate bene viuunt, quia & ipse incipiunt esse in animo, qui cum sine illis prius esset, tamen animus erat, desinant esse, cum ad æterna perduxerint, nõnulla quaestio est. Quibusdam enim visum est desituras, & de tribus quidem prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, nõnihil dici viderem. Iustitia verò immortalis est, & magis tunc perficitur in nobis, quàm esse cessabit. De omnibus tamen quatuor, magnus auctor eloquentia Tullius in Hortensio dialogo disputans: Si nobis (inquit) cum ex hac vita migrauerimus, in beatorum insulis immortale æuum (vt fabulæ ferunt) degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudinis egeremus, nullo proposito, aut labore, aut periculo: nec iustitia, cum esset nihil quod appeteret alicui: nec temperantia, quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines: nec prudentia quid egeremus, nullo delectu proposito bonorum & malorum. Vna igitur essemus beati cognitione naturæ & scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda: ex quo intelligi potest, cætera necessitatis esse, vnum hoc voluntatis. Ira ille tantus orator, cum philosophiam prædicaret, recolens ea quæ à philosophis acceperat, & præclare ac suauiter explicans, in hac tantum vita quam videmus erumnis & erroribus plenam, omnes quatuor necessarias dixit esse virtutes: nullam verò earum, cum ex hac vita emigrauerimus, si liceat ibi viuere, ubi viuunt beate: sed bonos animos sola beatos esse cognitione & scientia, hoc est contemplatione naturæ, qua nihil est melius & amabilius: ea est natura quæ creauit omnes cæteras, instituitque naturas: cui regere esse subditum, si iustitia est, immortalis est omnino iustitia, nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, vt perfectior & maior esse non possit. Fortassis & aliæ tres virtutes: Prudentia, sine vilo iam periculo erroris: Fortitudo, sine molestia tolerandorum malorum: Temperantia, sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate, vt prudentia sit nullum bonum deo præponere vel æquare: fortitudinis, ei firmissime coherere: temperantia, nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit iustitia in subueniendo miseris, quod prudentia in præcauendis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs, quod temperantia in coercendis delectationibus prauis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit: ac per hoc ista virtutum opera, quæ huic mortali vitæ sunt necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in præteritis habebuntur, & aliam nunc faciunt trinitatem, cum ea præsentia re-

Ibidem

nemus, aspiciamus, amamus, aliam tunc factura sunt, cum ea non esse, sed fuisse per
 quadam eorum vestigia, quæ prætereundo in memoria derelinquunt, reperiemus,
 quia & tunc trinitas erit, cum illud quaecunque vestigium, & memoriter retine-
 bitur, & agnosceretur veraciter, & hoc vtrunque tertia voluntate iungetur. Hæc il-
 le. Hæc intellecta doctrina facile diluetur quod ex Hieronymo objici potest, dicen-
 te in epistola ad Paulam super obitu Bleisillæ filia: Plorabo sanctitatem, misericor-
 diam, innocentiam, castitatem: plorabo omnes pariter in vnius morte defecisse
 virtutes. Nô quod omnino defiturae sint virtutes morales in futura vita, sed quod
 non idem obibunt munus & officium quod nunc obeunt, nec eodem modo con-
 siderabuntur. Sunt qui dicunt eas non permanuras quantum ad id quod in eis ma-
 teriale spectatur, scilicet quantum ad inclinationem partis appetitivæ, ad passio-
 nes vel operationes: eo quod in futura vita non erit locus concupiscentiis & dele-
 ctationibus ciborum & venereorum, aut timori & audaciæ circa pericula mortis.
 Aut iustitiæ distributiæ & commutativæ circa ea quæ vsui hominum necessaria
 sunt. Remanebunt tamen quantum ad id quod in eis formale consideratur, scili-
 cet ordo rationis, nam rectissima erit vniuscuiusque ratio, & vis appetitiva omni-
 no obediet rationi. Et istis, ac theologicis virtutibus ornati, hinc ad aternas bea-
 torum insulas demigrabimus, & cum Christo (cui nostra sacrarum literarum stu-
 dia & monumenta, vltro acceptissima referimus) perperua luce perfruemur.

FINIS DECIMONONI LIBRI, AC TOTIVS SECVNDI
 TOMI THEOSOPHIAE IOANNIS ARBOREI.

ERRATVLORYM SECVNDI TOMI EMENDATIO.

Folio 5. pagina 2. linea 27. lege, grandem. Fo. 12. pag. 1. lin. 46. lege, cum. Eodem fol. pag. 1. lin. 51. lege, cor-
 ram. Fo. 15. pag. 2. lin. 26. lege in margine, Gene. 49. Fo. 9. pa. 1. lin. 42. lege in margine, Ioan. 6. & lin. 47. dele Io.
 6. Fo. 24. pag. 1. lin. 13. lege, vicum. Fo. 27. pag. 1. lin. 3. post deinde, lege creavit. Fo. 26. pag. 1. lin. 33. lege com-
 petit. Fo. 63. pag. 2. lin. 52. lege, potuerint. Fo. 66. pag. 2. lin. 50. lege sine. Fo. 102. pag. 2. lin. 29. lege, concitari.
 Fo. 138. pag. 2. lin. 50. lege, decrescere. Fo. 143. pag. 1. lin. 52. lege deriuatur. Fo. 149. pag. 2. lin. 36. lege à seipso.
 Fo. 155. pag. 2. lin. 16. lege, loquebatur. Fo. 166. pag. 1. lin. 26. lege distinguetur. Et eadem pag. lin. 48. lege lo-
 co spiritu sancto, patre. Fo. 172. pag. 1. lin. 49. lege, insulit. Fo. 187. pag. 1. lin. 2. lege veritas. Eodem fol. & pag.
 lin. 13. lege septimi. Fo. 208. pag. 2. lin. 1. lege concubitus. Fo. 209. pag. 1. lin. 13. lege, semiplenus. Eodem fol.
 pa. 2. lin. 1. lege voverunt. Fo. 216. pag. 2. lin. 31. leg. assentiendum. Fo. 219. pag. 1. lin. 15. lege, altero.



EXCVDEBAT HOC
 insigne opus Simō Colinæus
 Parisijs, Anno M. D. XL.
 Mense Ianuario.